SEXTI EMPIRICI VIRI LONGE DOCTISSIMI ADVERSVS MATHEMATICOS,

Hoc est, aduersus eos qui profitentur disciplinas,

OPVS eruditissimum, complectens vniuersam Pyrrhoniorum acutissimorum Philosophorum disputandi de quibuslibet disciplinis & artibus rationem, Græcè nunquam, Latinè nunc primùm editum,

GENTIANO HERVETO AVRELIO INTERPRETE.

EIVSDEM SEXTI PYRRHONIARVM ΗΥΡΟΤΥΡΩΣΕΩΝ LIBRI TRES:

QVIBVS in tres Philosophiæ partes seuerissimè inquiritur.

LIBRI *magno ingenij acumine scripti, variaque doctrina referti: Græcè nunquam, Latinè nunc primùm editi, Interprete* [redacted]

Accessit & Pyrrhonis vita, ex Diogene Laërtio: ex vulgata interpretatione, sed multis in locis castigata.

Item, Claudij Galeni Pergameni contra Academicos & Pyrrhonios, [redacted]





ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXIX.
CVM PRIVILEGIO.

REGIS priuilegiis cautum eſt, ne quis citra voluntatem Chriſtophori Plantini imprimat, aut alicubi impreſſum importet, venalémve habeat librum, cui titulus eſt, *Sexti Empirici aduerſus Mathematicos, hoc eſt, aduerſus eos qui profitentur diſciplinas, &c.* à die impreſsionis abſolutæ intra octo annos. Qui ſecus faxit, tum cõfiſcationis librorum ipſorum, tum verò quinquaginta florenorum pœna, fiſco regio exoluenda multabitur: vt latius in Regiis diplomatis expreſſum eſt, Datis Bruxellæ in Conſilio priuato, XII. Nouemb. Anno M. D. LXV. Signat.

Meſdach.

In Conſilio verò Brabantiæ eodem die & menſe. Signat.

I. de Witthe.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris ſemper Augusti, publico edicto cautum & ſancitum eſt, ne quis cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque ſacri Romani imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorũ opera, quotquot vel hactenus nondum impreſſa, vel ab aliis quidem impreſſa, nouis autẽ deinceps ſcholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illuſtrata, Chriſtophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpienſis primus typis procuderit, intra proximum ſexennium à prima cuiuſq; operis aut voluminis editione, vllo pacto eiuſdem vel diuerſi characteris forma excudat, aut excuſa ab aliis, intra eiuſdem Maximiliani & Imperij fines vendẽda importet, ſeu quouis modo diſtrahat manifeſtè vel occultè, ſub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fiſco Imperiali fraudis vindici, reſidua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impreſſorum amiſſionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit, per ſe, vel ſuos, adiumento Magiſtratus loci, vel citra, propria auctoritate ſibi vindicare, inq; ſuam poteſtatẽ redigere poterit. In cuius rei fidem ipſi Edicto manu ſubſcripſit, & ſigillum apponi iuſſit Cæſarea Maieſtas. Datum in ciuitate Viennæ Auſtriæ, die vigeſima prima menſis. Februarij, Anno Domini M. D. LXV.

Subſign.

Maximilianus.

Ad mandatum ſacræ Cæſ. M. proprium

Haller.



ILLVSTRISSIMO ET IN PRIMIS REVERENDO CAROLO CARDINALI LOTHARINGO GENTIANVS HERVETUS in Christo plurimam precatur salutem.

CVM POST multos à me susceptos & longo tempore exantlatos labores, partim in vertendis veterum in sacras literas commentariis, partim in confutandis prodigiosis sacramētariorum erroribus, itineris amœnum aliquod quærerē diuerticulum, vt me parumper reficerem, ac animum recrearem, in tua bibliotheca, quæ tua benignitate mihi semper patuit, occurrit Sexti Empirici opus aduersus Mathematicos, id est, aduersus eos qui profitentur disciplinas. *Quod cùm non sine incredibili voluptate perlegissem, operæpretium me facturum esse duxi si id Latinè verterem. Mihi enim persuasi hunc vel maximum ex eo fructum esse capiendum, quòd cùm apertè ostendat nullam esse apud homines adeò rectè constitutam disciplinam, quæ non labefactari, nullam adeò certam scientiam, quæ constare possit, si rationum & argumentorum oppugnetur machinis, futurum sit vt humanas leuiter præteruecti scientias quæ inflant non ædificant, nos ad Christianorum propriam conferamus discipliplinam ac scientiam, nempe vt fidem habentes à Christo nobis factæ reuelationi, & promissorum bonorum spe nitentes, Deique præceptis parentes, charitatem semper teneamus & amplexemur. Hæc est optima disciplina & scientia longè præstātissima, per quam & fide Deus apprehenditur, & Dei regnum acquiritur. Quem quidem scopum si nobis proposuerimus, & in primæ & summæ rerum omnium causæ contemplatione assiduè versati fuerimus, facilè intelligemus verum esse quod dicit Psalmographus, mirabilē esse Dei scientiam, nō ex nobis (vt vulgata habet versio, sed vt Hebraïca habet veritas) præ nobis, id est, si cum nostra cōferatur scientia, quæ cum eius scientia collata planè nulla est: Imò verò est eiusmodi etiam per se considerata, vt ne quidem dicenda sit scientia. Hoc cùm ad gentiles & externos philosophos confutandos nobis sit adiumenti plurimum allaturum, non paruam quoque suppeditabit copiam argumentorum aduersus nostri temporis hæreticos, qui*

quæ sunt supra naturam naturalibus metientes rationibus, quæ sola fide percipi & apprehendi possunt, nō intelligunt, quia non credunt. Nam cum quæ sunt merè naturalia, adeò sint ad percipiendū difficilia, vt quæcunque de eis dixeris aut cogitaris, facilè euertantur: quid mirū si quæ sunt supernaturalia, ingenij humani captum superant? Hoc certè si nihil aliud Caluinistis nostris deberet persuadere, vt simplici verbo Dei credētes, quomodo quod ab eo dicitur fieri possit, Capharnaitarum instar minimè inuestigarent. Quod si facerent, non se præcipites darent in tantum impietatis barathrum, vt cū ipso Christo temerè pugnarent, dum eius verbis suam derogant dignitatem & efficaciam. Quanto vsui autem esse posit Sexti Empirici commentarius ad tuenda Christianæ religionis dogmata aduersus externos Philosophos, pulchrè docet Franciscus Picus Mirandulanus in eo libro quo Christianam tuetur philosophiam aduersus dogmata externorū Philosophorum. Quo magis miror esse nostris temporibus exortos nouos quosdam Academicos, qui gloriæ sibi fore ducunt, si veteri & vera Christi spreta religione, nouæ & adulterinæ hæresis sint sectatores. Neque verò solùm ad tuenda Christianæ religionis dogmata vsui esse poterit hic Sexti Empirici commētarius, sed etiam ad ipsam quæ nunc in scholis prælegitur melius discēdam ac tenendam philosophiam, & orbem illum quem vocant disciplinarum. Nihil enim melius discitur, quàm quod vltro citroque habita disputatione agitatur. In his certè commētariis sua dogmata ita confirmant Dogmatici, vt ipsi eorum auctores non melius ac fortius ea possint defendere. Sceptici verò ita oppugnant, vt Dogmaticis vix quidquam relinquant quod pro se possint dicere. Hæc cùm fiant, necesse est vt hæc exercitatio magnam vim habeat ad excitanda & acuenda adolescentum ingenia, qui tum demum poterunt verum discernere, cùm quæ sunt probabilia & verisimilia, ab iis quæ secus sunt, diiudicauerint, & ex multis probabilibus ac verisimilibus latens verum tandē eruerint. Quòd si vtrinque sint, vt cōtingit, adeò paria rationum momenta, vt nihil possit certi de re controuersa constitui, hoc humanæ tribuendum est imbecillitati, quæ efficit vt homines vel in media luce sæpe caligent, non autem vel Dogmaticorū vel Scepticorum doctrinæ, quæ pro se quod potest adducit. Sed in hoc magis videtur probanda illa Scepticorum ἐποχὴ quam vocant, quòd dum suam sustinent assensionem, non tam temere nec tam facilè in errores prolabuntur. Quæ tamen hactenus est probanda, vt quæ de vera Christi doctrina, virtuteque ei conuenienter agenda, sunt constituta, ab iis ne latum quidē vnguem discedatur. Quod si fiat, non poterit in cæteris hic commentarius non esse longè vtilissimus. Hæc me mouerunt, vt dum ad maiora aggredienda meas vires prope deficientes reparo, hunc Sextum Empiricum

piricum in linguam Latinam verterem. Qui nunc in lucem exiens, nõ alium se sperat inuenturum qui eum lubentius sit excepturus, quàm te, Illustrißime Princeps, quem non ignorat semper fauisse literis & literatis: nec dubitat quin, si per tuas grauiores liceat occupationes, sis eum aliquando palàm Latinè loquentem auditurus, qui Græcè scriptus & in capsam inclusus prius obmutescebat. Quod si feceris, & tua feria sacrarum literarum studia aliquantulum animi causa intermiseris, spero fore vt in eo legendo aliquot horas collocasse te minimè pœniteat. Vale. Lutetiæ, 16. Calend. Martij, Anno M. D. LXVII.

AD LECTOREM.

SITNE Sextus Empiricus, quẽ nos Latinè vertimus, idem qui Sextus Cheroneus Plutarchi sororis filius, qui vixit tempore Marci Antonini, non ausim affirmare. Est tamen verisimile hunc nõ esse alium, cùm is fuerit discipulus Herodoti Philadelphei sectæ Pyrrhoniæ. Quidquid sit, cõstat eum virum fuisse doctißimum, & in omni disciplinarum & scientiarum genere longè exercitatißimum. Perspicuum autẽ est ex his libris quos vertimus, eum fuisse professionẽ Medicum, & in rebus naturalibus pulcherrimè fuisse versatum. Cùm sit autem eius scopus & institutum in hoc opere afferre quæcúnq; dici possunt aduersus disciplinas & scientias, antè tamen quàm ad eas confutandas accedat, ita probat ac cõfirmat cuiusuis disciplinæ & scientiæ dogmata, vt nemo poßit dubitare eum in omnibus excelluisse. Est itaque hic Sextus Empiricus omnibus legendus, qui disciplinarum omniũ & scientiarum sibi parare velint cognitionem. Ab iis autem maximè, qui de re qualibet in vtramque partem velint disserere, est perpetuò legendus & memoriter, si fieri possit, tenendus. Fac itaque, ô Lector, vt eum diligenter legas, & tibi persuadeas, quod re ipsa expertus eris, te maximum fructum ex eo percepturum. Vale.

INDEX EORVM QVAE IN OPERE ADVERSVS Mathematicos complectuntur.

Quæ complectitur liber primus Pyrrhon. hypot. Sexti.

Quæ complectitur liber secundus.

FINIS PRIMI INDICIS.



SEXTI EMPIRICI ADVERSVS MATHEMATICOS.

GENTIANO HERVETO AVRELIO INTERPRETE.

IN CONTRADICENDO iis qui profitentur disciplinas, idem videtur esse animus Epicureorum & Pyrrhoneorũ, non est autem eadem affectio. Nam Epicurei quidẽ contradicunt, vtpote quòd ad perfectionem sapientiæ nihil conferant disciplinæ: vel vt nonnulli coniiciunt, quòd hunc existiment esse prætextum suæ inscitiæ. In multis enim Epicurus arguitur indoctus, & nec in cõmuni quidem sermone purus. *Epicurus indoctus.* Fortasse autem etiam propterea quòd malè vellet Platoni & Aristoteli, & similibus qui multarum disciplinarum erãt cognitione prędìti. Est etiam satis verisimile, quòd id fecerit propter inimicitias quæ ei intercedebant cum Nausiphane Pyrrhonis auditore. *Nausiphani cum Epicuro intercedebant inimicitiæ.* Multos enim apud se habebat adolescentes, & disciplinarum valde erat studiosus, maximè autem Rhetoricæ. Cùm ergo Epicurus eius fuisset discipulus, vt videretur esse non ab alio quàm à seipso edoctus, suóque ingenio & industria extitisse Philosophus, omnino ibat inficias, eiúsque famam & existimationẽ delere contendebat, & in reprehendẽdis in sectandísque disciplinis, in quibus ille gloriabatur, multùm versabatur. Dicit quidem certè in epistola quam scripsit ad Philosophos qui erant Mitylenæ: Existimo autem gemebundos illos opinaturos me esse Pulmonis discipulum, qui eum audierim cum quibusdam crapula laborantibus & temulentis adolescentibus, pulmonem nunc vocans Nausiphanem, vt qui nullo sit sensu præditus. *Nausiphanes cur pulmo dictus.* Et rursus progressus,

cùm

cùm multa in eum dixisset, subindicat eius profectum in disciplinis, dicens: Erat enim vir improbus, multúmque studij & operæ posuerat in iis ex quibus fieri non potest vt perueniatur ad sapientiam, disciplinas innuens. Sed Epicurus quidem; vt sequendo coniecturas dici potest, his impulsus depugnandum esse sibi censuit aduersus disciplinas. Pyrrhonei autẽ, neque propterea quòd eas existimem nihil conferre ad sapientiam, sunt enim quæ dicuntur dogmatica: neque propterea quòd essent inerudití. Nam cùm sint eruditi, & quàm cæteri Philosophi longè maiorem habeant experientiã, de iis quoque est apud vulgus excellens opinio. Sed neque propter maleuolentiam eorum in aliquos (ab eorum enim lenitate longè abest hoc vitium) sed eadem eorum fuit affectio in disciplinis, quæ in tota philosophia. Quomodo enim ad eam accesserunt desiderio assequendæ veritatis, cùm eis autem occurrisset par pugnæ rerum inæqualitas, sustinuerunt assensionem: ita etiam in disciplinis, cùm ad eas suscipiendas essent incitati, hic quoque verum quærentes quod discerent, pares autem inuenientes dubitationes, eas minimè celauerunt. Quamobrem nos quoque eandem viam & rationem sequentes, conabimur ea, quæ apud ipsos re ipsa dicũtur selecta, exponere. Atque docere quidem cur orbis dicatur disciplinarum, & quot sint numero, superuacaneum existimo, cùm ex ea, quã accepimus, doctrina, de eis sufficientem habuerimus institutionem. Quod autem est in præsentia necessariũ id est indicandum. Nempe quòd ex iis quæ dicuntur aduersus disciplinas, alia quidem vniuersè dicuntur aduersus omnes disciplinas: alia autem aduersus singula. Et magis quidem vniuersè & in genere, quòd nulla sit disciplina: magis autem propriè, vt exempli gratia, aduersus Grammaticos de elementis dictionis. Aduersus Geometras autem, quòd non oporteat accipere principia ex hypothesi. Aduersus Musicos autem, quòd nihil sit vox nec tempus. Videamus autem primùm ordine eam, quę est in genere & magis vniuersè, contradictionem.

Pyrrhonei cur cõtradicãt aduersus disciplinas.

An sit Disciplina. Cap. I.

ATQVE quæ apud Philosophos quidem fuit dissensionem de eo quod est discere, cùm magna sit & varia, non est præsentis temporis diiudicare. Satis est autem statuere, quòd si sit vlla disciplina, & fieri possit vt homo discat, oportet priùs quatuor confiteri, nempe rem quæ docetur: eum qui docet: eum qui discit: modum discendi. Non

est au-

est autem quod docetur: neque qui docet: neque qui discit: neque modus discendi, sicut ostendemus. Non est ergo vlla disciplina.

De eo quod docetur. Cap. 2.

Doceri non posse aliquid.

ATQVE de primo quidem loquentes, primum dicimus. Si quid docetur, aut id quod est eo quòd sit docetur: aut id quod non est, eo quòd nõ sit. Sed neque id quod est, eo quòd sit docetur: neque quod non est, eo quòd non sit, vt ostendemus. Non ergo docetur aliquid. Atque quod non est quidẽ, eo quòd nõ sit, doceri nõ potest. Si enim docetur, est eiusmodi vt posit doceri. Cùm sit autem eiusmodi, erit ex iis quæ sunt, & propterea erit & quod nõ est & quod est. Fieri autem non potest vt idem sit & quod est & quod non est. Non ergo docetur id quod non est, eo quòd non sit. Et ei quod non est nihil accidit. Cui autem nihil accidit, neque accidet vt doceatur. Ex iis enim quæ accidunt vnum est doceri. Hac ergo ratione neque doceri potest quod non est. Quinetiam quod docetur, mouens phantasiam, eo deducitur vt à nobis discatur. Quod autẽ non est, cùm non possit mouere phantasiam, nec eiusmodi est vt possit doceri. Præterea autem neque vt verum est id quod non est. Neque enim ex iis quę non sunt est verum: neque vllum verum, vt quod non sit est eiusmodi vt doceri possit. Quòd si nullum verum, vt quod non sit, est eiusmodi vt possit doceri: ex iis enim quæ sunt est verum: non doceri ergo potest quod non est. Si autem nullum verum docetur: quidquid docetur est falsum. quod quidem est à ratione alienissimũ. Non ergo docetur id quod non est. Aut enim quod docetur est verum aut falsum. Sed quòd sit quidem falsum est à ratione alienissimum. Verum autem erat id quod est. Non est ergo id quod non est eiusmodi vt possit doceri. Porrò autem nec id quod est, eo quòd sit, est eiusmodi vt possit doceri, quãdoquidem cùm quæ sunt, ex ęquo omnibus apparcãt, omnia erunt eiusmodi vt non possint doceri. Cui erit consequens vt nihil sit eiusmodi vt doceri possit. Oportet enim aliquid subiici eiusmodi vt non possit doceri: vt ex eo quod cognoscitur existat vt id discatur. Ergo neque id quod est, eo quòd sit docetur. Similis modus dubitationis erit etiã aduersus eos qui dicunt quod nihil aut aliquid doceatur. Si enim nihil doceatur, erit quatenus docetur aliquid: & propter hoc ipsum, contraria erunt, nempe nihil & aliquid, quod quidem est ex iis quæ non possunt fieri. Nihilo autem nihil accidit: quamobrem neque vt doceatur. Nam hoc

quoque est ex iis quæ accidunt. Nihil ergo non docetur. Eadem rationis conuenientia aliquid quoque erit ex iis quæ non possunt doceri. Si enim est eiusmodi vt doceri possit propterea quòd est, nihil erit quod non possit doceri. Cui erit consequens vt nihil sit eiusmodi vt possit doceri. Quinetiam si docetur aliquid, aut docebitur per ea quæ nulla sunt, aut per ea quæ sunt aliqua. Atqui fieri non potest vt doceatur per ea quæ nulla sunt, ea enim cogitatione minimè possunt consistere vt volunt Stoici. Restat ergo vt discatur per aliqua, quod quidem rursus habet dubitationem. Quomodo enim ipsum quod docetur, eo ipso docetur quatenus est aliquid: ita quandoquidem ea etiã ex quibus existit vt discatur sunt aliqua, erunt eiusmodi vt possint doceri. Et ea ratione cùm nihil sit quod possit doceri, discere quoque tollitur. Et alioqui cum ex aliquibus alia quidem sunt corpora, alia verò incorporea, oportebit ea quæ docentur cùm sint aliqua, aut esse corporea, aut incorporea. Non possunt autem esse corporea nec incorporea, vt ostendemus. Non sunt ergo ea quæ docentur.

De corpore. Cap. 3.

Corpus non potest doceri.

ATQVE corpus quidẽ, maximè ex sententia Stoicorum, esse non potest ex iis quæ doceri possunt. Oportet enim ea quæ discuntur eiusmodi esse vt dici possint. Corpora autem non sunt eiusmodi. Quamobrem nec discuntur. Siquidem autem corpora nec sub sensum cadunt nec sub intelligentiam, perspicuum est quòd nec erunt eiusmodi vt doceri possint. Atque non sunt quidem sensilia, vt patet ex eorum notione. Nam si corpus est ex congerie magnitudinis & figuræ & resistentiæ, vt dicit Epicurus: aut quod trium interuallorum suscipit dimẽsionem, nempe longitudinis & latitudinis & profunditatis, vt dicunt Mathematici: aut quod trium interuallorum disiungitur dimensione cum resistentia, vt rursus dicit Epicurus, vt eo distinguat inane: aut resistens magnitudo, vt alij. Quomodocunque autem se habeat, cùm intelligatur ex congregatione multarum proprietatum: multorum autem compositio, non sit munus & effectus alicuius simplicis & ratione carentis sensus, sed ratione prædite cogitationis. Si est autem ratione præditæ cogitationis corpus, non erit ex iis quæ cadunt sub sensum. Quòd si id rursus posuerimus sensile, erit rursus eiusmodi vt doceri non possit. Rursus enim sensile, quatenus est sensile, non docetur. Nemo enim discit videre album: neque

Corpus non est sensile.

Corpus quid sit.

Compositio non est sensus, sed rationalis cogitationis.

Sensile non docetur.

neque gustare dulce: neque tangere calidum: nec odorari odoriferum ac bene olens. sed ea sunt ex iis quæ doceri non possunt & nobis adsunt naturaliter. Restat ergo vt dicamus corpus cadere sub intelligentiam,& ea ratione esse eiusmodi vt possit doceri. Quemadmodum autē hoc sit verum consideremus. Si enim neque seorsum longitudo, neque latitudo aut profunditas est corpus, ex omnibus autem intelligitur: necesse est cùm omnia sint incorporea, id etiam quod ex eis constat esse incorporeum, non corpus. Propterea autem doceri quoque non potest, quòd qui intelligit corpus quod ex his constat, debet prius ea ipsa intelligere, vt illa quoque possint intelligi. Aut enim ea intelliget per incursionem: aut per transitum ab incursione. Sed neque per incursionem: sunt enim incorporea. Incorporea enim non apprehendimus per incursionem,cùm contactu semper fiat quæ in sensu fit apprehensio. Porrò autem nec per transitum ab incursione, cùm nihil habeant sensile à quo transeundo ea possint intelligi. Cùm ergo nec ea ex quibus constat corpus,possimus intelligere, planè nec id poterimus docere. Sed de corporis quidem intelligentia & substantia, accuratius meminimus in Scepticis.Nunc autem relictis his argumentis, illud dicamus. Corporum in supremo genere duplex est differentia. Ex iis enim alia quidem sunt sensilia: alia verò cadunt sub intelligentiam. Et si id quod docetur est corpus, omnino vel intelligētia percipi potest, vel est sensile. Sed neque potest esse sensile propterea quòd ex ęquo omnibus debeat apparere & esse euidens.Neque percipi potest intelligentia, propterea quòd sit obscurum & incertum, & de eo ipso, re nondum diiudicata, apud omnes Philosophos sit non leuis controuersia:aliis quidem dicentibus id esse indiuiduum, aliis verò diuiduum. & ex iis quidem qui dicunt esse diuiduū,aliis quidem censentibus id diuidi in infinitum:nonnullis autem in minimum & quod nullas habet partes. Non est ergo corpus eiusmodi vt doceri possit. Sed nec incorporeum. Quodcunque enim incorporeū dicas doceri, siue id eam Platonicā, siue quod apud Stoicos dicitur λεκτόν, siue locum aut inane, aut tempus, aut aliquid eiusmodi (ne temerè aliquid dicamus de eorum substantia, nec in aliis alias in transitu persequamur considerationes ostendentes vnumquodque non posse consistere) id quod apertè quidem inquiritur, & donec lympha fluet,procera arborque virescet,inquiretur apud Dogmaticos: aliis quidem ea esse asserentibus: aliis verò non esse: aliis autem sustinentibus assensionem, & quæ

Corpus non esse intelligibile.

De Scepticis scripsit librum Sextus Empiricus.

Corporum alia sensilia, alia intelligibilia.

Incorporeū non potest doceri.

quæ ſunt adhuc controuerſa & in magnis verſantur dubitationibus, dicere ea doceri tanquam certa & quę ſint extra omnem controuerſiam, eſt abſurdum. Si ergo ex iis quæ ſunt, alia quidem ſunt corporea: alia verò incorporea: oſtenſum eſt autem neutra eorum doceri. Nihil docetur. Sic eſt etiam argumentandum. Si docetur aliquid, eſt verum aut falſum. Non eſt autem falſum eiuſmodi vt poſsit doceri, vtpote de quo eo ipſo conſentiatur. Neque verum. Verum enim eſt dubium, vt oſtenſum eſt in Commentariis ſcepticis. Dubia autem diſci non poſſunt. Non eſt ergo aliquid quod docetur. Vt ſummatim autem dicam. Si aliquid docetur, aut eſt artificioſum, aut caret arte. Et ſi arte quidem caret, non poteſt doceri. Sin autem ſit artificioſum, eo ipſo quòd apparet, ne artificioſum quidem eſt, nec poteſt doceri. Quod ſi ſit obſcurũ & non appareat, rurſus propter obſcuritatem & quòd non ſit euidens, non poteſt doceri. Cum quo etiam ſimul tollitur is qui docet, propterea quòd non habet quod ſit docturus: & is qui diſcit, propterea quòd non habeat quod diſcat. Et tamen de vtroque eorum ſeorſum tractantes dubitabimus.

Falſum non docetur.

Verum non docetur.

De eo qui docet, & eo qui diſcit. Cap. 4.

NAM ſi eſt aliquis eorum, aut arte carens, ſimiliter docebit eum qui caret arte: aut artifex eum qui eſt ſimiliter artifex: aut contrà. Sed neque qui arte caret docere poteſt eum qui caret arte, vt neque cæcus poteſt cæcum ducere: neque artifex ſimiliter eum qui eſt artifex. neuter enim eorum opus habet vt diſcat. Nec hic magis illo, quàm hoc ille opus habet ad diſcendum, cùm ſint pares vtriuſque facultates. Neque is qui arte caret artificem. Perinde enim eſſet ac ſi quis diceret videntem duci ab orbo. Nam qui arte caret, ad artificioſas orbus contemplationes, non poſſet ea docere quæ planè non nouit, & artifex perſpiciens in artificioſis contemplationibus, & earum habens cognitionem, non opus habebit eo qui ſit docturus. Reſtat ergo vt artifex dicatur doctor eius qui caret arte, quod quidem eſt abſurdius prioribus. Nam & in Sceprico in Contemplationibus artis à nobis dubitatum eſt de artifice: & qui caret arte, neque quando eſt arte carẽs, poteſt fieri artifex: neque quando eſt artifex, adhuc fit artifex, ſed eſt. Nam cùm eſt quidem arte carens, ſimilis eſt ei qui eſt ab ortu cæcus aut ſurdus. & quomodo iſte à natura non habet ingeneratum, vt ad colorum aut vocis vnquam veniat cogitationem: ita neque qui caret arte, quatenus eſt arte carens, occæcatus & obſurdeſcens

Qui doceat, nullus eſt, neq; qui diſcat.

Arte carẽs nõ docet arte carentem.

Artifex neque arte carẽtem docet, nec artificem.

descens ad artificiosas contemplationes, earum aliquam potest videre aut audire. Et cùm effectus fuerit artifex, non amplius docetur, sed est doctus. Traducendæ autem sunt dubitationes ex iis quæ sumus argumentati de Mutatione & Affectione, & Ortu & Interitu in contradictionibus aduersus Physicos. Nunc autem cùm concesserimus iis qui disciplinas profitentur, esse rem aliquam quæ docetur, & esse aliquem qui docet: similiter autem & eum qui discit, postea exigamus viam ac modũ discendi. Existit enim doctrina aut operatione aut oratione. Sed ex his, operatio quidem est ex iis quę ostendi possunt: quod autem ostendi potest, apparet. Quod autem apparet, quatenus apparet, vt quod communiter possit ab omnibus apprehẽdi, est eiusmodi vt doceri non possit. Non enim quod re ipsa potest ostendi, est eiusmodi vt possit doceri. Quod ergo operatione ac re ipsa ostendi potest, non potest doceri. Oratio autem aut significat, aut non significat. Et nihil quidem significans, ne alicuius quidem est magistra ac docens aliquem. Significans autem, aut natura significat aliquid, aut ex instituto ac impositione. Et natura quidem non significat, propterea quòd non omnes Græci omnes audiant barbaros, & barbari Græcos, aut Græci Græcos, aut barbari barbaros. Ex instituto autem & impositione si significat, est perspicuum, quòd iis quidem qui anticiparunt ea quibus impositæ fuerunt dictiones, ea etiam apprehendent, non ex eis docti id quod ignorabatur, sed id quod sciebant renouantes. Non itidem autem ij qui opus habent vt discant ea quæ ignorantur. Si ergo neque est quod docetur, neque qui docet, neque qui discit, neque modus discendi: est perspicuum quòd neque est disciplina, neque qui præsit disciplinæ. Sed quoniam non solùm vniuersè & in genere polliciti sumus nos esse dicturos aduersus omnes qui profitentur disciplinas: sed etiam priuatim ac separatim aduersus vnumquenque ponentes: esse aliquam disciplinam, & posse fieri vt discatur, consideremus an vniuscuiusque disciplinæ possit esse professio: ad refellendum sumentes non omnia quæ dicuntur apud eos qui refelluntur. hoc enim cum eo quod est asperum ac molestum, non certa etiam procedit via ac ratione, quandoquidem fortasse etiam fieri non potest. Neque quælibet ex omnibus (hoc enim fortè nec ad eas pertingit) sed ea quæ cùm tollantur, simul omnia tolluntur: & quomodo qui oppidum conantur capere, in eo studium & operam ponunt vt iis potiantur, quibus captis oppidum quoque captum sit, vt qui muros diruant, aut classem incen-

Docẽdi nullus est modus nec discendi.

Doctrina existit aut operatione aut oratione.

Quod ostenditur non docetur.

Oratio aut significat, aut non significat.

ἀπερισκελὲς

incendant, aut commeatus intercludant. Ita nos quoque aduersus eos depugnantes qui profitentur disciplinas, idem tentemus aduersus ea ex quibus eis salua sunt omnia, nempe vel principia, vel vniuersas methodos quæ deducuntur ex principiis, vel fines. In his enim vel ex his constat omnis disciplina.

Aduersus Grammaticos. Cap. 5.

STATIM autem nobis incipiat inquisitio aduersus Grammaticos. Primùm quidem, quoniam propemodum ab infantia & ab ipsis incunabulis tradimur Grammaticæ. Ea est autem velut quidã carceres quibus emittimur ad alias discendas. Deinde quòd supra omnes glorietur scientias, idem ferè promittens quod Sirenes. Nam illæ quidem scientes hominem esse sciscitandi & audiendi cupidum, & magnum veritatis desiderium esse illius pectori insitum, non solùm diuinis versibus se prętemauigantes esse delinituras pollicentur, sed ipsos ea quoque quæ sunt docturas. Dicunt enim,

Grammatica gloriatur supra omnes scientias.

Grammatica idem promittit quod Sirenes.

Odyss. 12.

Huc age percelebris Græcorum gloria Vlysses,
Siste ratem, vox nostra tuas pertingat vt aures.
Hàc prius haud vlli transgressa est cerula puppis,
Oris quàm audierit dulcissima carmina nostri.
Is lætus verò & discens permulta recessit,
Scimus enim Troûm & Danaûm quoscunque labores,
Quos magna in Troia nutu subiêre Deorum,
Atque alma in terra scimus quæcunque geruntur.

Grammatica autem cum eo quòd distinguit fabulas ab historiis, in hoc quoque glorians quòd dialectos discernat, & artem orationis & varietatem lectionum, auditoribus sui magnum affert desideriũ. Sed ne metam videamur prætergredi, ostendendum est quot sint Grammaticæ, & de quanam ex iis sit nobis propositum quærere.

Quot modis dicitur Grammatica. Cap. 6.

Grammatica dicitur multis modis.

GRAMMATICA ergo dicitur per homonymiam, & communiter & propriè. Et communiter quidem, cognitio cuiusmodicunque literarum, seu Græcarum, seu barbararum, quam solemus appellare Grammaticam. Propriè autem ea quæ est perfecta & absoluta, & quæ fuit elaborata studio ac diligentia Cratetis Mallotæ, & Aristophanis & Aristarchi. Videtur autem vtraque ex quadam etymologia eodem nomine esse appellata. Prima enim à literis quibus signamus

mus voces articulatas. Secunda autem fortasse quidem, vt nonnulli censuerunt, ordinatius à prima est enim pars eius. Et quomodo medendi ars olim quidem fuit appellata ἰαξικὴ à venenosis succis, qui ἰοὶ dicuntur, eximendis. Dicitur autem nunc quoque de propulsatione aliorum morborum & affectione, cùm sit longè artificiosior. Et quomodo Geometria ab initio quidem suam attraxit appellationem ex dimensione terrę, ponitur autem in præsentia etiam in cōtemplatione rerum magis naturalium. Ita etiam perfecta Grammatica à literarum cognitione in initio nominata, extensa est ad cognitionem quæ versatur in variis & magis artificiosis earum contēplationibus.

Medicina cur Græcè dicatur ἰαξικὴ.

Geometria vnde sic appellata.

Grammatica vnde sic dicta.

Fortasse autem, vt dicit Asclepiades, ipsa quoque nominata est à literis, sed non ab iisdem à quibus Grammatistica seu ars literatoria. Sed illa quidem, vt dixi, dicitur ab elementis: hæc verò à scriptis in quibus versatur. Nam ea quoque appellantur literæ, quomodo etiā publicas vocamus literas: & multarum literarum dicimus esse peritum, hoc est, non elementorum, sed scriptorum. Et Callimachus aliquando quidem poëma vocans γράμμα, hoc est literam seu scriptum, aliquando autem quod sctiptum est soluta oratione, dicit,

Literæ quænam dicātur.

Creophili cecini quo pulchro carmine cursum
En opus, & canto quæ Eurytus ille tulit.
Et flauam Iolaën, & Homerica litera dicor.
Creophili magnum ô Iupiter hoc opus est.

Callimachus in hymnis.

Et rursus dicens,

Nitide Phœbe vale, Cleombrotus Ambraciotes
E muro ad Ditis desiliisse domum
Est ausus, dignum cùm haud finem morte videret.
Litera sed de anima lecta Platonis erat.

Sed cùm sit duplex Grammatica, alia quidem quæ profitetur se docturam esse elementa & eorum connexiones, & vt paucis dicam, est ars quædam legendi & scribendi: alia autem præter hanc facultas profundior, quæ non sita est in nuda literarum cognitione, sed etiam in examinanda earum inuentione & natura, & præterea in orationis partibus quæ ex iis constant, & si quid eius generis consideratur: propositum nunc est non dicere contra priorē: in hoc enim conueniunt omnes quòd sit vtilis: inter quos est etiam annumerandus Epicurus, etiam si videatur esse inimicus eorum qui profitentur disciplinas. In libro quidem certè De donis & gratia, conatur docere, quòd necesse sit sapiētibus docere literas. Et alioqui nos dixerimus, quòd

Grammatica duplex.

Grammatica quæ docet cōnectere elementa est vtilis.

Epicurus inimicus disciplinarum.

Epicurus probat Grammaticam docentē connectere elementa.

non solùm sapiẽtibus, sed etiam omnibus hominibus. Est enim perspicuum quòd omnis artis finis est vitæ vtilis. Ex artibus autem, aliæ quidem in primis accesserunt pro declinandis ac depellendis iis quæ sunt molesta: aliæ autem pro inueniendis iis quæ sunt vtilia. Et ex primo quidem genere est ars medicinæ, vt quæ sit ars remedium afferens & dolores soluens: ex secundo autem ars gubernandi. eo enim vsu qui ex aliis gentibus percipitur maximè opus habent omnes homines. Quoniam ergo Grammatica per literarum excogitationem otiosissimè quidem medetur affectioni, nempe obliuioni: continet autem operationem maximè necessariam, nempe memoriam, omnia ferè in ea sita sunt. & neque ea quæ sunt maximè necessaria absque ea alios licet docere, & nec sine ea aliquid vtile ab alio disci potest. Est ergo Grammatica longè vtilissima. Eam quidem certè ne si voluerimus quidem, poterimus tollere vt non euertamur. Si enim vtiles sunt argumentationes quæ Grammaticam docent inutilem, neque verò memoriæ mandari, neque rursus tradi absque ea possunt, vtilis est Grammatica. Atqui nonnullis videri posset in contraria esse opinione, eorum quæ à Pyrrhone dicuntur, Vates Timon, cùm dicit,

Artes cur inuentæ.

παιωνὶς οὖσα.

Grammaticæ vtilitas.

Timon non dissẽtit à Pyrrhoneis de Grammatica.

Grammaticæ ratio minimè & respectus habetur
Illi qui Cadmi Phœnicia signa docetur.

Quòd autem non ita se habeat, est manifestum. Nam quod ab eo dicitur, non est aduersus ipsam Grammatisticam seu literatoriam, qua Cadmi Phœnicia signa docentur, nempe illud Ratio & respectus habetur. Quomodo enim si quis eam docetur, eius nullam rationem habuit nec eam curauit? Sed potius hoc dicit, Qui Cadmi Phœnicia signa doctus est, eum præterea nullam aliam curare Grammaticam. Quod quidem eò redit, non vt sit inutilis hæc quæ consideratur in elementis, & in scriptione & lectione quæ per ipsa efficitur, sed ea quæ perperam discitur estque curiosa ac superuacanea. Nam vsus quidem elementorum confert ad vitam traducendam: sed non esse contentum traditione quæ existit ex obseruatione, præter ea autem ostendere, quòd alia quidem sunt natura vocalia, alia autem consonantia: & ex vocalibus alia quidem sunt natura breuia, alia verò longa, alia autem ancipitia & cõmunia, quod ad productionem attinet & correptionem, & alia de quibus docent fastu inflati Grammatici. Quamobrem Grammatisticam quidem & literatoriam non solùm non accusamus, sed etiam summas ei habemus gratias. Ad eã autem

quæ

quæ restat refellendum adhibemus argumenta. Recténe autem an non, sciemus cùm cuiusmodi ea sit, explicauerimus.

Quid est Grammatica. Cap. 7.

QVANDOQVIDEM, ex sapientis Epicuri sentẽtia, neque quærere neque dubitare licet absque anticipata notione, bene erit si ante omnia consideremus quid sit Grammatica, & an ex notione quę traditur à Grammaticis, possit intelligi disciplina aliqua quę constet & existat. Atque Dionysius quidẽ Thrax in præceptis dicit, Grammatica est experientia maxima ex parte, eorum quæ dicuntur apud poëtas & scriptores, scriptores vocans, vt est perspicuum ex eo quòd eos opponit ex aduerso poëtis, non alios quàm qui scripserunt soluta oratione. Quæ sunt autem apud poëtas & scriptores videtur interpretari Grammaticus, vtpote apud Homerum & Hesiodum & Pindarum & Euripidem & Menandrum: eorumque quæ sunt apud scriptores, vtpote Herodotum & Thucydidẽ & Platonem interpretationem, tanquam proprio munere fungens, aggreditur. Quamobrem qui sunt ex eis insignes & elegantes, de multis tractarunt scriptoribus, tum historicis, tum oratoribus, atque adeò etiam philosophis. quærentes quænam rectè ab eis dicta sunt & consentaneè linguæ proprietati: & quænam prauè ac corruptè. Quídnam significet, verbi gratia apud Thucydidem ζάγκλον & τορνεύοντες: & apud Demosthenem: Clamabant tanquam ex plaustro: aut quomodo legenda sit apud Platonem dictio ἦλις, an tenuiter proferatur prima syllaba an aspiratè: an prima quidem tenuiter, secunda autem aspiratè: an ambæ tenuiter, an contrà. Propterea enim dicta est Grammatica experientia eorum quæ dicuntur apud poëtas & scriptores. Atque hic quidem sic dicit. cum autem reprehendit Ptolemæus Peripateticus, dicens quod non oportebat eum dicere experientiam esse Grammaticam. Ipsa enim experientia est diuturnus quidem vsus & operans absque arte & ratione, positus in sola obseruatione & exercitatione. Grammatica autem est ars, non considerans quòd hoc nomen ponitur etiam in arte, vt docuimus in Commẽtariis Empiricis, cùm vita indiscriminatim eosdem vocet peritos & artifices. Ex qua quidem notione dixit etiam Metrodorus, nullam aliam rerum experientiam considerare suum finem quàm philosophiam, hoc est, nullam artem. Ponitur autem per excellentiam pro cognitione multarum & variarum rerum. quomodo etiá senes, qui multa quidem viderunt, multa

Absq; notione nec quærere nec dubitare licet, vt vult Epicurus.

Dionysius Thrax.

Grammatica quid sit, an experientia.

Scriptores qui sint.

Grammatica non est experientia.

Ptolomęus Peripateticus.

Experientia quid sit.

Periti & artifices iidem.

multa autem audierũt, dicimus habere magnam vitæ experientiam. vt etiam ſcribit Euripides,

Euripides.

Non omnia ô fili ſenectuti mala
O Theocleos adſunt: nanque experientia
Quàm iuuenes loqui poteſt ſapientius.

Ad quod quidem Thrax ille fortaſſe tendens ſignificatum, quandoquidem vult Grammaticum eum eſſe qui multa nouit & didicit, dixit Grammaticam eſſe experientiam eorum quę dicuntur apud poëtas & ſcriptores. Quamobrem hoc quidem eſt ſatis leue: Illud autem forte quiſpiam paulò magis grammaticæ hærens quæſtioni, dicet illi. Aut enim eorum quæ apud poëtas & ſcriptores dicuntur, ſolùm experientiam accidit eſſe Grammaticam: aut eorum quæ nec ſunt apud poëtas neque apud ſcriptores. Sed non dixerint eorum ſolùm quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores eſſe experientiam, propterea quòd ea aliquando adducat ſermones qui ſunt in manu plebeiorum eorumque qui ſunt planè rudes & ignari, arguitq́; & oſtendit quódnam ſit barbarum & Græcũ, & quod ſit Solœcum, & quod non ſit eiuſmodi. Si autem eſt experientia etiam eorum quæ non dicuntur ſolùm apud poëtas, neque ſcriptores, non oportebat dicere eam eſſe quod ex parte eam habere accidit. Sed mittentes de his ſubtiliter differere, conſideremus, vt polliciti ſumus, an, quod ad hãc attinet notionem, Grammatica poſsit finem ſuſtinere. Quando ergo dicunt eam eſſe maxima ex parte experientiam eorum quæ dicũtur apud poëtas & ſcriptores, omnium dicunt aut aliquorum. Et ſi omnium, primum quidem nõ vtique maxima ex parte, ſed omnium.

Grammatica non eſt experientia.

Et ſi omnium, etiam infinitorum, ea enim ſunt infinita. Infinitorum autem non eſt experientia. Quamobrem nec erit quidẽ vlla Grammatica. Sin autem aliquorum, quandoquidem etiam plebeij ſcientes quædam ex iis quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores, non habent grammaticam experientiam, nec ea dicenda eſt Grammatica. Niſi forte dicãt propterea dictum eſſe maxima ex parte, vt & ad eam quę eſt omnium alicubi dubitationem, & ad eam quæ eſt apud plebeios & ignaros ponatur differentia. Nam à plebeio quidẽ differt Grammaticus, quòd non paucorum vt ille, ſed plurimorum quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores ſit peritus: ſeparatus eſt autem à cognitione omnium quæ vtique minimè eſſe poteſt: quandoquidem non omnia, ſed ex ipſis plurima ſe noſſe profitetur. Hæc autem non ſunt eius qui reſpondet ac ſe defendit, ſed eius qui malis addit mala, &

Infinitorum non eſt experientia.

Grammaticus in quo differt à plebeio.

qui

qui non modicas, ſed maximas & ineuitabiles attrahit dubitationes. Primum quidem ſicut multa, minimè ſunt definita ac terminata, & Soriticam ſeu acerualem generant dubitationem: ita etiam plurima. Quamobrẽ aut ipſa nobis circunſcribant, oſtendentes ad quàm multas vſque cognitiones eorum quæ apud poëtas aut ſcriptores dicuntur dicendum ſit: aut ſi in interminata manent promiſsione, dicentes ſe noſſe plurima, admittant eam, quæ ex minimo fit, interrogationem. Nam plurimo definito numero, qui eſt vno minor iam eſt plurimus. eſt enim planè abſurdum, vnitatis additione illum quidem dicere plurimum, hunc verò minimè. Quamobrẽ ſemper vnitate creſcens qui ex eorum ſententia eſt plurimus numerus, eò omnino redibit vt non ſit amplius plurimus numerus, & ideo nec Grãmatica. quod quidem erat cõcluſio Soriticæ dubitationis. Quemadmodum autem non eſt grammaticæ planè craſsitudinis, in multitudine infinita dicere plurima. Quomodo enim paucius refertur ad aliquid, & conſideratur ac intelligitur ex ea quæ eſt tanquam ad plurimum habitudine: ita etiam plurimum conſiderabitur ex ea quæ eſt ad paucum habitudine. Si ergo plurimorum quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores experientiam habent Grammatici, paucorum quæ ſunt reliqua non habent. Si autem & quod ſumptum eſt eſt plurimũ, & quod relictum eſt eſt minus, non eſt vtique amplius vniuerſum infinitum. Et tamen, vt nihil de his exactius & accuratius tractemus, falſum eſt quòd Grãmaticus plurima nouit ex iis quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores. Sunt enim pauciſsima, cùm reſtent multis partibus plura quæ non nouit, vt oſtendã quæſtione procedente. Nunc autem conſideranda eſt alia definitio. Aſclepiades ergo reprehendit Dionyſium Thracem, qui dicit Grammaticam eſſe experiẽtiam, & propter eam cauſam quam dixit Ptolemæus. Reprehendit autem etiam propterea quòd eam pronunciet maxima ex parte experientiam. Nam hoc quidem eſt artium coniecturalium & quæ ſub artem non cadunt, vt eſt ars gubernandi & ars medendi. Grammatica autem non eſt coniecturalis, ſed ſimilis muſicæ & philoſophiæ. Niſi forte, inquit, vitæ timuit breuitatem, vt quæ non ſufficiat ad omnia comprehendẽda. quod quidem eſt abſurdum, ſi Grammatici & non Grammaticę faciat definitionem. quandoquidem ipſe fortaſſe non erit ſciens eorum omnium quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores, cùm ſit animal breuis vitę: Grammatica autem eſt omnium cognitio. Huius itaque definitionis parte mutata, parte ablata, ſic Gram-

Interrogatiõ ex minimo.

Numerus plurimus & minimus.

Plurimus & paucus ſunt relatiua.

Aſclepiades.

Grammatica nõ eſt ars coniecturalis.

Grammaticæ definitio quã tradit Asclepiades.

maticæ definit notionem: Grammatica eſt ars eorum quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores. Ille autem minimè ſuſtulit dubitationes, ſed auxit:& in quibus vult augere Grammaticam, in iis eam ſuſtulit. Sit enim cognitio omnium quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores. Ergo quoniam nihil eſt cognitio præter eum qui nouit: Nec Grammatica eſt pręter Grammaticum qui nouit, vt neque deambulatio præter eum qui deambulat, & ſtatus præter eum qui ſtat, & accubitus pręter eum qui accumbit. Concedit autem Grammaticam non habere omnium cognitionem. Non eſt ergo vtique cognitio omnium quę dicuntur apud poëtas & ſcriptores:& propterea nec Grãmatica. Et alioqui ſi ars eſt Grammatica, cùm ſit cognitio omnium

Ars quid ſit.

quæ dicuntur apud poëtas & ſcriptores: ars autem eſt conſiſtens collectio ex comprehenſione eorum quę ſunt in Grammatico: neceſſario cùm nemo habeat comprehenſionẽ omnium quæ dicuntur apud

Grammaticæ perfectæ definitio quã tradit Chares.

poëtas & ſcriptores, conſiſtere & eſſe non poteſt Grãmatica. Chares autem in primo De Grammatica, perfectam Grammaticam dicit eſſe habitum ex arte, habentem vim diſcernendi exactiſsimè ea quæ apud Græcos & dici poſſunt & cadunt ſub intelligentiam, præter ea quę ſunt ſub aliis artibus, id poſtremum adiiciens, non leuiter

Artibus non ſunt ſubiecta quæcunque dici poſſunt.

Grammatica nõ eſt ars eorum quæ ſubiecta ſunt artibus.

nec ſuperfluè. Nam quoniam eorum quæ apud Gręcos dici poſſunt & quę veniunt ſub intelligentiam, alia quidem ſubiecta ſunt artibus, alia autem minimè: eorum quidem quę ſubiecta ſunt artibus nõ exiſtimat eſſe artem & habitum Grammaticam. vt in Muſica quidem, concentus diateſſaron & mutationis ſyſtematum: in Mathematica autem, defectus aut poſiturę circulorum. Eadem ſunt autem intelligenda etiam in aliis artibus. Nullius enim eorum quę ſunt illis ſubiecta cognitio eſt Grammatica: ſed eſt quędam via, ratio ac methodus aliorum quę præter eas & dici poſſunt & veniunt ſub intelligẽtiam. Eorum quidem quæ veniunt ſub intelligentiã, quòd πίσυρες ſunt quatuor: & quod βῆσσαι & ἄγκεα ſunt loca ſita infernè. Eorum autem quæ dici poſſunt, nempe eorum quæ verſantur in proprietate ac diuerſitate ſermonis. vt quod hoc quidem dictum eſt Doricè: hoc autem

Significatum quod ſignificat, & quod ſignificatur.

AEolicè. & non vt Stoici, quòd ſignificatum contra ſit quod ſignificat. Nam quod venit ſub intelligentiam, accipitur in eo ſolo quod ſignificatur. Videtur autem etiam mouere aliquid quod dictum eſt à

Criticus differt à Grammatico.

Cratete. Ille enim dicebat Criticum differre à Grammatico. & Criticum quidem dicit oportere eſſe peritum omnis ſcientiæ Logicæ: Grammaticum autem eſſe tantùm interpretem linguarũ, & tradere accentus,

accentus, & ea scire quæ sunt his similia. & ideo illum quidem esse similem Architecto, Grammaticum autem ministro. Sed eiusmodi quidem est illius definitio, partim quidem minus mala quàm sint absurda quæ dicit Dionysius: partim autem peior. Nam quòd à soritica quidem dubitatione soluerit Grammaticam, & ab alienis separauerit contemplationibus Musicæ & Mathematicæ, vt quæ ei non conueniant, per se est euidens: sed eã non liberauit ab eo quod non consistat. imo verò laborauit & opẽ tulit ad hoc vt ea sit eiusmodi. Nam Dionysius quidem in aliquo definiit terminum ac limitem Grammaticæ, statuens eã in solis poëtis & scriptoribus: iste verò vult eam versari in omni voce Græca & in omni significato. quod quidem, si fas est dicere, ne Deus quidem præstare potest. Nam vt prius dicebamus, nulla certa via ac methodus consistit in aliquo infinito: imo verò ipsa hoc finit ac terminat. eorum enim quæ sunt non definita & interminata vinculum est scientia. Res autem quæ significant & significantur sunt infinitæ. Non est ergo Grammatica ars quæ versatur in iis quæ significant & quæ significantur. Quinetiã sunt omne genus vocum mutationes: fueruntque antea, & rursus erunt: mutatione enim delectatur seculum, non solùm in arboribus ac plantis & animantibus, sed etiam in verbis. Constantẽ autem infinitatem, nedum eam quæ mutatur, fieri non potest vt humana inueniat cognitio. Nec hac ergo ratione constabit Grammatica. Alioqui aut artificiosum existimat esse habitum, aut artis expertẽ. Et si artificiosum, quomodo non eum quoque dixit esse artem: quin etiam id ex quo est. Sin autem artis expertem: quoniã fieri non potest vt per id, quod caret arte, cernatur id quod est artificiosum: non consistet vllus grãmaticus habitus, artificiosè discernens ea, quæ apud Græcos significant & significantur. Demetrius autem cognomine Chlorus, & quidam alij Grammatici ita definierunt: Grammatica ars est cognitio dictionum quæ sunt apud poëtas, & quæ sunt in communi consuetudine. Manent autẽ his quoque eędem dubitationes. Neque enim omnium quę dicuntur apud poëtas potest esse ars Grãmatica, neque aliquorum. Et vt sit quidem omnium, eo ipso fieri non potest: siquidem & de Diis, & de virtute, & de anima dicitur apud poëtas, quorũ Grammatici nullam habent experientiam. Aliquorum autem, propterea quòd id non in solos cadit Grãmaticos, sed etiam in aliquos alios, vtpote Philosophos & Musicos & Medicos. Nã illi quoque quædam conspexerunt ex iis quæ sunt apud Poëtas. Et rursus dum

Infiniti nulla est methodus.

Scientia vinculum nõ definitorum & interminatorum.

Mutatione delectatur seculum.

Grammaticæ definitio Demetrij Chlori.

dicunt

dicunt Grammaticam esse cognitionē dictionum quæ sunt in communi vsu & consuetudine. si quidem vniuersè sumant & in genere, quòd si quæ sunt dictiones in communi consuetudine, illarum cognitio est Grammatica, errant. Sunt enim infinitæ dictiones in communi consuetudine: infinitorum autem non est cognitio. Sin autem tendunt ad id quod est singulare, quod perinde est ac si dicas, Sunt quædam dictiones in communi consuetudine, quarum cognitio est Grammatica, ne sic quidem facient Grãmaticam. Atheniensis enim habet cognitionem dictionum quæ sunt in vsu in Attica: & Doriensis earum quæ sunt in vsu in regione Dorica: & orator earũ quæ sunt in vsu in arte oratoria: & medicus earum quæ in arte Medicinæ. Si autē dicant omnium quæ sunt in communi vsu ac consuetudine cognitionem, non tanquam singularium & omnium quæ sunt sigillatim (hoc enim re vera non potest fieri) sed omnium quæ vniuersè & in genere supremo sunt in dialectis & linguarum proprietatibus, vt quòd sit quidem Doriensium vti tali tono: Ionum autem alio, dicent quidem fortasse aliquid probabile, non tamen verum. Neque enim est vnus mos in vnaquaque lingua. sunt enim multæ Doricæ & Atticæ: neque regulæ, quas videntur tradere, extenduntur ad omnem dictionem: sed procedunt quidem vsque ad quantitates & ad tonorum similitudines, vtpote quòd sint oxytonæ vel barytonæ: vt autē omnes comprehendant minimè fieri potest. Atque hæc quidem dicta sint exempli gratia, ad hoc quòd Grãmatica sit eiusmodi vt non consistat, quod attinet ad eius notionē quæ est apud Grammaticos. Consequenter autem aggrediamur & examinemus eas contemplationes, quæ sunt in ea principales, & ex quibus maximè accipit substantiam.

Mos non est vnus in vnaquaque lingua.

Quæ sint partes Grammaticæ. Cap. 8.

Grammaticæ quot sint partes.

Cvm magna sit & inutilis apud Grammaticos dissensio de partibus Grammaticæ, ne id quod in transitu & propter aliud adducitur, videatur tenere locum principis incepti ac instituti, neque alienam & in præsentia inutilem ingredientes materiã, deseramus contradictionem magis necessariam, sufficiet dicere citra calumniam, quòd Grammaticę alia quidem pars est historica: alia verò artificiosa: alia autem magis propria, per quam certa via ac ratione tractantur quæ sunt apud poëtas & scriptores. Ex quibus artificiosa quidē est illa, in qua statuunt de elementis & partibus orationis, & orthographia,

graphia, & linguæ Græcæ proprietate, & iis quæ consequuntur. Historica autem vbi docent de personis, vtpote diuinis & humanis & heroicis: aut narrant de locis, vt de montibus vel fluuiis: aut tradunt de figmentis & fabulis, aut si quid est eiusmodi. Magis propria autē est, qua considerant quæ sunt in poëtis & scriptoribus, quatenus exponunt ea quæ dicuntur obscurè, & iudicant quæ sunt bona & quæ secus, & distingunt germana ac sincera ab adulterinis. Eæ autem, vt eas rudi ac crassa Minerua complectar, sunt partes Grāmaticæ. Sunt verò cogitandæ ac intelligendæ, non purè ac sincerè: neque vt si dicas, partes hominis sunt anima & corpus. Nam hæc quidem cogitantur ac intelliguntur, vt quæ sint à se inuicem diuersa. Artificiosa autem, & historica, & quæ in poësi & in scriptionibus versatur, partes Grammaticę, magnā habent cum reliquis connexionem & coniunctionem. Poëtarum enim examinatio non fit absque parte artificiosa & historica. & vtraque earum non consistit absque connexione aliarum. Quomodo ergo qui dicunt artis medendi partes esse victus rationem, chirurgiam, medicamentorum exhibitionem, sic dicunt, vt quòd in contemplationibus eæ valde inter se cohęreant. Victus enim ratio non venit absque medicamentorum exhibitione & chirurgia. Et rursus medicamentorum exhibitio continetur etiam à virtute aliarum: Ita etiam in præsentia, nō est seiuncta vnaquæque pars, neque pura ac sincera à commistione aliarum. Hoc autem prius explicauimus non abs re neque leuiter ac per trāsitum, sed vt sciamus, quòd si ostensum fuerit ex iis aliquam non posse consistere, vi ac potestate reliquæ quoque sunt sublatæ, quarum vtraque consistit non absque ea, quæ est sublata. Et tamen non hoc faciemus, quamuis hæc sit via compendiaria: sed tentabimus dicere aduersus vnamquāque, perinde ac si non egeret aliarum præsentia. Ordine autem incipiendum est à prima.

Partes Grammaticæ non sunt inter se omnino diuersæ.

ἀνάκριτοι.

Partes medicinæ non sunt inter se diuersæ, & quenā sint.

Quòd nullam certam viam, rationem ac methodum habeat, neque possit consistere artificiosa pars Grammaticæ. Cap. 9.

PROPTER multa quidē alia est diligenter examinandum Grammaticæ artificium: maximè autem quòd de eo sibi placeant & se magnificè iactent Grammatici, eos autem semper insectantur qui sunt aliis ornati disciplinis, vt qui ne Græcorum quidem communem vsum sciant ac consuetudinem: & etiam propterea quòd si quando premantur in quæstione, sæpe non inueniant aliam euadendi ratio-

Grāmaticorum iactātia.

nem ad eos abſtrahendos, qui cum eis diſputant, quàm quòd ſit barbarum & Solœcum quod ab eis dictum eſt. Ad nos autem ad id hortandum non parum etiam debet habere momenti, cùm videamus Grãmaticos qui ne duo quidem ferè verba dextrè poſſunt contexere, velle vnumquenque ex antiquis, qui dicendi facultate & Græci ſermonis proprietate plurimũm valuerunt, vt Thucydidem, Platonem, Demoſthenem, tanquam barbarum arguere. Vna enim pro omnibus erit ſui aduerſus eos vlciſcendi ratio, ſi falsò appellatam eorum artem inertem, artis, inquam expertem oſtenderimus. Ordine autem nobis dicendum eſt primùm de elementis, ex quibus omnia apud eos cõſtant, & quibus ſublatis neceſſe eſt Grãmaticos eſſe agrammatos, hoc eſt, illiteratos. Cùm autem tribus modis dicatur elementum, nempe character & figura quæ ſcribitur, & vis eius, & præterea nomẽ, de vi maximè nunc procedat quæſtio. ea enim apud ipſos propriè appellata eſt elementum. Cùm ergo vocis quæ mandatur literis, ſint viginti quatuor elementa, earum duplicem in ſummo ponunt naturam. eorum enim alia appellant vocales, alia conſonantes. Et vocales quidem ſeptem α.ε.η.ι.ο.υ.ω. conſonantes autem reliqua. Vocalium autem tres dicunt differentias. Earum enim duas dicunt eſſe longas, nempe η. & ω. totidem autẽ breues, nempe ε. & ο. tres autem communes, quod ad lõgitudinem attinet & breuitatem, quas etiam vocant δίχρονα, id eſt duorum temporum, & ὑγρὰ, id eſt liquidas, & ancipites, & mutabiles. Eſt enim vnicuique earum à natura inſitum, vt aliquando quidem producatur, aliquando verò corripiatur: vt α. quidem in hoc verſu,

Elementum tribus modis dicitur.

Elemẽtorum ſeu literarum diuiſio.

Ἆρες Ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα id eſt,

Mars, Mars ſæue, hominum exitium, qui mœnia quaſſas.

ι. autem,

Ἴλιον εἰς ἱερὴν, τῷ δ' ἄντιος ὦρνυτ' Ἀπόλλων, id eſt,

Ilion ad ſacram, illi verò occurrit Apollo. υ. autem,

θεσπέσιον νεφέων ἐκ Διὸς ὗεν ὕδωρ, id eſt,

Diuina ex nimbis à Ioue limpha pluit.

Conſonantium autem alię quidem ſunt, vt ipſi volunt, ſemiuocales, aliæ autem mutæ. Et ſemiuocales quidem, quibus eſt à natura inſitum vt per ſe in prolatione efficiant ῥοῖζον, id eſt r literæ ſonum, vel σιγμὸν, id eſt ſonum literæ ſ, vel μυσμὸν, id eſt ſonum literæ m, vel aliquem alium ſonum, vt ζ.θ.λ.μ.ν.ξ.ρ.σ.φ.χ.ψ. vel vt volunt nonnulli, pręter θ.φ.χ. reliquæ octo. Mutæ autem ſunt, quę per ſe poſſunt ſyllabas efficere,

efficere, neque ſonorum proprietates, ſed ſolũmodo ſimul cum aliis prolatæ, vt β.γ.δ.κ.π.τ. vel vt nonnulli, etiam θ.φ.χ. Porrò autem rurſus communiter ex conſonantibus alias quidem dicunt eſſe aſperas, alias autem tenues. Et aſperas quidem ϑ.φ.χ. Tenues autem κ.π.τ. Solum autem ρ. dicunt ſuſcipere aſperitatem & tenuitatem. Dicunt autem ex conſonãtibus quaſdam eſſe duplices, nempe ζ.ξ.ψ. Dicunt enim conſtare quidem ζ. ex σ. & δ. ξ. autem ex κ. & σ. ψ. autem ex π. & σ. His autem priùs dictis veluti quibuſdam elementis, dico primum quidem ab eis abſurdè dici, quòd ex elementis quædam ſint duplicia. Nam quod eſt duplex, conſtat ex duobus. Elementum autem non conſtat ex aliquibus. debet enim eſſe ſimplex & non conſtitui ex aliquibus. Non eſt ergo duplex elementum. Alioqui ſi quę duplex conſtituunt elementum, ſunt elementa: Duplex quod conſtat ex elementis, non erit elementum. Atqui quæ conſtituunt duplex ſunt elementa. Non eſt ergo duplex elementum. Porrò autem vt literæ tolluntur, ita etiam ancipites, quæ communẽ cenſentur habere naturam longitudinis & breuitatis. Nam ſi ſunt huiuſmodi, ipſa ſeorſum litera, & ſolus character literarum α.ι.υ. oſtendit naturam ancipitis, & nunc quidem corripi, nunc autem produci poſſe accentu. Sed character quidem ſeorſum non indicat natura commune elementum. Neque enim oſtendit quòd producitur: neque quòd corripitur: Nec vtrunque ſimul, nempe quòd producitur, & corripitur. ſed quomodo quæ per ipſum conficitur ſyllaba, vt dictum eſt in dictione ἄρης, præterquam ſi addatur accentus, ſítne longa an breuis minimè cognoſcitur. Ita etiam α.ι.υ. ſi ſeorſum ſumantur, non erunt communia vtriuſque facultatis, ſed neutrius. Reſtat ergo vt cum accentu ipſa dicatur eſſe cõmunis. quod rurſus nullo modo poteſt fieri. Eum enim aſſumens, aut fit longa, quando eſt longa: aut breuis, quando eſt breuis: nunquam autem communis. Non ſunt ergo elementa natura ancipitia duorúmue temporum. Si enim dicant ea eſſe communia natura, ex eo quòd apta ſint ad vtrunque ſuſcipiendum, imprudentes propemodum in eandem deuoluentur dubitationem. Quod enim eſt aptum ad aliquid ſuſcipiendũ, non erit illud ad quod ſuſcipiendum eſt aptum. Quomodo enim æs aptum quidem eſt ſuſcipere vt ſit ſtatua, non eſt autem ſtatua, quatenus aptum eſt ad eam ſuſcipiendam. Et quomodo ligna quidem aptam habent naturam vt fiant nauis, nondum autem ſunt nauis: Ita etiam huiuſmodi elementa apta quidem ſunt ad ſuſcipiendam longitudinem & breuitatem: non

Duplices non ſunt literæ.

Ancipites non ſunt vocales.

Suſceptiuum nõ eſt id quod ſuſcipitur.

non sunt autem longa & breuia & neutrum, priusquam ab accentu accipiant qualitatem. Ad hæc quæ dicta sunt accedit, quòd sint repugnantia productio & correptio, & non possint simul consistere.

Repugnãtia nõ possunt simul cõsistere.

Nã per ablationem breuitatis consistit productio: & si tollatur longa, fit breuis: & si perimatur breuis, fit longa. Quamobrẽ fieri non potest, vt quæ est circunflexa sit breuis, propterea quòd cum circunflexione necessariò simul cõsistit productio. Quamobrem si est natura aliquod elementum anceps, aut simul in eodem consistet vis breuitatis & productionis: aut in parte. Sed vt simul consistat in eodẽ fieri non potest. In eadem enim prolatione simul non constiterint facultates quæ se inuicem perimunt. Restat ergo vt in parte. quod rursus non est credibile. Quando enim non est longum, tunc non est commune elementum in breuitate & longitudine, sed tantùm breue. Idem autem modus argumentandi fit etiam in iis literis, quæ sunt natura tenues aut asperæ, aut communes in vtroque. Nobis autem satis est ostendere genus argumẽtationis. Quinetiam quoniam sublata sunt communia: & ostensum est ea solùm produci aut corripi, sequetur etiam quòd vnunquodque sit duplex, illud quidem natura longum, hoc verò natura breue. Cùm ergo sit duplex α. & ι. & υ. non erunt septem solùm elementa seu literæ vocales, quarum duæ quidem longæ, nempe η. & ω. duæ autem breues, nempe ε. & ο. tres autem ancipites, nempe α. & ι. & υ. sed vniuersæ simul decẽ: & earum quinque quidem lõngæ η. & ω. & longum α. & ι. & υ. & totidem breues ο. & ε. & α. breue, & ι. & υ.

In accẽtibus quàm sint quædam absurda.

Sed quoniam Grammatici non existimãt tantùm duos esse accentus, nempe lõgum & breuem, sed etiam acutum, grauem, circunflexum, asperum, lenem: vnaquæque ex iis quæ ostensæ sunt vocalibus, habens seorsum aliquem ex his accentibus, fiet elementum. & qua ratione nullum erat elementum commune in longitudine & breuitate: sed vel longum tantùm, quando habebat longum: vel breue, quando habebat breuem: eadem ratione nullum erit commune in acuto & graui: sed vel acutum tantùm, quando assumpserit acutum: vel graue, quando grauem. Et si in aliis circiter quinque accipit accentus, breuẽ, acutum, grauem, asperum, tenuem. Longa autem rursus cùm duo sint, si ex abundanti accipiant etiam accentum circunflexum. ea enim producuntur & acuuntur & grauãtur, & à natura etiã peculiarius habent vt circunflectantur, fient duodecim. Communia autem cùm sint tria, in vnoquoque suscipiunt septem accentus.. fiúntque ea viginti & vnum: adeò vt ea omnia sint quadra-

quadraginta tria. Quibus si septemdecim addantur consonantes, fiunt sexaginta elementa, non autem viginti quatuor. Est autem alia quoque ratio, per quam contrà rursus censetur vocales esse pauciores iis septem quæ iactantur apud Grammaticos. Si enim, vt ipsi volunt, α. producatur & corripiatur, non est aliud elementũ, sed vnum commune. Similiter autem & ι. & υ. sequetur vt etiam ε. & η. vnum sint elementum eadem facultate commune. Si enim vis eadem ac facultas amborum, & correptum η. fit ε. productum autem ε. fit η. eodem modo autem ο. & ω. erit elementi vna cõmunis natura, productione differens & correptione: quandoquidem ω. quidẽ longum est ο. ο. autem breue est ω. Cæcutiunt ergo Grammatici, & non aspiciunt id quod est eis consequens, dicentes esse septem vocales, cùm sint solùm quinque natura. Contrà autem dicunt nonnulli Philosophi futura plura elementa, vt quæ vim non habeant diuersam ab iis quæ tradi solent. vt αι. & ου. & quidquid est similis naturæ. Elementum enim maximè iudicandum est esse elementum, ex eo quòd sonum habeat incompositum & vnicum, vt est sonus α. & ε. & ο. & cæterorum. Quoniam ergo sonus αι. & ει. est simplex & vniformis, erunt hæc quoque elementa. Quòd sit autem sonus simplex & vniformis, signum erit quod dicetur. Nam sonus quidem compositus, non qualis ab initio incurrit in sensum, talis natura permanet vsque ad finem, sed per extensionem fit diuersus. Qui autem est simplex, & re vera locum tenet elementi, contrà ab initio vsque ad finem est immutabilis: vt exempli gratia, cùm syllabæ πα. quidem sonus profertur in extensione, est perspicuum quòd non similiter eum apprehendet sensus in prima incursione & in vltima. Sed in principio quidem, à prolatione π. mouebitur: postea autem ea deleta, purè ac sincerè apprehendet vim literæ α. Quamobrem πα. non est elemẽtum, & quidquid est ei simile. Sed si dicant sonum αι. nihil erit huiusmodi: sed qualis ab initio auditur vocis proprietas, talis etiam in fine. Qua de causa αι. erit elementum. Cùm hoc autem ita sit, quãdoquidem & sonus ει. & sonus ου. vniformis & incompositus & immutabilis ab initio ad finem vsque accipitur, erit is quoque elementum. Sed missa illa inquisitione, illud dicamus quod magis potest premere Grammaticos. Si enim communia dicuntur elementa tria α. ι. υ. propterea quòd sint apta ad suscipiendam productionem & correptionem, sequetur vt omne elementum dicatur esse commune: est enim aptum ad suscipiendum quatuor accẽtus, nempe grauem, acutum,

Elemẽta quadraginta tria.

Vocales pauciores septem.

Elementum iudicatur ex sono vnico et incomposito.

Sonus simplex quomodo discernatur à composito.

Αι. & ει. et ου. sunt elementa.

Α. ι. υ. non sunt communia elementa.

tum,tenuem,asperum. aut si ferre non possunt vt omne elementum dicant esse commune, nec illa dicant communia, quòd apta sint ad suscipiẽdum productionem & correptionem. Atque sufficiebat quidem, cùm elementa Grammaticæ vocata sint in dubium, finem imponere quæstioni. Quid enim restat dicendum de iis, quę sunt post principia, Grammaticis qui principia non habent? non erit tamen alienum, progrediendo ad interiora, illorum quoque ostendendi gratia, facere periculum. Et quoniam syllabæ constant ex elementis, de eis subiungamus.

De Syllaba. Cap. 10.

Syllaba quomodo sit lõga. OMNIS ergo syllaba est aut longa aut breuis. Longa autem fit duobus modis, natura & positione. Natura quidem tribus modis: vel quando habet elementũ natura longum, vt in dictione ἡώς. vtraq; enim harum syllabarum est longa, propterea quòd illa quidem habeat η. hæc verò ω. natura longum: aut quando cõstat ex duabus vocalibus, vt in dictione αἰεί. Duæ enim syllabæ sunt longę, quòd vtraque sit ex duabus vocalibus: aut quando habet commune elementum in longo tono sumptum, vt in dictione Ἄρης. α enim vocalis anceps longo tono profertur. Natura ergo tribus modis syllaba producitur. Positione autem quinque modis: vel quando in duas simplices desinit consonantes: vel quando quæ eam sequitur syllaba, à duabus incipit consonantibus: vel quando desinit in consonantem, & quæ deinceps sequitur incipit à consonante: vel quando desinit in literam duplicem: vel quando post ipsam infertur duplex. Si igitur omnis syllaba est vel longa vel breuis, conuenienter iis modis qui traditi sunt ab arte: si ostenderimus eam neutrum esse eorum, est perspicuum quòd nec dictionem quidem habebunt Grammatici. Quomodo enim si tollantur elementa, simul etiam tollũtur syllabæ: ita etiam si tollantur syllabæ, ne erunt quidem dictiones, neque com- *Syllaba non est breuis.* muniter partes orationis, & ideo nec oratio. Vt ergo sit aliqua breuis syllaba, prius oportet confiteri quod sit tempus minimũ & breue *Tempus nõ est minimum.* in quo consistit. Non est autem minimum tempus. omne enim tempus diuiditur in infinitum, vt postea ostendemus. Si autem diuiditur in infinitum, non est minimum. Non est ergo syllaba breuis habens breue tempus. Quòd si dixerint se vocare breuem & minimam syllabam, non eam quæ est minima secundum naturam, sed eam quæ est minima ad sensum, augebunt dubitationem. Breues enim quæ

apud

apud eos dicuntur ſyllabas, non videmus eſſe quod ad ſenſum attinet diuiduas: vt exempli cauſa Pe. Senſiliter enim in ea animaduertimus, quòd ante vim literæ P. profertur vis literæ E. Et contrà, ſi dicamus Pe. rurſus apprehendemus, quòd prima quidem ordine eſt vis literæ P. ſecunda autem literæ E. Quoniam ergo quidquid primam & ſecundam partem habet ad ſenſum, ad ſenſum non eſt minimum: cernitur autem quæ eſt ex Grammaticorum ſententia breuis ſyllaba, habere primam partem & ſecundam: non eſt ad ſenſum minima & breuis ſyllaba. Nam Muſicis quidem fortaſſe poterunt relinquere quædam tempora rationis expertia & vocum augmenta: Grammaticis autem, qui non capiunt profunditatem huiuſmodi dubitationis, ſed ſolùm ſyllabam in genere diuidunt in breuem & longam, non æquum eſt ignoſcere. Non poteſt itaque breuis ſyllaba conſiſtere. Rurſus quoque longa erit huiuſmodi vt minimè eſſe poſsit. Eam enim dicunt eſſe duorum temporum. Duo autem tempora ſimul in ſe inuicem eſſe non poſſunt. Si enim ſunt duo, in hoc diſcernuntur & diſtinguuntur, vt duo ſint, quòd alterum quidem ſit inſtãs, alterum verò minimè. Si autem alterum quidem ſit inſtans, alterum verò non ſit, non ſunt ſimul in ſe inuicem. Quamobrem longa quoque ſyllaba, ſi eſt duorum temporum, debet quando primum quidem tempus eſt inſtans, tunc ſecundum non eſſe: & quando ſecundum eſt inſtans, tunc primum non eſſe amplius. Cùm autem ſimul eſſe non poſsint eius partes, tota quidem non conſiſtit, ſed aliqua pars eius. Sed pars eius non eſt ipſa, alioqui non differet longa à breui. Neque eſt ergo aliqua ſyllaba longa. Si autem dicunt lõgam ſyllabam intelligi per recordationem quæ ſimul exiſtit. Prius enim dicti ſoni recordantes, & eum qui nunc dicitur apprehendentes, id quod ex vtriſque componitur, dicimus eſſe longam ſyllabam. Si hoc dicant, nihil aliud quàm fatebuntur eiuſmodi ſyllabam non poſſe conſiſtere. Nam ſi conſiſtit, aut conſiſtit in eo quod prius profertur, aut in eo quod poſtea. Sed nec conſiſtit in eo quod prius profertur, nec in eo quod poſtea. vtrunque enim eorum ſeorſum non conſiſtens, ne ſyllaba quidem eſt omnino. Non conſiſtens autem neque eſt breuis nec longa ſyllaba. Neque in vtriſque. Nam alter eorum ſonorum altero cõſiſtente non conſiſtit. Ex eo autẽ quod eſt, nihil cogitare poſſumus compoſitum tanquam ex partibus. Nõ eſt ergo aliqua ſyllaba longa. His autẽ ſunt proportione conuenientia ea quoq; in quibus dubitãdum eſt de dictione & de partibus orationis. Nam primum

Muſici habent tempora rationis expertia.

Syllaba non poteſt eſſe longa.

Duo tempora ſimul eſſe non poſſunt.

Quod eſt, pro eo legendum, quod non eſt.

primum quidem, vt paulò ante subindicauimus, si non sit syllaba, ne fieri quidem potest vt sit dictio. ex syllabis enim dictiones accipiunt substantiam. Deinde etiam via ac ratione licebit in primis in ipsa dictione easdem tractare dubitationes. Aut enim est syllaba, aut constat ex syllabis. Quomodocunque autem se habeat, suscipies dubitationes à nobis expositas in syllaba. Ne tamẽ videamur nouis egere argumentis, hoc in loco alloquendi sunt nobis Grãmatici. Quando vocant aliquas partes orationis, vtpote Nomen, Verbum, Articulus, & reliquas, vndénam ea sumpserunt? Aut enim hæc tota vocant orationem: aut has illius partes, cùm neque hæc neque illa tanquam totum posit intelligi, neque hæ vt partes illius. Sumantur autem quæ ad causam faciant exempla, ne absimus à contemplationibus Grammaticæ. Sit ergo, vt ita ponamus, oratiò quidem totus hic versus,

Il. α. *Iram Peliadæ dic ô Dea carmine Achillis.*

partes autem eius hæ, nempe, Iram appellatiuum, & Dic verbũ imperatiuum, & Dea rursus appellatiuum fœmininum, & Peliadæ nomen patronymicum, & præterea Achillis nomen proprium. Aut ergo aliquid aliud est oratio quàm eius partes: & aliud partes quàm oratio: aut congeries partium existimatur oratio. Et si oratio quidẽ est aliquid aliud quàm partes, est perspicuum quòd si tollantur expositæ partes orationis, relinquetur oratio. Tantùm autem abest vt prius dictus versus maneat si omnes auferantur eius partes, vt si vnã quamlibet eius partem sustulerimus, vtpote Iram, vel Dic, non est amplius versus. Si autem congeries partiũ orationis intelligitur oratio, eò quòd nihil sit congeries præter ea quæ sunt congesta, quomodo distantia nihil est præter ea quæ distant: ita nihil erit oratio cuius non intelligentur aliquæ partes. Quòd si nulla sit tota oratio, nec partes aliquæ eius erunt. Quomodo ergo si nihil est dexterum, neque est sinistrum: ita si non sit aliquod totum oratio, nec erunt partes. In summa autem si congeriem partium orationis totam existimabunt orationem, iis erit consequens, vt partes orationis dicant sui inter se esse partes. Si enim nullum ponitur totum præter ipsa cuius erunt partes, erunt inter se partes. Consideremus autem hoc quàm sit à ratione alienissimum. Partes enim omninò continentur in illis, quorum dicuntur esse partes, proprium locum tenentes, & propriam habentes substantiam. Non continentur autem inter se: vt, exempli causa, hominis quidem partes sunt manus: manuum autem digiti.

Quam-

Quamobrem in homine quidem continentur manus: in manibus autem digiti: in digitis verò vngues. & non dextera quidem manus implet sinistram. index autem perficit pollicem, caput autem simul ponit pedes, & pedes thoracem. Vnde etiam erit dicendum partes orationis esse inter se inuicem partes, quãdoquidem oportebit ea in se inuicem contineri. Iram quidem esse in Dic: Dic autem in Dea: & in summa omnia in omnibus. quod quidem non potest fieri. Cùm ergo non possint partes orationis inter se inuicem esse partes, propterea quòd ea res nõ possit intelligi: neque vlla tota inueniatur oratio præter suas partes: neque vlla res inueniatur præter ipsas partes cuius dicimus esse partes, restat vt dicamus nullam esse partem orationis, & ideo nec orationem. Sic quoque est inferendum. Quoniã Iram pars est versiculi: aut pars est totius versus, aut illius partis, nempe, Peliade dic ô Dea carmin' Achillis. Sed si est quidem pars totius versus: quoniam omninò cum eo intelligitur Iram, èrit illud Irã pars seipsam complens. propterea autem etiam seipsa erit maior & minor. Seipsa quidem maior, quatenus à seipsa completur. Nam quod ab aliquo completur, est maius eo quod ipsum complet. Minor autem, quatenus seipsam complet. Nam quod aliquid complet, est minus eo quod completur. Non sunt autem hæc admodum probabilia. Non est ergo Iram pars totius versus. Sed neque est pars reliqui, nempe, Pelidæ dic ô Dea carmin' Achillis. Nam primùm quidem pars continetur in eo cuius est pars. Iram autem non continetur in illo, Pelidę dic ô Dea carmin' Achillis. Quamobrem non est pars eius. Deinde nec illud, Peliadæ dic ô Dea carmin' Achillis, opus habet complemento: completum est enim propria oratione. Sed tota oratio, versus inquã, non est illud, Pelidæ dic ô Dea carmin' Achillis. Ergo nec eius pars est Irã. Sed si neque totius versus pars est Iram: neq; eius partis quæ restat: præter ea autẽ nihil ponitur: nullius orationis pars est Iram. Atque hæc quidem vniuersè & magis in genere dicenda sunt aduersus partes orationis. Quòd si ingrediamur ad artẽ quæ singulatim de iis ab ipsis traditur, inueniemus multas nugas. Idque sciri potest, non si ad omnẽ accesserimus materiam: est enim hoc ineptum anilisq; Grammaticæ garrulitatis plenum: sed si fecerimus sicut vini copones: & quomodo illi ex modica gustatione totum quod aduectum est vinum probant: ita etiam cùm sumpserimus vnam partem orationis, nempe Nomen, ex eo quod de ipso arte traditum est, considerabimus etiam in aliis Grãmaticorum solertiam.

Orationis nullæ sunt partes, nec oratio.

Vini copones ex modica gustatione totũ vinũ probãt. *ἐτρῶχθαι.*

De Nomine. Cap. 11.

Masculina et fœminina nomina quenam dicuntur natura.

IAM enim cùm dicunt, ex nominibus alia quidem esse masculina natura, alia verò fœminina, alia verò neutra: & alia numero singularia, alia verò dualia, alia verò pluralia, & alias contexunt diuisiones, quæramus quídnam sit hoc quod ab eis enunciatur, nempe natura. Aut enim quòd, sicut qui primi enũciauerunt nomina, eorum naturalem fecerunt enunciationem, vt in his vocalibus, Dolere, Vociferari, Lætari, Admirari, ita dicunt alia quidem nomina esse huiusmodi, alia verò huiusmodi: aut quòd etiã in præsentia vnunquodque eorum nos mouet naturaliter quòd sit masculinum, etiamsi id masculinum esse non existimemus. & rursus ipsum naturaliter ostendit, quòd fœmininum, etiam si nos nolimus. Sed primum quidem non dixerint. Vnde enim Grammaticæ hoc accesserit crassitudini, vt discernat vtrũm nomina sint natura, an ex instituto & impositione. aut alia quidem sic, alia verò illo modo, quando nec Philosophis naturalibus, qui ad summum peruenerunt, facile fuerit hoc dicere, propterea quòd vtrinque pares afferantur rationes. Et alioqui valida eis obiicitur ratio, aduersus quam ne, si catapultam quidem (vt aiunt) opponant Grãmatici, poterunt aliquid videre quod resistat. Si enim nomina essent natura, & non significaret vnunquodque ex impositione, oporteret omnes audiri ab omnibus, Græcos à Barbaris, & Barbaros à Græcis, & Barbaros à Barbaris. Sed hoc non est. Nomina ergo non significant natura. Quamobrem hoc quidẽ non dicent. Si autem quòd naturaliter ostendit vnunquodque nomen quòd sit masculinum aut fœmininum, aut neutrum, dicunt alia quidem esse huiusmodi, alia verò huiusmodi, sciant se perfectius collare sibi construere. Rursus enim dicemus. Id quod nos natura mouet, omnes mouet similiter: & non alios quidem sic, alios verò contrario modo. vt ignis natura calefacit Barbaros, Græcos, ignaros, peritos: & non Græcos quidem calefacit, Barbaros autem refrigerat. & nix natura refrigerat: & non aliquos quidem refrigerat, aliquos verò calefacit. adeò vt quod natura mouet, similiter moueat eos qui sensus minimè habent impeditos. Eadem autem nomina nõ sunt omnibus eadem: sed aliis quidem masculina: aliis verò fœminina: aliis verò neutra. vt Athenienses quidem in fœminino genere dicũt τὴν σάμνον: Peloponnensij autem in masculino τὸν σάμνον. Et alij quidem τὴν θόλον: alij verò τὸν θόλον. Et alij quidem τὸν βῶλον: alij verò τὴν βῶλον. Nec propterea

Nomina non esse natura.

σάμνος, stagnum.
θόλος, tholus.
βῶλος, gleba.

pterea isti aut illi dicuntur errare. Nam vt singula posuit, ita iis vtitur. Imo verò iidem ea diuersè, aliquando quidem masculinè, aliquando verò fœmininè efferunt, dicentes τὸν λιμὸν & τὴν λιμόν. Non sunt ergo ex nominibus alia quidem masculina, alia verò fœminina: sed ex instituto & impositione alia quidem sunt huiusmodi, alia verò huiusmodi. Ad hæc accedit, quòd si ex nominibus natura alia quidem essent masculina, alia verò fœminina, naturę masculinæ semper deberent appellari nominibus masculinis, & fœmininæ fœmininis: & neque masculinæ neque fœmininæ in neutro genere. Sed non ita est. sed & masculinas naturas fœmininè vocamus, & fœmininas masculinè: & eas, quæ nec sunt masculinæ nec fœmininæ, aut masculinè aut fœmininè, non autem in neutro genere: vt κόραξ quidem dicitur. ἀετὸς. κώνωψ, κάνθαρος, σκόρπιος, μῦς masculinè, etiam in fœmina. Et rursus χελιδών, χελώνη, κορώνη, ἀκρὶς, μυγάλη, ἐμπὶς, etiã in natura masculo vocamus fœminino. Similiter etiã κλίνη fœmininè, in eo quod est nec masculinum nec fœmininum natura. Et στύλος masculinè dicitur in neutro. Si ergo nullũ est nomen masculinum aut fœmininum natura, quemadmodum reprehendet Grãmaticus eum qui peruersè dicit ὁ χελιδών, & ἡ ἀετὸς? Aut enim reprehendet, quòd cùm nomen τῆς χελιδόνος sit fœmininum, ille cogat ipsum articulo esse masculinũ: aut quòd communis vsus ipsum posuerit fœmininum, sed non masculinum. Sed si quidem eum reprehendat, vt quòd sit natura fœmininum: quoniam nullum est natura fœmininum, vt ostendimus, nihil refert, quod ad hoc attinet, hócne modo an illo proferatur. Sin autem vt quòd masculinum posuerit pro fœminino ab vsu communi imposito, tunc iudex eius quod rectè dicitur & secus, erit non artificiosa aliqua & grammatica ratio, sed artis expers & simplex vsus obseruatio. Hæc autem ipsa sunt traducenda etiam ad nomina singularia & pluralia. Athenæ enim in plurali dicuntur vna ciuitas, & Plateæ. Et rursus Thebę in singulari & Thebæ in plurali. & Mycene & Mycenæ. Dicetur autẽ diligentius de hac inæqualitate & anomalia procedente quæstione. Nunc autem quoniam etiam allatis exemplis aspeximus, quæ est in eis, accuratam literarum explicationem, agè illud quoque examinemus, priusquam alium modum persequamur. Dico autem quámnam vocent orationem, aut partes orationis. Aut enim eam dicent vocem ęsse corpoream, aut incorporeum id quod dicitur, ab ea differens. Nõ dicent autem vocem. Nã vocem quidem dictam omnes audiunt & Græci & Barbari, & ineruditi

λιμὸς, fames.

κόραξ, coruus.

ἀετὸς, aquila.

κώνωψ, culex.

κάνθαρος, scarabeus.

σκόρπιος, scorpius.

μυς, mus.

χελιδών, hirundo.

ἀκρίς, locusta.

μυγάλη, mus araneus.

ἐμπὶς, culex.

κλίνη, lectus.

στύλος, columna.

Orationem nullam esse. λεκτόν.

ruditi & eruditi. Orationem autem & eius partes soli Græci & eius periti. Non est ergo vox oratio & eius partes. Sed nec est incorporeum id quod dicitur. Quomodo enim est incorporeum adhuc aliquid huiusmodi præter corpus & inane, cùm fuerit magna & interminata apud Philosophos de eo decertatio? Nam si mouetur quidē, est corpus. Quod enim mouetur, est corpus. Sin autem manet, suscipiens quidem quæ ad ipsum feruntur corpora, & non resistens, erit inane. Est enim proprium inanis non resistere. Quod autem resistit iis quæ ad ipsum feruntur, est corpus. est enim corporis proprium resistere. Et alioqui qui dicit incorporeum id quod dicitur, aut id dicit contentus sola enuntiatione, aut assumens demōstrationem. Sed si sit quidem contentus enuntiatione, retinebitur in contradictione. Sin autem assumat demonstrationem: quoniam ipsa quoque debet procedere per assumptiones indubitabiles: assumptiones autē sunt quæ dicuntur, non erit ei credendum qui præripit id quod quæritur, tanquam certum & de quo constet. Quamobrem si neque vox est oratio: neque quod ab ea significatur incorporeū quod dicitur: præter hæc autem nihil potest intelligi, nihil erit oratio. Esto autē nunc, sit & oratio, & eius partes quot volunt esse Grammatici. sed nobis dicant quemādmodum partiuntur orationem.

Vox, & id quod dicitur, differunt.

De Partitione. Cap. 12.

NAM quoniam euenit vt metrorum partitio sita sit in duobus maximè necessariis, nempe & incessu, hoc est in distributione in pedes, & in diuisione in partes orationis, consequens quidem erat iis qui perfectè contra eos dicunt, vtrunque mouere, nempe & modum incessus, supplantatis omnibus eorum pedibus quibus incedunt vt qui esse non possint: & prætereamodum distributionis partium orationis, ostendendo minimè posse fieri diuisionem. Sed quoniam in iis quoque, quæ aduersus Musicos dicimus, præcipuè quærimus de pedibus, ne anticipemus ea quæ aduersus illos sunt dicenda, aut ne bis eadem dicamus, hanc quidem dubitationem differamus in tempus opportunum: consideremus autem de diuisione partium orationis. Qui ergo aliquem versum partitur, alia quidem aufert, alia verò addit. Et aufert quidem, exempli causa, Iram à toto versu: & rursus Dic, & cæteras partes. Addit autem iis quæ efferuntur per synalœphen: vt huic αἷμ' ἐμέων, α. plenum enim erat αἷμα ἐμέων. Et rursus huic βῆ δ' ἀκέων, ε. nam per implementum ita habebat, βῆ δὲ ἀκέων. Sed cùm nihil

Versum non fieri partitionem aut mensuram.

αἷμ' ἐμέων, sanguinem vomens.

βῆ δ' ἀκέων, init tacitus.

nihil poſsit ab aliquo auferri, neque natura ſit comparatum vt addatur alicui, fieri non poteſt vt fiat partitio vt volunt Grãmatici. Quòd autem nihil poſsit ab aliquo auferri, hoc modo didicerimus. Si enim aliquid ab aliquo aufertur, vel totum aufertur à toto, aut pars à parte, aut totum à parte, aut pars à toto. Atque totum quidem non aufertur à toto. Poſito enim vno verſu, ſi eſt totum quod aufertur, totum verſum auferemus. & ſic ſi quidẽ manet adhuc verſus, à quo eſt ablatio, ne facta quidem erit omninò vlla ab eo ablatio. Quomodo enim fieri poteſt vt maneat totum, ſi quidem ſit ablatum? Si autem non manet, eſt perſpicuum quòd ex eo quod non eſt, rurſus non eſt facta ablatio. Quamobrem totum non aufertur à toto. Sed nec totum à parte. Nam in parte quidem non comprehenditur totum: vt in Iram, non comprehenditur, Peliadæ dic ô Dea carmin' Achillis. Quod autem aufertur, debet comprehendi in eo quod ſuſcipit ablationem. Reſtat ergo vt vel pars à toto, vel pars à parte auferatur. Sed hoc quoque eſt dubium. Nam Iram, ſiquidem aufertur à toto verſu, ab ipſo quoque, nempe Iram, auferetur. cum ipſo enim intelligebatur totus verſus. Et alioqui, ſi auferatur à toto: totum autẽ erat, Iram Peliadæ dic ô Dea carmin' Achillis, non manet etiã in eodem, cùm id quod ſuſcepit ablationem non maneat in eodem. Oportebat autem & hoc ipſum Iram, à toto illo ſuſcipiens ablationem, habere aliquid ex vnoquoque eorum quæ ſunt in illo. quod rurſus eſt falſum. Si ergo neque vt totus verſus à verſu partiatur fieri poteſt, neq; pars verſus à parte, neque totum à parte, neque pars à toto, & præter hęc nihil contingit facere, à Grammatico fieri non poteſt partitio. Sed neque additio erit in dictionibus quibus accidit vt proferantur per ſynalœphen. Erit autem hoc manifeſtum, ſi id, de quo nunc agitur, tractetur, non in ſyllabis aut elementis, quarum additiones maximè faciunt Grammatici in partitionibus, ſed in integris dictionibus. Si ergo nobis ponatur hemiſtichium, Peliadę dic ô Dea carmin' Achillis, ſit enim in præſentia hoc hemiſtichium, & aſſumat hanc dictionẽ Iram, adeò vt ex vtriſque metrum fiat heroicum: quærimus cuínam fiat additio? Aut enim illud Iram, ſibi ipſi additur: aut prius poſito hemiſtichio: aut metro heroico, quod fuit perfectum ex vtroque. Et ſibi ipſi quidem non fuerit adiectum. Nam ſi non ſit à ſeipſo diuerſum, & ſeipſum non duplicet, dici non potuerit ſibi ipſi adiici. Vt autem poſito hemiſtichio addatur quomodo fieri poteſt? Nam ipſum toti additum, & ipſum illi exæquatum fiet hemiſtichium. Hac autem

Auferri non poteſt aliquid ab aliquo.

Additionem non eſſe in dictionibus quæ proferuntur per ſynalœpham.

ratione sequetur vt magnum hemistichiũ dicatur esse breue, vt quod breui exequetur, nempe illi Iram: & breue fiat magnum vt quod accedat positum ex aduerso hemistichij, siquidem toti hemistichio addatur illud Iram, vtpote illi, Peliadę. Et si solùm quidem augeat illud Peliadæ, non faciat autem totum versum: restat ergo vt dicatur, id quod efficitur ex ambobus, nempe & ipso Iram, & ex ipso prius posito hemistichio, addi versui hexametro & heroico, quod planè est incredibile. Nam quod suscipit additionem, ponitur ante additionẽ: non autem id quod fit ex additione, ponitur ante eam. Non ergo versui hexametro qui fit ex additione dictionis Iram, additur illud Iram. Nam quando fit quidem additio, nondum est hexameter. Quando autem est hexameter, non amplius fit additio, sed collectũ est id quod erat prius positum. Et cùm neque sit additio, neque ablatio, tollitur priùs dictus modus partitionis. Sed cùm rursus in his animaduerterimus quæ exactè & accuratè traduntur à Grammaticis, agè rursus faciamus periculum eorum virtutis in scribendo.

De Orthographia. Cap. 13.

ORTHOGRAPHIAM dicunt sitam esse in tribus modis, quantitate, qualitate, partitione. Quantitate quidem, quando quærimus an datiuis addendum sit ι. & ἰυχάλινον & ευωδία sítne scribendũ per ι. tantùm, an per ει. Qualitate autem, quando consideramus, vtrùm per ζ. scribendum sit σμίλιον & σμύρνα, an per σ. Partitione autem, quando dubitamus de dictione ὄμβριμος, vtrúmnam β. sit principium secundæ syllabæ, an finis præcedentis. & in nomine Κρεσφόντης, vbi sit locandum σ. Rursus autem ars eiusmodi, ne moueamus aliquid eorum quæ sunt magis dubia, videtur esse inanis. Primùm quidem ex dissensione. Deinde autem etiam ex ipsis effectis. Et ex dissensione quidem, quoniam huius artis periti inter se decertant & semper decertabunt, cùm alij quidem sic, alij verò illo modo idem velint scribi. Sunt itaque sic rogandi. An vitæ sit vtilis ars rectè scribendi? Et oporteret & nos & vnumquenq; ex iis qui de ipsa orthographia dissentiunt Grammaticis, cùm iudicio nondum sit decisa hæc controuersia, impediri in iis quæ sunt scribenda. Sed neque nos, neque eorum vnusquisque impeditur: sed concorditer omnes assequuntur propositum, non ab illa, sed à magis communi, & in qua est maior consensus, moti exercitatione: per quam, quæ necessariò quidem sumi debent elementa ad nomen indicandum, assumunt omnes tam Gram-

ἰυχάλινον, bonum habẽs frænum.

ἐυωδία, bonus odor.

σμίλιον, scalpellum.

σμύρνα, myrrha.

ὄμβριμος, grauis, validus.

Orthographiam probatur esse manẽ ex dissensione et ex effectis.

Grammatici quàm non Grammatici. De iis autem, quæ non ſunt neceſſaria, nihil referre putant. Nõ eſt ergo vtilis de Orthographia apud Grammaticos tractatio. Atque tale quidem eſt argumentum quod ſumitur à diſſenſione. Quod autem ex effectis ſumitur, eſt manifeſtum. Nihil enim detrimenti accipimus, ſiue cum ι. ſcribamus dandi caſum, ſiue non: & ſiue σμίλιον & σμύρναν ſcribamus per σ. ſeu per ζ. & nomine Ἀρίστιον, ſeu præcedenti ſyllabæ attribuamus literã σ. an eam coniungamus cum ea quæ ſequitur. Nam ſi quidem ex eo quòd ſcribatur σμίλιον, per σ. & non per ζ. non eſſet amplius σμίλιον, ſed δρέπανον: & ſi ex eo quod in nomine Ariſtotelis ſic, non autem illo modo connectatur σ. aut Ariſtion, ſicut facetè quidam dixit, fiat δειπνίων, conueniret putare aliquid referre. Si autem quomodocunq; ſcribatur, σμίλιον erit, ſiue incipiat per σ. ſiue per ζ. & Ariſtion ſemper eſt Ariſtion, ſiue cum ι. connectamus σ. ſiue cum τ. quid opus eſt multa & inani ſtultaque de his apud Grãmaticos diſputatione? Cùm autem ſummatim egerimus de orthographia, videamus ad complẽdam quæ fit aduerſus artificioſam eorum partem contradictionem, vtrùm habeant conſtantem aliquam rationem & methodum Grecæ locutionis, quæ dicitur Helleniſmus.

Ἀρίστιον, Ariſtion, nomen proprium.

Δρέπανον: falx.

Alludit ad δεῖπνον, cœnam, & ἄριστον, prandiũ.

An ſit ars de Helleniſmo. Cap. 14.

QVOD ſeruanda quidem ſit puritas in ſermonis proprietatibus, hinc eſt perſpicuum. Nam & qui barbarè loquitur & admittit ſolœciſmos, irridetur vt ineruditus, & qui Græcè loquitur, eſt idoneus ad apertè ſimul & accuratè res explicandas, quas mente conceperit. Iam verò Helleniſmi duæ ſunt differentiæ. Nam alius quidem eſt ſeparatus à communi noſtro vſu, & videtur procedere congruenter Grammaticæ analogiæ. alius verò deducitur conuenienter vniuſcuiuſque Græcorum communi vſui, ex effictione & obſeruatione in familiari ſermone. vt exempli gratia, qui ex recto quidem caſu Ζεύς, format obliquos τοῦ Ζέως, τῷ Ζέι, τὸν Ζέα, is loquitur conuenienter priori ſpeciei Helleniſmi. Qui autem dicit ſimpliciter, τοῦ Ζηνός, & τῷ Ζηνί, & τὸν Ζῆνα, loquitur conuenienter ſecundæ, & quæ eſt nobis magis familiaris. Sed cùm duo ſint helleniſmi, ſecundum quidẽ dicimus eſſe magis in vſu propter prius dictas cauſas: primum autem inutilem, propter dicendas. Quomodo enim in ciuitate pro more regionis procedente nomiſmate, qui ei quidem accedit, poteſt in ea ciuitate emendo, vendendo ac contrahendo abſque vllo impedimento degere?

Helleniſmi duæ ſunt differentiæ, nẽpe ex analogia, & ex conſuetudine. παρατηρησμός.

Ζεὺς et Ζην, Iuppiter.

Sermone vtendum tanquam nomiſmate.

gere? Qui autem hoc quidem non admittit, nouum autem effingit, & eo vult vti pro nomismate, is planè desipit: Ita etiam in vita, qui non vult vsu receptum, tanquam nomisma aliquod, sequi sermonē, sed sibi excūdit nouum, nō longè est remotus ab insania. Quamobrem Grammaticis qui profitentur se aliquam artem esse tradituros

Analogiā nō posse consistere.

quæ vocatur analogia, per quam nos cogunt loqui conuenienter illi hellenismo, ostendendum est eam artem minimè posse consistere. Oportet autem eos qui rectè volunt loqui, attendere artis expertem simplicemque, & quæ in vita & communi vulgi vsu sita est, obseruationem. Si in hellenismo ergo est ars aliqua, aut habet principia in quibus consistit, aut non habet. Et non habere quidem non dicent

Ars debet cō sistere ex principiis.

Grammatici. Nam omnis ars debet consistere ex aliquo principio. Si autem habet: aut artificiosa ea habet aut artis expertia. Et si quidem artificiosa, ea omninò aut ex seipsis, aut ex alia constant arte. & illa rursus ex tertia. & tertia ex quarta. & hoc in infinitum. Quo fiet vt si ars hellenismi careat principiis, ne ars quidem sit. Sin autem artis experientia: non inuenientur alia præter vsum & cōsuetudinem.

Vsus index hellenismi.

Vsus ergo ac consuetudo iudex erit, & feret sententiam quid sit Græcum & non Græcum: & non erit vlla alia ars hellenismi. Et alioqui

Artium aliæ veræ, aliæ professione tātùm & non re vera.

Chaldaica, Aruspicina, et extispicina nō sunt veræ artes.

quoniam ex artibus, aliæ quidem sunt re vera artes, vt statuaria & pictura: Aliæ autem sunt quidem professione, re vera autem nō sunt, vt Chaldaïca & Aruspicina & extispicina. Vt ergo sciamus vtrū hellenismi ars quæ dicitur, sit solùm professio, an sit etiam facultas subiecta, ad eam probandam oportebit nos habere aliquem iudicem. Hic rursus iudex, aut est artificiosus in hellenismo, & probandi facultate præditus, siquidem de ea iudicat, quæ rectè iudicat hellenismum: aut artis expers. Sed artificiosus quidem esse non potest in hellenismo, ne vt prius dictum est, recidat in infinitum. Si artis autem expers sumatur iudex, non alium inueniemus quàm vsum & consue-

Consuetudo quæ sermonē indicat, non opus habet arte.

tudinem. Vsus ergo & consuetudo quæ per se hellenismi artem iudicat, non opus habebit arte. Si autem Græcè non aliàs loqui licet, nisi à Grammatica acceperimus quod est Græcum: aut hoc est euidens & ex ipso cernitur: aut est obscurius & minus euidens. Sed non est quidem euidens: Omnes enim in eo consentirent, vt in cæteris rebus. Et alioqui ad apprehendendum quidem id quod est euidens, nulla opus est arte. quomodo nec ad album videndum, nec ad gustandum dulce, aut tangendum calidum. Ad Græcè autem loquendum via ac ratione aliqua & arte opus est, vt volunt Grāmatici. Non

est ergo

est ergo euidens Græcè loqui. Si autem non est euidens: quoniam quod non est euidens, ex aliquo alio cognoscitur: aut naturalis aliquis sequendus erit iudex, à quo discernatur quid sit Grecum aut nõ: aut vnius vsu ac consuetudine vtendum erit ad hoc comprehẽdendũ, vt qui perfectè loquatur Grecè. aut omnium. Sed naturalem quidẽ iudicem ad iudicandum quid sit Græcum aut non Græcũ nullum habemus. Nam cùm Atticus tanquam Grecum dicat τὸ τάριχος, & Peloponnesius proferat ὁ τάριχος vt quod non sit aliter proferendum: & alius quidem nominet τὴν σάμυον, alius verò τὸν σάμυον, nullum habet Grammaticus ex se fide dignum iudicem, quòd hoc modo sit & nõ illo dicendum, nisi vniuscuiusque vsum & consuetudinem, quæ neq; est artificiosa, neque naturalis. Si autem alicuius vsum ac consuetudinem dicant esse sequendam: aut affirmatiuè tantùm dicent, aut ratione ac methodo procedentibus demonstrationibus. Sed affirmatiuè quidem dicentibus opponemus affirmationem, quòd multi magis sequendi sint quàm vnus. Via autem ac methodo ostendentes quòd iste Grecè loquitur, necesse habebunt dicere illam methodum esse iudicem hellenismi, per quam ostensum est istum quoque Græcè loqui. Sed non hoc. Restat ergo vt attendant omnium consuetudinem. Si autem hoc ita est, non opus est analogia, sed obseruatione quemadmodum loquantur multi, & aliquid vt Græcum admittant, aut vt nõn tale vitent. Græcum quidem certè est aut natura, aut ex instituto & impositione. Et natura quidem non est: quoniam nunquam idem aliis quidem videretur esse Græcum: aliis verò non. Si est autem ex hominum instituto & lege: qui in vsu ac consuetudine est maximè tritus ac exercitatus, is optimè loquitur Græcè, non autem is qui scit analogiam. Nam aliter quoque licet ostendere, quòd ad Grecè loquendum non opus habemus Grammatica. Nam in iis qui conferuntur sermonibus, aut in aliquibus dictionibus offendentur multi, aut non offendentur. Et si offendantur quidem, nos statim corrigent. quo fit vt ex iis, quæ in vsu vitę versantur, habeamus Græcum sermonem, non autem à Grammaticis. Sin autem non ægrè ferunt, & iis quæ dicuntur assentiuntur tanquam apertis & rectè habentibus: & nos in eis persistemus. Rursus conuenienter huic analogiæ aut omnes loquuntur, aut plurimi, aut multi. Sed non omnes, neque plurimi, neque multi. vix enim duo aut tres inueniuntur eiusmodi. plurimi autem ne eam quidem sciunt. Quoniam ergo necessariò sequendus est vsus ac consuetudo multorum, non autem duorum,

τὸ τάριχος, salsamentum.
σάμυος, vena.

rum: dicendum eſt obſeruationem vſus communis ac conſuetudinis eſſe vtilem ad Græcè loquendum, non autem analogiam. In omnibus quidem certè quæ humanæ vitæ ſunt vtilia, modus eſt ſufficiens ad vſum nō impediri. Quamobrem ſi hellenìſmus propter duo præcipua maximè eſt admittendus, nempe vt quæ ſignificantur & dilucidius explicentur & delectabilius ac iucundius (his enim extrinſecus coniuncta ſunt per conſequentiam, metaphoricè & emphaticè, & aliis tropis ac modis dicere) quæramus, ex vtro hæc magis accedunt, num ex communi vſu ac conſuetudine, an ex analogia, vt illi accedamus. Videmus autem hoc magis accedere ex communi vſu quàm ex analogia: illo ergo nō hoc eſt vtendum. Nam ex recto quidem caſu qui eſt Ζεύς, proferre obliquos Ζηνός, Ζηνί, Ζῆνα, & ex κύων, κυνός, κυνί, κύνα, eſt dilucidum, quinetiam multos non videtur offendere. hoc eſt autem vſus communis. A recto autem Ζεύς dicere Ζεός & Ζεΐ & Ζέα, & à κύων formare κύωνος, κύωνι, κύωνα, aut à genitiuo κυνός velle eſſe rectum κῦς. & in verbis dicere φερήσω & βλεπήσω vt ποιήσω & θελήσω, non ſolùm non dilucidum, ſed etiam videtur eſſe ridiculum & offendere. Hoc autem fit ex analogia. Non eſt ergo ea, vt dixi, vtendum, ſed vſu ac conſuetudine. Num autem euertantur, & velint nolint cogentur vti quidem vſu ac conſuetudine, mandare autem analogiam? Hinc autem conſideremus quòd dicitur, nempe ex ea quæ fit apud ipſos conſequentia. Nam ſi quæratur quomodo ſit dicendum χρῆσθαι an χρᾶσθαι, dicunt χρῆσθαι. & ſi petatur ab eis vt probent, dicunt quòd χρῆσις & κτῆσις conueniunt inter ſe analogia. Quomodo ergo dicitur quidem κτᾶσθαι, κτῆσθαι autem non dicitur: ita etiam χρᾶσθαι quidem dicetur, nequaquam autem χρῆσθαι. Sed ſi quis eos inſequens roget, hoc ipſum autem rectè dictum eſſe κτᾶσθαι, ex quo etiam oſtendimus χρῆσθαι, vnde ſcimus? Dicent hoc ita eſſe in vſu. Hoc autem dicentes, concedent vſum ac conſuetudinem attendendam eſſe tanquam iudicem, non autem analogiam. Si enim quia in vſu eſt κτᾶσθαι, dicendum eſt etiam χρᾶσθαι, debemus miſſa arte analogica refugere ad vſum ac conſuetudinem, à qua illa quoque dicta eſt. Atqui analogia eſt multorum ſimilium nominum additio. hæc autem nomina ſunt ex vſu ac conſuetudine. Quamobrem ex vſu procedit ac conſuetudine vt conſiſtat analogia. Hoc autem cùm ita habeat, ita ſunt interrogandi, Admittitíſne vſum ac conſuetudinem tanquam argumentum quo fiat fides ad dignoſcendum hellenìſmum, an reiicitis? Nam ſi admittitis: ex hoc ipſo collectum eſt propoſitum, nec opus eſt ana-

Hellenìſmus propter duo, nempe vt dilucidius explicemus & iucundius.

κύων, canis.

Ex analogia loqui ridiculum.

Etiam in analogis ſequēda eſt cōſuetudo.

χρᾶσθαι, vti.

χρῆσις, vſus.

κτῆσις, poſſeßio.

κτᾶσθαι, poßidere.

χρῆσθαι.

est analogia. Sinautem reiicitis, quoniam ex ea constat analogia, reiicitis etiam analogiam. Et rursus est absurdum, idem & tanquam fide dignum admittere, & tanquam absurdum recusare. Grammatici autem volentes reiicere consuetudinem tanquam non fide dignam, & rursus eam tanquam fide dignam assumere, facient idem simul fide dignum & non dignum. Nam vt ostendant non esse loquendum conuenienter vsui & consuetudini, inducunt analogiam. Analogia autem non est valida, nisi eam confirmantem vsum habeat ac consuetudinem. *Analogia nō est valida nisi eam confirmet vsus.* Vsu ergo ac consuetudine expellentes vsum ac consuetudinem, facient idem simul fide dignum & nō dignum. Nisi dicant se non eundem vsum expellere ac cōsuetudinem, sed alium quidem vsum reiicere, alium verò admittere. quod quidem dicunt. Pindarionis, inquiunt, analogiam cōstat proficisci ex vsu & consuetudine. *Pindarion. Analogia quid sit.* est enim eius quod est simile & dissimile contemplatio. Simile autem & dissimile sumitur ex probato vsu ac consuetudine. Probatus autem vsus isque antiquissimus est poësis Homeri. *Homeri poësis.* Nullum enim poëma ad nos venit antiquius illius poësi. Loquemur ergo sequentes Homeri vsum & consuetudinem. Sed primùm quidem non omnes fatentur Homerum esse poëtarum antiquissimum. Dicunt enim Hesiodum multis præcessisse temporibus, Linumque & Orpheum & Musæum, & alios plurimos. *Hesiodus Homerum multis præcessit seculis, Linusque Orpheus & Musæus.* Est etiam probabile, etiam ante eum fuisse aliquos poëtas, & etiam eius tēpore. Nam ipse quoque dicit,

Carmina nanque magis celebrant & laudibus ornant,
Vltima quæ veniunt hominumque recentia ad aures.

eos autem ab illius splendore fuisse obscuratos. Quòd si etiam fateamur Homerum fuisse antiquissimum, nihil à Pindarione dictum est conuenienter. *ἰκνόμετρον.* Quomodo enim addubitabamus vtrùm vtendum sit vsu ac consuetudine an analogia: ita etiā nunc dubitabimus, vsune ac consuetudine an analogia sit vtendum. Et si vsu, eóne quo vsus est Homerus, an quo alij homines. Ad quod quidem nihil dictum est. Deinde ille vsus est à nobis persequendus, quo si vtamur, non ridebimur. Quòd si vsum sequamur Homericum, non absque risu Græcè loquemur, dicentes, μάρτυρες ἐσπάρτα λέλυντ᾽, & alia his absurdiora. *Vsus Homericus minimè sequendus.* Nec hoc ergo rectè dicitur, cum eo etiam quòd cōcessum sit, quod à nobis probatur, non vtendum analogia. Quid enim refert, veniamus ne ad vsum vulgi, an ad vsum Homeri? Quomodo enim in vsu multorum opus est obseruatione, non autem artificiosa analogia: ita etiam in vsu Homeri. Nam cùm ipsi obseruauerimus quo-

modo soleat dicere, ita etiam loquemur. Vt in summa autem dicam, quomodo ipse Homerus non est vsus analogia, sed secutus est vsum & consuetudinem hominum sui temporis: ita nos quoque non omninò habebimus Homerum confirmatorem analogiæ, sed effingemus vsum ac consuetudinem hominum sui temporis. Atque nuper quidem collectum est ex ea quæ est apud Grammaticos analogia, ad Græcè quidem loquendum superuacaneam esse analogiam, esse autem vtilem vsus & consuetudinis obseruationem: perspicuum autem erit id fortasse ex verbis. Dicunt enim definientes barbarismum & solœcismum, Barbarismus est lapsus in simplici dictione præter communem vsum ac consuetudinem. Solœcismus autem est lapsus non consuetus in tota constructione & non consequens. Ad quæ statim possumus dicere. Sed si barbarismus quidem est in simplici dictione: solœcismus autem in dictionum compositione: prius autem ostensum est, neque esse aliquam simplicem dictionem, neque dictionum compositionē, nihil est barbarismus aut solœcismus. Rursus si in vna dictione intelligitur barbarismus, aut in dictionum compositione solœcismus, non autem in rebus subiectis, quomodo errarem si dicerem, Hic, ostenderem autem fœminam: aut Hęc, ostenderem autem adolescentē. Neque enim admisi solœcismum: neque enim multarum dictionum minimè congruentium protuli compositionem, sed simplicem dictionem Hic aut Hæc. Neque barbarè sum locutus. Nihil enim non consuetum habet dictio Hæc, vt ea quę est apud Alexandrinos dictio, ἐλήλυθαν & ἀπελήλυθαν. Multa quidem huiusmodi contingit dicere aduersus Grammaticos. Ne autem videamur in omnibus dubitare, reuertentes ad id quod erat propositum ab initio, dicemus quòd si barbarismus est lapsus præter communem consuetudinem consideratus in vna dictione: Similiter autem solœcismus, accipiens suam substantiam in multis dictionibus: & est barbarum quidem ξάπεζα, propterea quòd non sit verbū consuetum: Solœcum autem, πολλὰ περιπατήσας κοπιασμοῦ τὰ σκέλη, id est, cùm multas deambulasset laboris tibias, propterea quòd non ita dicatur in communi vsu ac consuetudine, constat quòd ars quidem analogica est nomen inane, quod attinet ad barbarè loquendum aut vtendum solœcismo: oportet autem obseruare vsum & consuetudinem & consequenter ei loqui. Quòd si ducti pœnitentia, dixerint barbarismum solummodò lapsum in simplici dictione, non addendo, prę ter communem vsum ac consuetudinem: & solœcismum lapsum in

Barbarismus quid sit.
Solœcismus quid sit.

Barbarismus & solœcismus nihil est.

ἐλήλυθαν. venerunt. ἀπελήλυθαν, abierunt. ἐλήλυθαν & ἀπελήλυθαν, dictio Alexādrina.

τράπεζα, mensa.

tota dictione non consequentē, & non addatur non consuetum, sibi maius facessent negotiū. Habebunt enim in tota constructione eiusmodi non consequentia, Athenæ pulchra ciuitas: Orestes pulchra tragœdia: βουλὴ οἱ ἑξακόσιοι, id est, senatus sexcenti. quæ quidem oportebit dicere solœcismos: non sunt autem solœcismi propter receptā consuetudinem. Non est ergo iudicandus solœcismus ex eo tantùm quòd non sit consequens, sed ex vsu & consuetudine. Bene autem erit, si postquam eos presimus argumento ducto ex consequentia & verbis, eos quoque percellamus à transitu ex simili. Nam si simile considerant, quoniam ei quod est feriri in sura, quæ est ἀντικνήμιον, analogia respondet illud, In naso feriri, & in ventre, dicitur autem primum ἀντικνημιάζειν, analogiæ conuenienter dicendum esse γαστρίζειν, aut μυκτηρίζειν. Idem autem ostendendum est etiam in ἱππάζεσθαι & κατακρημνίζεσθαι & ἡλιάζεσθαι. Hæc autem non dicimus, propterea quòd sint præter communem consuetudinem. Ergo nec κρείσω, nec φερείσω, nec alia omnia quæ dici debent ex analogia, propterea quòd non dicantur ex vsu ac consuetudine. Verumenimuero si optimè quidē loqui dicimus Thracicè, eum qui loquitur Thracicè vt qui consueuerit, & maximè Romanè qui Romanè consueuit: sequetur etiam eum rectè loqui Græcè, qui loqui Græcè consueuit, si sequamur vsum ac consuetudinem, non autem præceptionem. Vsum ergo sequentes & consuetudinem, non analogiam, erimus Græcè loquentes. In summa autem aut vsui ac consuetudini conuenit analogia, aut ab ea discrepat. Et si quidem conuenit, primùm quidem vt illa non est artificiosa, ita nec hæc erit ars. Nam quod artis vacuitati conuenit, est ipsum quoque omninò arte vacuum. Et alioqui si quod ex illa est Græcum, ex hac quoque quæ illi congruit erit Græcum: etiam id quod est ex illa, erit tale. Hoc autem cùm ita habeat, non erit nobis opus analogia ad discernendum hellenismū, cùm ad hoc habeamus vsum ac consuetudinem. Sin autem discrepat: omninò alium inducens vsum ac consuetudinem præter illam, & veluti barbaram, erit reproba, & tanquā afferens offensionem erit planè inutilis. Argumentandum est etiam à constitutione eorum artis. Nam volunt quidem quibusdam constitutis, quæ sunt vniuersè & in genere contemplationibus, ex his omnibus iudicare omnia nomina singularia, siue sint Græca siue non. Non possunt autem hoc facere, propterea quòd nec ipsis concedatur quòd id quod est vniuersè & in genere sit eiusmodi: neque si hoc aliàs explicetur, seruet naturam eius quod

Solœcismus et barbarismus iudicādus ex vsu & consuetudine.

ἀντικνήμιον

γαστρίζειν, in ventre ferire.

μυκτηρίζειν, in naso ferire.

ἱππάζεσθαι, equitare.

κατακρημνίζεσθαι, præcipitare.

ἡλιάζεσθαι apricari.

Vsus in loquendo sequēdus, non præceptio.

Ex vniuersalibus nō possunt in Grammatica iudicari omnia nomina singularia.

 est

est vniuersè & in genere. Ad hoc autem sumatur exemplum ab ipsis Grammaticis. Nam cùm sit quæstio in aliquo ex nominibus singularibus, vt, exempli gratia in εὐμενὴς, vtrùm obliquus casus sit proferendus absque σ. dicendo tantùm εὐμενοῦ, an cum σ. εὐμενοῦς, adsunt Grammatici proferentes aliquid vniuersè & in genere, & ex eo cõfirmantes id de quo quæritur. Dicũt enim quòd omne nomen simplex desinẽs in ης oxytonum, necessariò effertur cum σ. in genitiuo. vt εὐφυὴς εὐφυοῦς, εὐσεβὴς εὐσεβοῦς, εὐκλεὴς εὐκλεοῦς. Ergo εὐμενὴς etiã quod profertur oxytonè his similiter proferendum est per σ. in genitiuo, dicendo εὐμενοῦς. Non intelligunt autem viri illi præclari, quòd qui cẽset dicendum εὐμενοῦ, non concedet eis exemplum esse vniuersè & in genere. Nam hoc ipsum εὐμενὴς quod est nomen simplex & oxytonum, non dicet efferri cum σ. sed id quod est incertum arripere tanquam certum & de quo cõstet. Et alioqui si exemplum est vniuersè & in genere: aut omnia singularia nomina persecuti, animaduersa quæ est in eis analogia, ipsum composuerunt: aut non omnia. Sed omnia quidem non sunt persecuti. Sunt enim infinita. infinitorum autem nulla est cognitio. Si autem aliqua: vnde hoc existit quòd omne nomen sit eiusmodi? Non enim quod aliquibus accidit nominibus, hoc etiam omnibus. Sed sunt quidam qui ad hoc occurrunt ridiculè, & dicunt, quòd ex pluribus est exemplum quod est vniuersè & in genere. Nam non viderunt quidem quòd aliud est id quod est vniuersè & in genere, & aliud quod est plurimum & maxima ex parte. Et quod est quidem vniuersè & in genere, nunquam nos fallit: quod est autem plurimum & maxima ex parte, raró. Deinde quòd etiam si sit ex multis id quod est vniuersè & in genere: non omninò id quod multis accidit nominibus, hoc etiam necessariò accidit omnibus quæ sunt eiusdem speciei. sed quomodo in multis etiam aliis fert quædam natura quæ vni conueniunt speciei: vt in serpentibus quidem qui sunt innumerabiles Cerasten corniferum: in quadrupedibus autem Elephantum vtentem proboscide: in piscibus autem Mustellum, qui parit animal: in lapidibus autem Magnetem, qui attrahit ferrum: Ita est consentaneum etiam in nominibus quæ similiter cadunt esse aliquod nomen, quod non declinatur eo modo quo multa nomina. Mittentes itaque quærere sítne multis conueniens analogia, quæramus quemadmodum eo vtatur consuetudo, vtrùm ex eo quòd multis conueniat analogia, an quòd proprium sequatur typum. Variè autem agitati Grammatici volunt euertere dubitationem.

παρόσημα, lego παράδειγμα.

Vniuersè et vt plurimum differunt.

Natura fert multa quæ vni speciei conueniunt.

ἐν γαλεόν.

nem. Multæ enim, inquiunt, sunt consuetudines. & alia quidem Atheniensium: alia verò Lacedæmoniorum. Et rursus Atheniensium differens quidam erat vetus: mutata autem est quæ nunc est. nec est eadem eorum qui ruri degunt, & eorum qui versantur in ciuitate. Dicit itaque Aristophanes Comicus,

Consuetudines multæ.

Aristophanes.

Vrbis cui erat loquela ex meditullio,
Nec muliebris, nec quàm par est agrestior.

Cùm ergo sint multæ, vt dicunt, consuetudines, quánam vtemur? Neque enim fieri potest vt vtamur omnibus, propterea quòd sæpe inter se pugnent. neque aliqua ex eis, nisi aliqua arte fuerit iudicata præstantior. Sed primùm quidem dicemus, quærere quánam sit vtẽdum consuetudine, perinde est ac si dicatur esse artem aliquam in hellenismo. Ipsa enim, analogia inquam, est cõtẽplatio eius quod est simile & dissimile. Simile autẽ & dissimile sumitur ex vsu & consuetudine, vt si sit quidem tritum, eo vtamur: sin minùs, minimè. Rogabimus ergo nos quoque, ex quánam consuetudine sumitur simile & dissimile? Sunt enim multæ & sæpe pugnantes inter se. Quod autem respondentes ad hoc, dicetis, hoc etiam à nobis audietis. Et rursus quando dicetis barbarismũ esse lapsum in simplici dictione præter consuetudinem, nos contrà dubitabimus, dicentes, Quámnam dicitis cùm sint multæ? Et si dixeritis, dicemus nos quoque hanc sequi. Cùm ergo sit communis dubitatio, non difficiliter viam inueniet eius quæ à nobis affertur solutio. Nam ex consuetudinibus aliæ quidem sunt in scientiis: aliæ autem in vita. Etenim in Philosophia quædam recipiuntur nomina, & præcipuè in arte medendi, quinetiã in Musica & Geometria. Est etiam quædam ad rationem vitæ pertinens simplex priuatorum ac plebeiorum consuetudo in ciuitatibus & gentibus differens. Vnde in Philosophia quidem Philosophorum sequemur consuetudinem: in arte autem medendi, eam quæ magis facit ad Medicinam. In agenda autem vita, eam quæ est magis consueta, & minus superuacanea, & quæ est magis in vsu in regione. Quocirca cùm res eadem dicatur bifariam, tentabimus nos præsentibus accommodantes personis, proferre quod non rideatur, cuiusmodicunque sit secundum naturam: vt exempli causa idem dicitur ἀρτοφόριον & πανάριον. & rursus idem σταμνίον & ἀμίδιον. & ἴγδις & θυΐα. Sed spectantes vt rectè & apertè loquamur, & ne rideamur à pueris nobis ministrantibus priuatisque & ignaris hominibus, dicemus πανάριον, etsi sit barbarum, non autẽ ἀρτοφορίδα. & σταμνίον non ἀμίδα. & θυΐαν magis

Consuetudines sunt variæ.

Consuetudo quænam sit sequenda.

ἀρτοφόριον, arca panaria.

σταμνίον, & ἀμίδιον, vrna, matella.

ἴγδις et θυΐα, mortarium.

magis quàm ἰδιώταις. Et rursus in differendo ad eos qui adsunt aspicientes, imperitorum quidem dictiones valere iubebimus, vrbaniorem autem & eruditum morem persequemur. Nam vt mos eruditus irridetur apud imperitos: ita etiam imperitus apud eruditos. Dextrè ergo quod decet vnicuique tribuentes circunstantiæ, videbimur Græcè loqui citra reprehensionem. Alioqui quoniam reprehendunt consuetudinem vt inæqualem & multiplicem, nos quoque ex eo ipso nacti occasionem eos reprehendemus. Si enim analogia est eius quod est simile adiectio: Simile autem est ex consuetudine: consuetudo autem est inæqualis & instabilis, oportebit etiam analogiam non habere stabilia & fixa exempla. Possumus autem hoc discere in nominibus & verbis & participiis, & vt in summa dicam, in aliis omnibus. Vt in nominibus quidem, quatenus quæ in rectis casibus analogia conueniunt & sunt similia, ea formantur in obliquis inæqualiter & non ex analogia: vt Ἄρης, χάρης, χάρτης, Ἄρεος, χάρητος, χάρτου. & μένων, θέων, λέων, μένοντος, θέωνος, λέοντος. Σκόπας, μέλας, Ἄβας, Σκόπαντος, μέλανος, Ἄβαντος. In verbis autẽ, multa quæ similiter dicuntur in tempore præsenti nõ formantur conuenienti analogia in aliis temporibus. nonnullorum autem aliquæ defecerunt coniugationes: vt αὐλῶ, ἀρέσκω, ηὔληκεν, ἀρέσκεν. & dicitur quidem κλάεται, ἔκλαυκε autẽ non dicitur. ἀλήλιφται quidem dixeris, ἤλιφται autem minimè. In participiis autem, βοῶν, σαρῶν, νοῶν, βοῶντος, σαροῦντος, νοοῦντος. Et in appellatiuis, ἄναξ, ἄβαξ, ἄνακτος, ἄβακος. γραῦς, ναῦς, γραὸς, νεὸς. Similiter autem in iis quoque quæ sunt huiusmodi. Ἄρχων enim dicitur & nomen significando: & is qui gerit magistratum. sed Ἄρχονος quidem fit in casu obliquo nomen: ἄρχοντος autem participium. Et simili modo μένων, θέων, νέων, cùm sint & participia & nomina, diuersas accipiunt declinationes. Nam à nomine quidem fit μένωνος: à participio autem μένοντος. Et θέωνος quidem est nomen, θέοντος autem participium. Ex his autem est perspicuum, quòd cùm sit inæqualis consuetudo, non stant firma ac fixa analogiæ exempla: sed necesse est vt iis dimissis, attendantur formationes quæ sunt ex consuetudine, relicta analogia.

Eruditus irridetur apud imperitos, & imperitus apud eruditos.

Analogia nõ habet stabilia & fixa exempla.

Ἄρης. Mars.

χάρης, Chares, nomẽ proprium

χάρτης, charta.

μένων, manens.

Θέων, Theõ, nomen prop.

λέων, leo.

Σκόπας, Scopas, nomen proprium.

μέλας, niger.

Ἄβας, nomẽ proprium.

αὐλῶ, canit tibia.

ἀρέσκω, placeo.

κλάεται, occiditur.

ἀλήλιφται, vnctus est.

βοῶν, clamans.

σαρῶν, sterpens.

νοῶν, intelligens.

γραῦς, anus.

ναῦς, nauis.

ἄρχων, magistratum gerens.

De Etymologia. Cap. 13.

EADEM quoque sunt eis dicenda quando per etymologiam de hellenismo ferre volunt iudiciũ. Rursus enim aut consuetudini conuenit etymologia, aut ab ea discrepat. Et si quidem conuenit, est superuacanea. Sin autem discrepat, non est ea vtendum, vt quæ magis promo-

In etymologia attendẽda consuetudo.

promoueat ad barbarè loquendum aut solœcismum admittendum. & vt semel dicam, similes opponendæ sunt contradictiones iis quas priùs tradidimus. Magis autem propriè illud est dicendum. Nomen quod ex etymologia iudicatur esse Græcum, aut omninò etyma, id est vera, debet habere quæ ipsum præcedunt nomina: aut desinere in aliqua ex iis quæ sunt pronunciata naturaliter. Et si ab omnibus quidem veris, ea ratione cùm redeat ad infinitum, erit principij expers etymologia: & nesciemus an sit Græcum nomen quod dicitur vltimum, vt qui ignoremus quale sit illud à quo primum deducitur. vt si dictus est λύχνος à λύειν νύχος, debemus discere an etiam νύχος dictum sit ab aliquo Græco vocabulo: & hoc rursus ab alio: & sic cùm ascensus fiat in infinitum, & inueniri non possit nomen quod primū est pronuntiatum, simul etiam comprehendi non potest an Græcè dictus sit λύχνος. Sin autem in aliqua ex his nominibus, quæ sunt ita imposita vt nullum habeant etymum, desinit nomē cuius datur etymologia: quomodo illa in quæ desiit, non admittemus quia sunt ἔτυμα, hoc est vera, sed quia sunt trita consuetudine, ita etiam quod iudicatur per etymologiam, admittemus non propter etymologiam, sed propter vsum ac cōsuetudinem: vt, exempli causa, περικεφάλαιον dictum est quòd addatur capiti, quod dicitur κεφαλὴ. κεφαλὴ autem & περὶ, quod est præpositio, appellata sunt absque etymo. Sicut ergo ea sunt credita absque etymologia, propterea quòd sunt Græca, eis vtente ipsa consuetudine: ita etiam erit κεφάλαιον credibile absq; etymologia. Et alias eadem res nonnunquam duobus appellatur nominibus, altero quidem quod recipit etymologiā, altero verò quod non recipit. & non propterea, quod dicitur quidem etymon, est Græcum, quod verò caret etymo, est barbarum: sed sicut illud est Græcum, ita hoc etiam. vt quod à nobis vocatur ὑποπόδιον, Athenienses & Coi vocant χελωνίον. Sed est quidem ὑποπόδιον etymum, χελώνις autem nequaquam. & non propterea dicuntur quidem Athenienses loqui barbare, nos autem Gręcè: sed vtrique dicuntur Græcè loqui. Sicut ergo illi propter consuetudinem, non autem propter nominis etymon, id est veritatem, dicuntur loqui Græcè: ita etiam nos propterea quòd habeamus tale nomē tritum consuetudine, & non propter fidem etymologiæ, Græcè loquemur. Sed quod artificiosa quidem pars Grammaticæ non possit consistere, satis est ostensum ex iis quæ dicta sunt: consequenter autem veniamus ad historicam.

Nomē quod iudicatur ex etymologia, in quid desinat.

λύχνος, id est lucerna, ab eo quòd soluat noctem.

νύχος, nox.

περικεφάλαιον, ceruical, puluinar.

κεφαλὴ, caput.

ὑποπόδιον, scabellū.

An consistere possit pars historica. Cap. 16.

Tauriscus auditor Acratetis.

Critice, id est iudicandi facultas, quomodo diuidatur.

Dionysius Thrax constituebat sex partes Grammaticæ.

ATQVE quod hanc quidē planè velint esse partem Grāmaticæ, est perspicuū. Tauriscus quidē certe auditor Acratetis, sicut alij Critici, iudicādi facultati, quā vocant Criticen, subiiciens Grāmaticam, dicit iudicandi facultatis aliā quidem esse rationalē, aliam verò exercitatoriā, aliam vero historicam. Atq; rationalem quidem esse eam quæ versatur in dictione in tropis Grammaticis: Exercitatoriam autem, eam quæ in linguæ proprietatibus, & diuersitate figurarum & characterum: Historicam verò, quæ consistit in tractatione materiæ non habentis vllam certam rationem ac methodum. Dionysius autem Thrax, dicens esse sex partes Grammaticæ, quas quidem nos superius tres omnino partes appellauimus, in iis etiam partem tradit historicam. Dicit enim partes esse Grammaticæ, exercitatam in accentu lectionem: expositionem per tropos qui insunt poëticos: dictionum & historiarum explicationem: etymologiæ inuentionem: analogiæ considerationem: iudicium poëmatum, absurdè diuidens, & forte quædam effecta & quasdam particulas Grammaticæ, non eius partes faciens. citra controuersiam autem, exercitatam quidem lectionem, & expositionem, & iudicium poëmatum, assumens ex contemplatione poëtarum & scriptorum. etymologiam autem & analogiam ex parte artificiosa, illis autem tanquam ex aduerso partē opponens historicam, quæ sita est in explicandis historiis & dictionibus. Asclepiades autem in suo opere De Grammatica, cùm dixisset tres esse primas partes Grammaticæ, exercitatam in accentu lectionem, artificium historicū, & Grammaticum, quod quidē vtrunq; attingit, historicam, inquam, partem & artificiosam, historicam partem subdiuidit trifariam. Ex historia enim aliam quidem dicit esse veram, aliam verò falsam, aliam autem tanquam veram. Et veram quidem, eam quæ versatur in rebus quæ gerūtur. Falsam autem, quæ versatur in figmentis & fabulis. Tanquam veram autem, cuiusmodi est comœdia & mimi. Veræ autem rursus tres esse partes. Nam alia quidem versatur in describendis personis Deorum & Heroum, & virorum illustrium: alia autem in locis & temporibus: alia autem in actionibus. Falsæ autem, nempe fabulosę, vnam solum dicit esse speciem, nempe Genealogiam. Parti autem historicæ dicit, sicut & Dionysius, cōmuniter subiici, id quod pertinet ad linguas. Narrat enim quod κρήγυον est verum vel bonum. Similiter & quod pertinet ad prouerbia

Historica Grammaticæ pars trifariā diuiditur.

Historica pars Grammaticæ non est artificiosa.

uerbia & definitiones. Atque quòd Grammaticæ quidem partem velint esse historicam, ex his est perspicuum. Quod superest, quoniam plures confessi sunt eam esse expertem artis,& esse ex materia quæ certam rationem ac methodum non habet, nos quidem liberarunt à maiori labore contra eos dicendi. Ne tamen præteretur locus minimè notatus ac signatus, ita sunt interrogandi, Grammatica sítne ars,an non? Et si non est quidem, ex eo ipso cõfectum est propositum. Sinautem est ars, quoniam artis partes sunt omninò artificiosæ, confessi sunt autem partem historicam non habere certam rationem & methodum. Non erit Grammaticæ pars, pars historica. Quòd autem hoc ita habeat, hinc probatur. Non enim sicut ex methodo, quæ fit vniuersè & in genere & ab artificiosa facultate, dicit Medicus, quòd hoc quidem singulare sit salubre, illud autem insalubre: Musicus autem quòd hoc quidem consonet harmonia, illud verò non consonet. & consonet quidem in hac consonantia, in illa verò nequaquam: ita potest Grammaticus ex contemplatione à scientia proficiscẽte, & quæ fit vniuersè & in genere, enuntiare, quòd Pelopis quidem humerus sit eburneus à Marte aut Cerere deuoratus: caput autem Herculis euaserit glabrum ac caluum, cùm pili eius defluxissent, quando fuit deuoratum à Balena quæ irruebat in Hesionem. Sed vt hæc exponat, oportet omnes legere qui hæc sigillatim enarrant. Singularia autem omnia assumere legendo ipsa singularia, non est artificiosum. Pars ergo historica non tractatur à Grammaticis aliqua certa ratione & methodo. His accedit quòd cùm historia partim versetur in locis describendis, partim in temporibus, partim in personis, partim in rebus gestis: est perspicuum quòd si non arte fiat locorum & temporum demonstratio, nec etiam personarum & rerum gestarum demonstratio erit artificiosa. Quid enim refert hæc ne an illa teneas? Atqui nihil habet artis quæ ad locum pertinet referre historiam, dicendo, exempli gratia, Brilesus quidem & Aracinthus est mons Atticę: Acamas autem Cypri promontorium: aut eam exponere quæ pertinet ad tempus: vt, Xenophanes Colophonius fuit circa quadragesimam Olympiadem. Hoc enim poterit facere qui non est Grammaticus, alioqui curiosus. Ergo nec quæ ad personas & res gestas describendas pertinent recitare est artificiosum: vt, exempli gratia, quòd Plato Philosophus priùs vocabatur Aristocles: & quòd auris fuit ei perforata gestanti maurem, quando erat adolescens. Pythias autem filia Aristotelis nupsit tribus viris: primùm quidem

Pelopis humerus eburneus.

ἐψέδνωτο.

Herculis caput glabrum.

Brilesus & Aracinthus mõtes Atticæ.

Acamas Cypri promontorium.

Xenophanes Colophonius.

Platoni aurie fuit perforata.

ἐνώτιον:

Pythias filia Aristotelis.

 dem

dem Nicanori Stagiritæ, familiari Aristotelis: secundò autem Procli, qui genus duxerat à Demarato Rege Lacedæmoniorum, qui duos ex ea suscepit filios, Proclem & Demaratum, qui Philosophiæ dederunt operam apud Theophrastum: Tertiò autem Metrodoro Medico, Chrisippi quidem Cnidij discipulo, pręceptori autem Erasistrati, cui natus est filius Aristoteles. Hæc enim, & quæ sunt his similia, cùm planè sint inutilia, nullā pręterea habent vim artis. Quamobrem nec eorum, quæ ad historias pertinent, artificiosa est explicatio. Et alioqui, sicut superius ostendimus, neque infinitorum, nec eorum quæ aliquando aliter fiunt, vlla est artificiosa cognitio. Singulares autem historiæ sunt & multitudine infinitæ & non stabiles, propterea quòd nō eadem de re eadem apud omnes referantur: vt (non enim est absurdum vt naturalibus & propriis rerum vtamur exemplis) falsum sibi argumentum sumentes historici, scientiæ nostræ primum auctorem Æsculapium dicunt fuisse fulmine percussum, causæ figmento non contenti, quod quidem variè transformant. Stesichorus quidem dicens in Eriphile, quòd excitauerat aliquos ex iis qui Thebis ceciderant. Polyanthes autem Cyronæus in libro De ortu Asclepiadarum, quoniam eos medicatus est, qui ira Iunonis in filias furore erant perciti. Parrhasius autem, propterea quòd suscitauit cadauer Tyndari. Staphylus verò in libro de Arcadibus, quòd curauit Hyppolytum fugientem ex Trœzene, vt de eo fama traditum est in tragœdiis. Phylarchus autem in nono, quòd filiis Phinei excæcatis visum restituerit, gratificans eorum matri Cleopatræ Erechthei filiæ. Telesarchus autē in Argolico, quòd aggressus sit suscitare Orionem. Argumenti ergo quod sic à falso incipit, & propter multitudinem non pótest recenseri, mutaturque ac transformatur ex vniuscuiusque arbitrio, fuerit artificiosa aliqua contemplatio? His accedit quòd cùm eorum quæ narrantur, aliud quidem est historia, aliud verò fabula, aliud autem figmentum. ex quibus historia quidem est aliquorum quæ vera sunt, & quæ facta sunt, expositio: vt quòd Alexander Babylone ex insidiis veneno fuit sublatus. figmentum autem, rerum quidem quæ non fuerunt, dicuntur autem perinde ac si fuissent, vt comica argumenta & mimi. Fabula autem, rerū quæ fieri nō potuerunt & falsæ sunt, expositio: vt quòd dicunt araneorum quidē genus & serpentum fuisse procreatum ex sanguine Titanum: Pegasum autem, Gorgonis abscissa ceruice, ex capite exiliisse: & Diomedis quidem socios in marinas aues esse mutatos: Vlyssem verò in equum

Infinitorum et eorum quæ aliquādo aliter fiunt nulla est cognitio.

Aesculapius fulmine percussus.

Sextus Empiricus fuit medicus.

Stesichorus in Eriphile.

Polyanthes Cyronæus, De ortu Asclepiadarum.

Parrhasius.

Staphylus De Arcadibus.

Phylarchus.

Telesarchus in Argolico.

Narratio trifariam diuiditur.

Historia quid sit.

Figmentum quid sit.

Fabula quid sit.

Aranei & serpentes ex sanguine Titanum.

Pegasus enatus ex ceruice Gorgonis.

equum: Hæcubam in canem. Cùm autem historiarum talis sit differentia, quoniam non est ars aliqua in iis quæ sunt falsa & esse nõ possunt: falsa autem sunt & esse non possunt quæ sunt in fabulis ac figmentis, in quibus maximè historicæ partis versatur Grãmatica: non est ars aliqua in historica parte Grammaticæ. Quamobrem meritò sunt irridendi qui dicunt, quòd etsi historiæ materia careat arte, erit tamen iudicium eius artificiosum, per quod cognoscimus quid falsò & quid verè sit narratum. Primùm quidem Grammatici non tradiderunt nobis iudicem veræ historiæ, vt examinemus quando sit vera & quando falsa. Deinde cùm nec apud Grammaticos vlla sit vera historia, nec veri quidem potest iudex cõsistere. Deinde cùm aliquis quidem dicit quòd Vlysses à Telegono filio per imprudentiam sit interemptus: aliquis autem quòd cùm Larus marinæ turturis stimulum immisisset, eum occiderit: alij autem quòd mutatus sit in formã equi, quomodo non est arduum ac operosum in rebus adeò interminatis velle inuenire verum? In iis enim, qui discrepant, oportet priùs consistere eum qui verum dicit, & tunc quærere quid sit. Cùm autem omnes dicant incredibilia & falsa, ne vlli quidem artificioso iudici datur aditus. Porrò autem nec per quænam rectè scribatur historia, docent Grammatici, vt ad eam nos referentes contemplationem, dicamus historicam partem esse apud eos artificiosam. Hoc enim est munus eorum qui artem dicendi profitentur. Quamobrem si ipsi etiam fatentur historiam esse rem quæ caret methodo ac certa rãtione, & nos ratiocinando id ostendimus: & alioqui nullam artificiosam tradiderunt contemplationem ad eius cognitionem aut constitutionem, dicendum est etiam in parte historica Grammaticam non posse consistere.

Historiæ veræ nullus iudex apud Grãmaticos.

De Vlyssis morte variè narrantur.

Historia per quænam rectè scribatur, non tradunt Grãmatici.

παρέμπτωμα.

Quòd pars Grammaticæ, quæ versatur in poëtis & scriptoribus, non possit consistere. Cap. 17.

IAM quidem vi ac potestate à nobis est sublata pars illa Grammaticæ, quæ versatur in poëtis & scriptoribus, cùm ostenderimus nec artificiosam nec historicam partem esse posse. Nam absque his non rectè processerit poësis expositio: & tamen tentabimus considerare quæ in hac parte communiùs dici possunt. & maximè quoniam ea est Grammaticorum audacia & confidentia, vt audeant affirmare id Grammaticæ quod vitæ est vtile & necessarium ad fœlicitatem, ex ea existere. Dicunt enim ad sapientiam & beatam vitam

Grãmaticorum audacia.

magna dari adiumenta & adminicula à poëtica. absque luce autem Grammaticæ non posse perspici quæ sunt apud poëtas. Est ergo vtilis Grammatica. Quòd autem poëtica ad fœlicitatē magna det adminicula, ex hoc est perspicuum, quòd planè optima, quæ in formādis moribus versatur Philosophia, in poëtarum sententiis omninò radices egerit. & ideo poëtas, si quando dicant aliquid quod pertineat ad exhortationem, id quod dicunt veluti obsignare poëticis vocibus. Et alius quidem ad virtutem adhortans, dicit,

Poëtica ad bene beateq; viuendum vtilis.

Virtus immortalis.

„ *Minimè perit virtus licèt tu pereas.*

Qui autem auaritiam iubet fugere, hoc affert,

Auaritia fugienda.

„ *Ne dixeris Plutum. nequaquam ego Deum*
„ *Honoro pessimus quem vir possederit.*

Qui autem prædicat oportere paucis esse contentum, suam confirmat sententiam ex eo quòd dicat Euripides.

Contentum esse paucis.

Euripides.

Mortalibus quid est opus nisi solummodo
Duobus, & Cerere aquæque poculo,
Quæ adsunt, alantque vt nos eis est insitum?

Et quòd alij quidem Philosophi hoc faciant non est mirandum: inuenìemus autem ipsos etiam accusatores Grammaticæ, Pyrrhonem & Epicurum, confiteri eius necessitatem. Ex quibus narratur quidem Pyrrho perpetuò legisse poësim Homericam, hoc nunquam facturus nisi cognouisset vtilem esse Grammaticam, & propterea necessariam. Epicurus autem deprehenditur suorum dogmatum potissima surripuisse à poëtis. Nam quòd voluptatum magnitudinis terminus sit cuiuslibet doloris ablatio, ex vno versu accepisse ostenditur,

Pyrrho perpetuò legebat Homeri poësim.

Epicurus sua dogmata surripuit à poëtis.

Voluptas maxima doloris ablatio.

Homerus Od. α.

Sed postquam potusque cibique exempta libido est.

Quòd autem mors ad nos nihil sit, Epicharmus ei indicauit, dicens,

Mors nihil ad nos.

Epicharmus.

Vel mortuum esse, vel mori mea nihil refert.

Similiter autem & quòd mortua corpora nullo sint sensu prædita, suffuratus est ab Homero scribente,

Corpora mortua nullo sensu prædita.

Homerus.

Surdam autem terram malè vexat percitus ira.

Porrò autem nec hæc solùm aptè & eleganter videntur dicta esse à poëtis, sed etiam quæ dixerunt de Diis. cuiusmodi est quod apud Euripidem dictum est in Phrixo,

Deum nō latet qui malè agit.

Euripides in Phryxo.

Mortalium quicunque quotidie malum
Agens, fore vt lateat Deos existimat,
Is improbè sentire deprehenditur,
Quand' otium fuerit Dei iustitiæ.

Quòd

Quòd si hæc, & quæ sunt huiusmodi, sunt vtilia: sumuntur autē non absque Grammatica: erit etiam Grammatica vitæ vtilis. Habuerit autem, aiunt, etiam quædam admodum necessaria patriis eorum quæ eam discunt. Nam cùm Lebediis controuersia esset cum vicinis de Camandodo, adducto hoc versu Hipponactis vicit Grammaticus,

Poëtarū versibus finitimorum composite controuersie.

,, *Mihi nec dixeris*
,, *Lebediam cancam ex Camandodo.*

Reddensque eos qui ipsi dant operam affabiles, & in congressionibus benignos & non difficiles, statim hac ratione vicinis quoque in multis casuum circunstantiis euadit cōducibilis. Licet autem ex ipsis effectis considerare quod dicitur. Sostratus enim, vt aiunt, missus à Ptolemæo ad Antigonum propter aliquod regium negotium, ille cùm satis temerè & inconsiderate responderet, illud est consecutus, dicens,

Poëtica reddit affabiles.

Sostratus à Ptolemæo missus ad Antiochū versibus quod petebat est consecutus.

,, *Sicne iubes terræ motor, cui in vertice setæ*
,, *Ceruleæ? ista Ioui crudelia verba referto.*
,, *Mutabis. Sunt mutabilia corda bonorum.*

His enim auditis mutatus est Antiochus. Cùm autem multa dicantur huiusmodi ad ostendendum quod sit vtilissima pars Grammaticæ quæ versatur in poetis & scriptoribus, iis quæ sunt allata contenti, dicamus aduersus vnunquodque eorum. Quòd ergo vitæ sint vtiles quæ ex poetis colliguntur sententię, & huius Philosophię sit omninò suppeditatrix Grammatica, est planè grammaticum. Nam primum quidem, vt cum eis congruamus, nihil dicentes aduersus poeticam, illud quidem certè est perspicuum, quòd quæcunque vitę vtilia & necessaria inueniuntur apud poetas, cuiusmodi sunt & quę pertinent ad exhortationes, ea ab eis apertè dicta sunt, nec egent Grammatica: quomodo quæ in peregrinis & externis sita sunt historiis, aut efferuntur ænigmaticè, ea sunt inutilia. Quo fit vt cum vtilitate quę ex illis sumitur, non concurrat vsus Grammaticæ, nec simul versetur cum eorum vanitate. Deinde affirmatiua quidem dictio solùm est sententia, sicut hoc est,

,, *Nam vincit vnum consilium manus*
,, *Multas. malum in turba inscitia maximum est.*

Affirmationi autem mens non assentitur, recténe dictum sit an non: sed opus est demonstrationibus. Demonstrationes autem eorum quæ vt decet dicta sunt aut non, non sunt Grammaticæ, sed Philosophiæ. Efficitur ergo hac ratione vt superuacanea & inanis sit Grammatica.

Demonstratio non est Grāmaticæ, sed Philosophiæ.

matica. His accedit, quòd si propterea quòd à poëtis multa rectè dicta sint & ad vsum vitę conducibiliter, sit vtilis vates eorum Grammatica: quoniam longe plura peruersè ab eis sunt prolata & ad vitæ noxam ac perniciem, euadet inutilis. Quomodo enim est aliquis qui dixit,

A poëtis multa sunt malè dicta.

„ *Ne dixeris Plutum. nequaquam ego Deum*
„ *Honoro, pessimus quem vir possederit:*

ita est etiam qui enuntiat contrarium.

Aurum esse iucũdissimum & acceptissimum.

„ *Mortalibus quàm es ô aurum acceptissimum.*
„ *Non est voluptas tanta, mater hominibus,*
„ *Nec filij chari, nec beneuolus pater,*
„ *Es quanta tu, quique domi te possident.* Et rursus,
„ *Bene rem geras: amici nanque sunt nihil,*
„ *Fortuna fœlix si minimè tibi fiet.*

Amicos non esse si fortuna non sit secunda.

Cùm ergo quæ sunt sic contraria, dicantur absque demonstratione, homines sunt propensiores ad eligendũ id quod est deterius. & ideo noxia cernitur esse poëtica. Cùm ea autem discernantur, & alia quidem reiiciantur, alia autem præponantur, fit vtilis, non Grammatica, sed quæ discernere potest Philosophia. & poëticis vtuntur testimoniis non qui germane & sincerè philosophantur (eorum enim ad persuadendum sufficit oratio) sed qui vulgo fucum faciunt. Non est autem difficile ostẽdere poëtas inter se pugnare, & quodcunque velint canere, quando etiam qui præcipuè philosophantur, multa dicunt quæ inter se pugnant. Ex Grammaticæ autem accusatoribus, Pyrrho quidem in singulis Homericam euoluit poesim, non omnino propter priùs dictam causam: sed forte quidem gratia delectationis, & perinde ac si audiret Comœdus: forrasse autem etiam poëticos obseruans tropos & figuras. Dicitur enim, cum poëma scripsisset ad Regem Alexandrum, decies mille aureorum munere fuisse honoratus. Est autem satis probabile alias quoque esse causas, quas recensuimus in quæstionibus Pyrrhoneis. Epicurus autem non sumpsit ab Homero terminum magnitudinis voluptatum. Multum enim differt dicere cessasse aliquos bibere & comedere, & suum satiasse appetitum. hoc enim est,

Philosophia est vtilis, quæ discernit quæ dicuntur à poëtis.
Poëticis testimoniis quinam vtitur.
Poëtæ inter se pugnant.
Pyrrho cur Homeri poësim legerit.
Alexander liberalis in Pyrrhonem.
Sextus Empiricus scripsit librũ De quæstionibus Pyrrhoneis.

Sed postquam potusque cibique exempta libido est,

& dicere esse terminum magnitudinum in voluptatibus, ablationem doloris. Hoc enim non fit omnino carnibus & vino, sed etiam rebus tenuissimis. Aliquis poeta quidem hoc enuntiauit in iis solis quæ apponun-

Epicurus nõ sumpsit ab Homero, summã voluptatẽ esse dolorum ablationem ἀπονίας

apponuntur. Epicurus autem in omnibus quibus fruimur, in quibus eſt etiam coitus venereus, de quo ſciunt omnes quænam fuerit Homeri ſententia. Et quòd mors quidem nihil ſit, dictum quidem fortaſſe eſt ab Epicharmo, ſed demõſtratum fuit ab Epicuro, & eſt mirabile, non quòd dixerit, ſed quòd demonſtrauerit. Deinde non ideo dixit Epicurus mortem ad nos nihil eſſe, quòd nihil referat viuáſne an non. viuere enim eſt longè malis optandum, propterea quòd bonum ſit eorum qui ſentiunt: in ſenſus autem defectu nec bonum ſit nec malum. Nam quòd non ſentiant corpora mortua, non ſolus nouit poëta, ſed etiam vniuerſa hominum vita. Mater enim ſæpe deflens filium dicit: Sed tu quidem hæc non ſentis, ego verò miſerè affligor. & fixis eum aſpiciens oculis alloquitur: Quid autem te hæc iuuant amplius? Quinetiam ſi quis examinet, inueniet poëtã in contraria eſſe ſententia. nam animæ communiter ſitiunt ſanguinem.

Mortem ad nos nihil eſſe demonſtrauit Epicurus.

Corpora mortua nõ ſentire ſcit vniuerſa vita hominum.

Animæ ſitiunt ſanguinem.

A foſſa abſcede, vagina enſemque reconde,
A me vt potetur ſanguis, tibi veraque dicam.

Homer. in νεκυίᾳ Od.

Titij autem iecur exedebatur propter cupiditatem. Tantalus verò ſtetit in lacu.

Barbam verò alluit ipſe:
Irruit is ſitiens, nequit aſt apprendere potum.

Homerus.

Porrò autem quod attinet ad id quod ab Euripide dictũ eſt de Diis, etiam rudes & imperiti homines ſunt in eadem ſententia. Ei enim quod ab ipſo dictum eſt,

Deum malè agentes non latere, ne vulgus quidem ignorat.

Mortalium quicunque quotidie malum
Agens, fore vt lateat Deos exiſtimat,
Is improbè ſentire deprehenditur,
Quando otium fuerit Dei iuſtitiæ.

par eſt quod vulgo dicitur,

„ *Eſt mola tarda Dei, verùm molit illa minutim.*

metro autem ſolum differt. Si quis autem diligentius examinauerit, inueniet quæ ſcribuntur à poëtis, eſſe lõgè deteriora quàm quæ vulgus opinatur. Et qui Scenicus quidẽ eſt appellatus Philoſophus, videtur adhuc moderatior, qui dicit ſe neſcire quem precetur, dicens,

Euripides.

Euripides dicit ſe neſcire quẽ precetur.

O vehiculum qui terræ es, & ſedem tenes
In orbe terræ, quiſquis es, viderier
Coniicíérve nequaquam facilis Iuppiter,
Siue vehementis naturæ neceſſitas,
Te ſum precatus.

donata est ciuitas. Deinde aliud quidem est vtile ciuitati, aliud verò nobis ipsis. Ars quidem certè sutoria & fabrilis est ciuitati quidem necessaria: nobis autem ad fœlicitatem non est necessarium vt simus fabri & sutores. Quocirca etiam Grammatica, non quoniam est ciuitati vtilis, ita est etiam nobis. Ars enim loquendi familiariter & conferẽdi sermones minimè proficiscitur à Grammatica, sed à quadam communi dexteritate ac solertia. Nisi fortè Demades orator esset Grammaticus, qui cum multis Atheniẽsibus abductus captiuus post prælium Cheronense, dixit Philippo, qui eum cogebat inire conuiuium,

Patriæ esse vtile, & sibi differunt.

εὐστοχία.

Demades orator apud Philippum in conuiuio.

Nam quis homo, merita qui laude ornandus habetur,
Antea sustineat potuque ciboque repleri,
Seruitio esse suos quàm viderit ipse solutos?

Atque hæc quidem sunt dicenda aduersus argumenta Grammaticorum. In primis autem est dicendum, quòd si soli poëtæ essent vitæ vtiles, fortè vitę esset vtilis Grammatica quæ in iis versatur. Nunc autem cùm ipsi quidem sint vel planè inutiles, vel non multum vtiles: Philosophi autem & cæteri scriptores docent res vtiles, minimè opus habemus Grammatica. Quod autem qui soluta scribunt oratione, magis ostendant quæ vitæ sunt vtilia quàm poëtę, rectè potest considerari. Nam illi quidem verum tanquam scopum sibi proponunt: hi verò volunt omnino delectare. Falsum autem magis delectat quàm verum. Illis ergo magis quàm istis est attendendum, qui falsum de industria persequuntur. Vt semel autem dicam, quod ad poëtas attinet, poësis non solùm est vitæ inutilis, sed etiam maximè noxia. Humani enim animi perturbationum ac motuum est veluti quoddam propugnaculum poëtica.

Poetæ vitæ inutiles.

Falsum magis delectat quàm verum.

Poesis est vitæ noxia.

Poetica motuũ animi arx et propugnaculum.

„ *Et vt senex habet linguam suauißimam,*

Ita qui capti sunt insano amore, & ebriosi accenduntur legentes poësim Alcæi & Anacreontis. Iracundi autem Hipponactem & Archilochũ habent aliptas sui vitij. Atque quæ in hoc quidem loco dicuntur ab aliis, & maximè Epicureis, sunt huiusmodi. Nos autem nihil dicentes aduersus poëticam, aliter tentabimus dicere aduersus eos qui censent se artem habere Grammaticã, qua discernant ea quę dicuntur apud poëtas & scriptores. Quoniã ergo quoduis scriptum & quęuis poësis constat ex dictionibus quæ significant, & rebus quę significantur, oportebit Grammaticam, siquidem habet artem quæ discernit ea quæ dicuntur apud poëtas & scriptores, nosse vel dictiones

γέροντι.

Alcæus & Anacreon accendunt amatores et ebriosos.

Archilochus & Hipponax accendunt iracundos.

nes

Grāmaticus nec res subiectas nouit, neque dictiones, nec vtrunque.

nes tantùm, vel res subiectas, vel vtrunque. Sed res quidem, etsi nos non dicamus, videtur non nosse. Ex iis enim aliæ quidem sunt naturales, aliæ mathematicæ, aliæ autem ad Medicinam pertinentes, aliæ verò ad Musicam. Et oportet eum quidem qui res tractat naturales statim esse Physicum: & qui musicas, Musicum: & sic de aliis. Non potest autem Grāmaticus simul in omnibus esse doctus. Quod quidem cùm vel ex seipso appareat, ex ipsis etiam probatur effectis. Quomodo enim potest quisquam ex superciliosis Grāmaticis Heraclitum intelligere, & Platonem consequi qui dicit: » Ex indiuidua » & quæ semper similiter & eodem modo se habet essentia, & ex ea » quæ est in corporibus diuidua, tertiam ex vtrisque speciem cōstituit » essentiæ, nempè & naturæ eius quod est idem, & naturæ eius quod » est alterum, & quæ deinceps sequuntur in contextu dictionis: quæ quidem omnes Platonis interpretes silencio prætericrunt. Aut quomodo poterit assequi Dialecticas Chrysippi contemplationes, aut Archimedis & Eudoxi mathematicas? Porrò autem vt in his cęcutit, ita etiam in iis quæ de ipsis scripta sunt poëmatibus, vt cùm dicit Empedocles,

Empedocles

» *Sum cœlestis ego vobis Deus, ecce valete:*
» *Nanque inter cunctos ego iam decoratus aberro,*
» *Amplius haud mortalis.* & rursus,
At cur insisto his, tanquam magnum quid agatur,
Mortales à me si homines superantur abunde.

Grammaticus quidem, rudisque quispiam & imperitus, hæc Philosophū existimabit dicere per arrogātiam, aliorumque hominum despicientiam. quod quidē est alienum ab eo qui vel mediocriter versatus est in Philosophia, tantum abest vt id cadat in tantum virum. Qui autem à naturali mouetur contemplatione, apertè sciens antiquum esse dogma, Similibus similia cognosci, quod quidem descendisse videtur à Pythagora, situm est autem etiam apud Platonem in Timæo, dictum est autem longè antea ab ipso Empedocle,

Similibus similia cognosci antiquum dogma.

» *Terram nam terra, atque vnda conspeximus vndam:*
» *Aëre diuinum nos aëra, vidimus igne*
» *Clarum ignem: lite est lis, visus amore*
» *Est & amor.* intelliget, quòd Empedocles seipsum ap-

Empedocles cur se Deum vocarit.

pellauit Deum, quoniam cùm solus conseruasset mentem à vitio puram & imperturbatam, eo qui in se erat Deo, Deum qui erat extrinsecus comprehendit. Et scribente Arato,

Quantum

„ *Quantum à tactu oculi splendor micat, ipse reuertat*
„ *Ad nos tot vicibus si senis, quilibet horum*
„ *Mensura æquali mensus duo conficit astra.*

Non est Grammatici hoc intelligere, quòd quanta est recta linea quæ à nostro visu emittitur ad Orientem, sumpta sexies, Zodiacum metietur circulum, adeò vt ipsa duo secet signa: sed Mathematici, qui hoc per linearum ostendit descriptionem, quòd sexta pars circuli Zodiaci sit à recta quæ emittitur vsque ad Orientem. Timonē autem Phliasio Pyrrhonem Soli assimilante, cùm dicit,

Zodiaci sexta pars est linea quæ ab oculo emissa pertingit vsque ad Orientem.

Pyrrhon à Timone assimilatur Soli, & quámnam ob causam.

„ *Atque Dei tu homines solus de more gubernas,*
„ *Totam qui terram circuit orbe suo,*
„ *Ardens tornatæ à quo sphæræ ostenditur orbis:*

videbitur quidem Grammaticis id dicere ad honorem & decus Philosophi. Alius autem aduertet, num exempla quæ à Phliasio in Pyrrhonem dicta sunt, pugnent cum Sceptico proposito: siquidem Sol luce illustrans ostendit ea quæ prius non videbantur. Pyrrho autem contendit vt eæ res reddantur incertæ, quæ prius pro certis ac manifestis à nobis acceptæ fuerant. Apparet autem hoc non ita habere ei qui rem coniectat paulò magis philosophicè: sed dicit Pyrrhonem instar Solis sustinere assensionem, quandoquidem sicut Deus caliginem inducit visui eorum qui oculos in eum intendunt ac defigunt: ita etiam Sceptica oratio confundit oculos mentis eorum qui eam attendunt diligentius, adeò vt non possit comprehendere vnunquodque eorum quæ ex dogmatica ponũtur audacia. Quòd si etiam ad Medicinam pertinens persequenda sit contemplatio, adduci potest, quòd epithetum sæpe à poëta adiectum, profundum ostendit sensum, & à scientia profectũ: vt quod est apud Homerum βαθύσχοινον λεχεποίην. Significat enim, quod non potest intelligere Grammaticus, σχοῖνον, id est iunci semen, conducere ad coitum, λέχος, quod est lectus, poëta venereum appellante congressum. Aut quod apud Euripidem dicitur de Deidamia Lycomedis filia,

βαθύχοινος, profũdus in iuncis.

λεχεποίης, herbosus.

Iunci semen cõfert ad coitum.

Versatur in magno nata discrimine.
Quod vexat illam miseram & affligit malum?
Num frigus illam bilis in latere agitat?

Euripides. κρυμός.

Scitatur enim num laboret pleuritide, propterea quòd qui lateris morbo laborant, tussientes biliosum sputum educant. Quorum nihil scit Grammaticus. Quanquam est fortasse superuacaneum ex antiquis & fortè scientia præditis Grammaticos pudore afficere, cùm nec

Pleuritide laborantes tussiẽdo biliosum sputum educunt.

Grammatici nec epigramma quidē intelligunt.

nec quantumuis leue epigramma posſint intelligere, vt illud quod à Callimacho ſcriptum eſt ad Diodorum Cronum:

κῦ. κοῖα κῶς.

" *En connexa vbi ſint clamant & qualia corui*
" *A tecto, atque vt erat qui modo, rurſus erit.*

Diodorus Cronus diſſerendi peritiſſimus.

Quia enim erat Cronus diſſerendi artis peritiſsimus, & docebat quemadmodum iudicandum eſſet rectum connexum, dicet Grammaticus, quòd propterea quòd eius doctrina inualuerit, ipſi etiam corui ſupra tecta, eo quòd frequenter id audierint, eius de connexo iudicium, crocitent: & hactenus intelliget quod vel ipſis notum eſt pueris. Cùm autem venerit ad illud, Atque vt erat qui modo, rurſus erit, ſilebit, non inueniens rem quæ ſignificatur. Eſt enim Philoſophi dicere, placere Diodoro, nihil moueri. Quod enim mouetur, aut mouetur in loco in quo eſt, aut in quo non eſt. Non eſt autem primum, neque ſecundum. nihil ergo mouetur. Si nihil autem mouetur, ſequitur vt nihil intereat. Quomodo enim propterea quod non moueatur quidquam in eo in quo eſt loco, neque in eo in quo non eſt, nihil mouetur: ita quoniam animal neque in eo tempore quo viuit moritur, neque in eo in quo non viuit. Nunquam ergo moritur. Quod ſi ita eſt, vt eſt eius ſententia, ſemper viuentes erimus. Ergo res quidem non intelligunt Grammatici. reſtat ergo vt nomina intelligant. Num autem id rurſus eſt planè nugatoriū? Nam primum quidem nihil habent artificij ad cognoſcendam dictionem. Neque enim ab vlla arte didicerunt quòd apud Sophoclem paſtores dicentes ἰωβαχὴν ἰὼ, lingua Phrygia dicunt ἰὼ βαπλῶ: ſed id ab aliis audierunt. Nihil autem refert an barbaræ dictionis ſis interpres, an eius quæ prolata eſt à lingua, eſt autem ex æquo nobis non familiaris. Deinde hoc quoque non poteſt fieri, cùm ſint dictiones numero infinitæ, & quæ apud alios alia habent nomina, cuiuſmodi eſt ἐβαρβάριζε, pro ἐσύριζε. Sunt enim Syri barbari. & ὅλον, id eſt totum, pro παντὸς, hoc eſt omni vel vniuerſo: eſt enim ὅλον & πᾶν ſynonymum. & ἕλκος, id eſt vlcus pro fiſtula. eſt enim fiſtula genus vlceris. Eſt itaque totum eiuſmodi, ἐσύριζεν ὁ πὰν σύριγγας ἔχων ἐν τῇ χειρί. id eſt, Fiſtula canebat Pan fiſtulas habens in manu. Et alioqui quomodo ſcient Grāmatici nonnullas dictiones quæ ſunt ſcientiæ, quomodo ἐντελέχεια apud Ariſtotelem, aut τὸ τί ἦν εἶναι, id eſt quod quid eſt eſſe? Aut quomodo intelligēt quam vim habeat apud Scepticos vox οὐδὲν μᾶλλον, id eſt nihil magis, vtrum ſit interrogatiua, an pronunciatū enuntians, & in quánam re ponatur, num in ſubiecto externo, an in nobis ſita affectione.

Diodoro Crono placebat nihil moueri.

Nos ſemper viuere quomodo probet Cronus.

Grammatici nomina nō intelligunt.

ἐβαρβάριζεν ὅλον ἕλκος ἔχων ἐν χειρί.

ἐντελέχεια et οὐδὲν μᾶλλον ſunt vocabula ſciētiæ.

Quid

Quid dicent etiam, ex aliquibus dictionibus aliquo composito poëmate?

Ἦ γάρ σοι διασοῖσιν ὑπ' οὔρεσι διπλὸς ἐραστὴς
 ἔφθιτο, ὃ κατὴν μοῖραν ἔθηκε φύσιν.
Ἄρθρα δ' ἀσπιδόεντα βεβηκότα γῆα καθ' ὅλμου
 βαῖα τροχαντήρων ἄχρι περιστρέφεται.
Σμερδαλέα δ' ὑπένερθεν ἀλώπεκος ἄχρι δοχαίης
 αἰῶνος χαλαρῶν συνδρομὸν ἁρμονίης.

Amatores enim quínam sunt in montibus, & scutatus articulus, & trochanteres,& preterea mortariolum,& vulpes & δοχαίη, id est, receptaculum, & æuum & harmonia, neque tropicè, neque historicè, sed propriè prolata nomina, etiamsi millies animũ aduerterint, non intelligent. Si ergo neque res sciunt neque dictiones: absque iis autem nihil est poësis aut vllum scriptum, non habent artem explicandi ea quæ dicuntur apud poëtas & scriptores. Et alioqui si opus habemus Grammatica, ea opus habemus in optimis poëmatibus, minimè autem in prauis. Optimum autem poëma ex eorum sententia est id quod est clarum ac dilucidum. Poëmatis enim virtus est claritas, & apud Grammaticam malum est quod est obscurum. Neque ergo in optimo poëmate est vsui, propterea quòd non egeat expositione, vt quod sit clarum ac dilucidum: neque in malo, propterea quòd eo ipso sit malum. Id autem de quo ita dissentitur vt de illo certum non feratur iudicium, minimè potest comprehendi. Grammatici autem ita dissentiunt in expositionibus sensus scriptorum, vt de eo certum non ferant iudicium. comprehendi ergo non potest sensus scriptoris. & ideo Grammatica est planè inutilis. Sed hactenus quidem dictum sit aduersus eos qui hanc profitentur disciplinam. aliud autem sumentes principium, dicamus quæ dicenda sunt aduersus Rhetores.

In poëmatibus non habemus opus Grammatica.

De Rhetorica seu arte dicendi. Cap. 18.

CVM quæ de Grammatica dicenda fuerant persecuti sumus, est consequens dicere de Rhetorica, quæ est ars dicendi, vt quæ iam sit robustior & plus habeat virtutis, & plurimum valeat in foro & iudiciis. Sed quoniam essentiæ & non essentię communis est notio: nec horum aliquid aliud licet quærere, nisi prius sumpserimus quid sit id de quo quæritur, agè priùs consideremus quídnam sit Rhetorica, ad hoc adducendo maximè insignes Philosophorum definitiones. Atq; Plato

Quærendum est primùm quid sit.

Rhetoricæ Platonica definitio.

Plato quidem in Gorgia distinguendi & definiendi sequens rationem, videtur Rhetoricæ hanc dare definitionem ex compositione: Rhetorica est opifex persuasionis, per verba, & in ipsis verbis vim habens ac firmitatem, persuadens, non docens. illud quidem, Per verba, fortassis addens, quòd multa sint præter orationem quæ inter homines persuadeant, vtpote diuitiæ, gloria, voluptas & pulchritudo. Senes quidē certè ex populo, apud Poëtā, licet hostili & infesto & planè alienato animo essent aduersus Helenā, vt quæ illis fuisset causa malorum, persuadentur tamen ab eius pulchritudine. cumque ea ad ipsos accederet, hæc inter se dicunt:

Persuadent multa præter orationem.

Pulchritudo persuadet.

„ *Pro tali tantos tanto sufferre labores*
„ *Tempore, Troianos Græcosque haud inuidiosum est.*

Phrynes pulchritudo plus persuasit iudicib⁹ quā oratoris oratio.

Phryne quoque, vt aiunt, cùm eam defendente Hyperide esset condemnanda, fracta tunica, & nudo pectore ad pedes Iudicum prouoluta, plus potuit propter formam persuadere Iudicibus, quàm Patroni vis dicendi. Idem est etiā in pecuniis, voluptate, & gloria. Vnumquodque enim eorū inueniemus ita persuadere, vt eorum quæ sunt bona & honesta sæpe nonnulla transiliant. Non ergo inconsideratè ad persuasionem, quæ per ea fit, intuens Plato, dixit Rhetoricam esse opificem persuasionis, non quomodocunque, sed per verba. Porrò autem non quoniam verbis persuadet, omnino est Rhetorica. Nam & ars medendi, & quæ sunt eius generis artes, persuadent per orationem. sed si qua præcipuè in ipsis verbis vim habet subiectam, & non communiter. Nam & Geometria & Arithmetica, & ars quælibet genere contemplatiua, in verbis præcipuè habet vim & auctoritatem. sed quando cum eis, non ad doctrinam pertinentem, sicut Geometria, sed ad fidem faciēdam appositam habet persuasionem, quod quidem est proprium Rhetoricæ. Xenocrates autem auditor Platonis, & Stoici Philosophi dicebāt Rhetoricam esse bene dicendi scientiam. aliter quidem Xenocrate accipiente scientiam, & antiqua lege pro arte. aliter autem Stoicis, pro eo quod est habere firmas ac stabiles comprehensiones. quę quidem in solo existit sapiente. Dicere autem vtrique assumunt, vt differens ab eo quod est disserere: quandoquidem hoc situm in compendiaria breuitate, & in accipienda & danda ratione, munus est Dialecticæ. Dicere autem, consideratum in prolixa & amplè copioseque persequente ac pertractante oratione, est proprium Rhetoricæ. Vnde etiam Zeno Citticus interrogatus in quo differat Dialectica à Rhetorica, manu cōprehensa

Rhetorica habet vim persuadēdi præcipuè in verbis.

Rhetoricæ definitio secūdum Xenocratem.

Sciētia aliter à Xenocrate, aliter accipitur à Stoicis.

Dicere et disserere differunt.

Zeno Citticus pugno as-

prehensa & ea rursus expansa, In hoc, inquit, differt. in compressione quidem collocans rotundam & breuẽ Dialecticæ proprietatem: per digitorum autem expansionem & extensionem, artis dicendi facultatis tacite significans amplitudinem. Aristoteles autem in primo libro artis Rhetoricæ simplicius definit Rhetoricam, artem orationis. Et cùm apud eum quærendo obiiceretur quòd ars quoque medendi est orationis quæ pertinet ad Medicinam, quidam respondentes dicunt, quòd ars medendi refert orationem ad aliquem alium finem, nempe sanitatem: Rhetorica autem est planè ars orationis.

Similat Dialecticam, manui extensæ Rhetoricam.

Rhetoricæ Aristotelica definitio.

Porrò autem alias quoque definitiones adducit Aristoteles, de quibũs non est nobis necesse dicere, quibus non est princeps institutum tractare de Rhetorica, nisi quod attinet ad intelligendam eius proprietatem pro tractanda à nobis contradictione. cuius statim ducetur principium ab exposita à nobis notione. Nam quoniam volunt Rhetoricam esse artem aut scientiam dicendi aut orationis, efficientem persuasionis, ii qui eius definiunt notionem, nos quoque tentabimus hæc tria insequentes, docere, eam non posse consistere. Omnis ergo ars est collectio constans ex comprehensionibus exercitatis, & quæ accipiunt relationem ad finem vitæ vtilem. Rhetorica autem non est collectio constans ex comprehensionibus, vt ostendemus. Non est ergo ars Rhetorica. Falsorum enim non sunt comprehensiones. Falsæ sunt autem quæ dicuntur Rhetoricæ contemplationes, quæ sunt huiusmodi. Secus quàm res habeat, Iudicibus est persuadendum. adulter est defendendus: sacrilego licuisse id facere ostendendum: & ita sunt Iudices persuadendo in contrariam adducendi sententiam, eisque est mouẽda ira aut misericordia. Quæ quidem non sunt vera, & ideo minimè possunt comprehendi. Non sunt ergo eorum cõprehensiones. Cum quo simul efficitur vt ne sit quidem Rhetorica. Quomodo ergo non dixerimus fodiendi muros vllam esse artem, quæ suadeat muros sic esse fodiendos: & furandi artem quæ doceat oportere sic furari, & secare crumenã: (sunt enim falsæ & non decentes contemplationes) ita nec Rhetoricam existimandum est artificiosam habere substantiam, vt quæ huiusmodi præceptis labefactetur. Critolaus quidem certè Peripateticus, & diu antè Plato, cùm hoc vidissent, eam vituperarunt, vt quæ artificium esset potius improbum quàm ars. Præterea quoniam omnis ars aut habet finem firmum ac stabilem, vt Philosophia & Grammatica; aut eum qui est magna ex parte, vt ars medendi & ars gubernandi; oportebit etiam

Ars quid sit.

Rhetorica nõ est ars.

Rhetoricæ falsa sunt theoremata.

Plato et Critolaus vituperarunt Rhetoricam.

Ars habet finem [illegible]mũ & [illegible]em, aut qui est, vt plurimum.

etiam Rhetoricam, ſiquidem eſt ars, horum alterum profiteri. Sed neque firmum ac ſtabilem habet finem. Neque enim ſemper vincit aduerſarios. ſed nonnunquam alium quidem finem proponit orator: alium autem conſequentem habet finem. Sed neque eum qui magna ex parte euenit, quandoquidem omnis orator ſi ſecum conferatur, ſæpe magis vincitur quàm vincit, vtpote quòd eius argumẽta alter omnino infirmet ac refellat. Non eſt ergo ars Rhetorica. Et ſi contingit vt ſit orator non particeps artis Rhetoricæ, non eſt ars Rhetorica. Contingit autem ſatis rectè fungi munere Oratoris eum qui non fuit particeps Rhetoricę, ſicut accepimus de Demade. Nam cùm eſſet remex, conſtat eum optimum fuiſſe oratorem, & cum eo alios plurimos. Non eſt ergo ars Rhetorica. Quòd ſi non credimus eos fuiſſe tales, ſed ad dicendum acceſſiſſe cùm ad eum perueniſſent habitum diuturno vſu & exercitatione: at noſtro quidem certè tempore licet videre multos, qui & in iudiciis & in concionibus aptè dicunt & diſertè, non norunt autem artificioſa præcepta Rhetoricæ. Et contrà, ſi ij qui accuratè ea tenent, & in dicendi arte multum laboris & operæ poſuerunt, oratoris partes implere non poſſunt in foro & iudicio: non dicenda eſt Rhetorica artificioſa ratio ac methodus. Atqui, vt norunt omnes qui hodie viuunt, ij qui Sophiſtis & Rhetoribus dederunt operam, ſummè quidem ſe exercuerunt in dicendi artificio, in terra autem quæ eſt ſub dio, cernuntur magis muti quàm piſces. Arte ergo non ſunt aliqui oratores. Quò fit vt mihi veniat in mentem eos ridere, quando reſpondentes huic argumento quo refelluntur, dicunt quòd ſicut coti non eſt à natura inſitum vt ſecet, ſed gladium acuens eum parat ad ſecandum: ita ipſi quidem non poſſunt dicere, propterea quòd non ſint aſſueti: alios autem arte prouehentes, efficiunt Oratores. Non viderunt enim viri illi præclari, quanta comparationis huius ſit diſſimilitudo. ſiquidem cos quam habet artem, eam non tribuit ei qui eſt proximus. Critolaus autem & Academici, inter quos eſt Clitomachus & Charmidas, ſolent ipſi quoque hæc dicere. Artes quidem non expellunt ciuitates, vt quæ ſciant eas vitæ valde eſſe vtiles: quomodo nec œconomicos expellimus ab ædibus, nec bubulcos à grege. Omnes autem dicendi artem, tanquam infeſtiſſimum hoſtem, vbique perſequuntur & vndiq; eiiciunt. vt legiſlator Cretenſis, qui inſulam ingredi prohibuit eos qui in dicendo ſe iactant & arroganter ſibi placent. Spartanus autem Lycurgus, vt qui Thaletis Cretenſis eſſet æmulator, Spartanis eandem

Orator eſt etiam qui neſcit Rhetoricam.

Demades nõ erat peritus artis dicendi.

Qui Rhetoricæ diu dederant operam non implent partes oratorũ.

Rhetorica nõ rectè coti comparatur.

Critolaus. Clitomachus. Charmidas.

Artes vtiles non expelluntur à ciuitatibus.

Cretenſis legiſlator Rhetoricam exulare iuſſit.

dem ſanxit legem. Quam ob cauſam longo pòſt tẽpore adoleſcentem qui apud exteros in arte dicendi ſtudium & operam poſuerat, reuerſum punierunt Ephori, adiecta cauſa condemnationis, quòd ad fallendam ac circunueniendam Spartam ſe in doloſo dicendi genere exercuiſſet. Ipſique perpetuo odio habuerunt Rhetoricam, ſemper autem ſimplici vſi ſunt breuitate. Vnde etiam qui ab eis aduerſus Atheniẽſes omnium ſuffragiis electus erat legatus ad Tiſaphernem, cùm Athenienſes prolixa & varia vterentur oratione, baculo duabus lineis in ſolo deſcriptis, altera quidem recta & parua, altera verò longa & incurua ac obliqua, Ex his, inquit, ô Rex, vtram mauis elige. per longam quidem & incuruam lineam, Rhetoricæ innuens fucum & ſuaue lenocinium: per breuem autem ſimul & rectam, ſimplicem & compendiarium ſcopumque rectà attingentem ſermonem. Propter quem, non ſolùm apud ſuos ſed etiam apud exteros perſequuntur fugantque ſuperuacaneam dicendi rationem. Chiorum quidem certè legatum, qui vt Chiis frumentum exportare liceret rogabat, quoniam in rogando prolixa fuerat vſus oratione, re infecta amandarunt. Miſſo autem altero qui egit compendioſius, Chios enim premebat neceſſitas, conceſſerunt. Is enim oſtenſa eis arcula, dixit ipſam opus habere farina. & tamen eum quoque reprehenderunt tanquam nimis loquacem. Inanis enim oſtenſa arcula ſatis indicabat Chiorum petitionem. His motus Ion Grammaticus de iis dixit,

„ *Non fortis eſt verbis Lacena ciuitas.*
„ *Sed cùm irruit recens Mars in exercitum,*
„ *Senatus imperat, manuſque conficit.*

vt qui optimè quidẽ conſulent, oderint autem Rhetoricam. Quamobrem ſi artes quidem non eiiciunt ciuitates, eiecerunt autem Rhetoricam, non eſt in numerum artium referenda Rhetorica. Nam retorquere quidem, & dicere quòd philoſophos exterminarint quædam Græcæ ciuitates, ſtultum eſt. Nam primum quidem in hoc non poſſunt prębere teſtimonium, ſicut in Rhetorica, ij qui colligunt cõtrarium. Deinde etiam ſi Philoſophiam quędam eiecerunt ciuitates, non vniuerſam in genere eiecerunt, ſed quaſdam hæreſes: vtpote hæreſim Epicuream, vt quæ eſſet magiſtra voluptatis: Socraticam autem, vt quæ Deos vituperaret ac vilipenderet. At priùs dictæ ciuitates, non aliquam quidem recuſarunt Rhetoricam, aliquam verò admiſerunt: ſed communiter vniuerſam coëgerunt à ſuis excedere finibus. Accedit ad ea quæ dicta ſunt, quòd ſi ars eſt omnino Rhetorica,

Lycurgus tulit legem ne Spartæ doceretur Rhetorica.

Ephori punierunt adoleſcentem qui apud exteros didicerat Rhetoricam.

Lacedæmoniorum legatus apud Tiſaphernẽ duabus lineis depinxit Rhetoricam, & breuẽ orationem.

Chiorum legati Lacedæmone in annonæ caritate.

θυλακός.

Ion Grammaticus quid dicat de Lacedæmoniis.

ταχμος.

Philoſophiæ quaſdam hæreſes eiecerũt quædam ciuitates, non omnem Philoſophiam.

Socratica hæreſis.

Epicurea hæreſis.

rorica, aut ei qui ipſam habet erit vtilis, aut ciuitatibus, vt cæteræ artes. Sed neq; ei qui ipſam habet, neque ciuitatibus eſt vtilis, vt oſtendemus. Non eſt ergo ars. Atque ei quidem qui eā habet non eſt vtilis. Nam primùm quidem neceſſe habet volutari in foro & in tabulariis & literarum repoſitoriis, & velit nolit verſari cum improbis, vafris impoſtoribus, & calumniatoribus, & in eundem locum conuenire. Deinde etiam pudoris ei parua eſt habenda ratio, ne aſtutioribus videatur dignus qui contemnatur. Deinde dicendum eſt confidenter, & tanquam arma obiicienda eſt audacia, vt aduerſariis ſit formidabilis. Oportet etiam eum eſſe impoſtorem & præſtigiatorem, deinde etiam eſſe educatum in rebus peſſimis, nempe in furtis & adulteriis, & in ingrati animi crimine aduerſus parentes, vt agendo ea poſſit quando opus eſt arguere, & rurſus ea conturbare ac tenebras offundere. Deinde multos habere inimicos, & odio eſſe omnibus: aliis quidem, quoniā fuerunt aduerſarij: aliis verò, vt qui ſciant quòd quomodo mercede conductus alios malè affecit, ita etiā ipſos longè maiori lucro ineſcatus ſit affecturus. Ad quæ accedit, quòd perpetuò eſt anxius, & prædonis inſtar aliquando fugit: aliquando verò inſequitur: adeò vt noctu diuq; laborans vexetur ab iis quibus ſunt negotia: plenam autem habeat vitam luctu & lachrymis, cùm alij quidem ducantur in carcerem, alij verò ad equuleum. Eſt ergo ei qui ipſam habet noxia Rhetorica. Sed neque eſt vtilis ciuitatibus. Leges enim ſunt vincula ciuitatis: & vt ſi interierit corpus, interit anima: ita ſublatis legibus pereunt etiam ciuitates. Theologus itaq; Orpheus oſtendens quàm eæ ſint neceſſariæ, dicit,

Rhetorica nõ eſt vtilis ipſis oratoribus.

Rhetorica inutilis ciuitatibus.

Leges ſunt vincula ciuitatis.

,, *Tempus erat quo homines inter ſe carne parabant*
,, *Morſa vitam, epulas ſumens maiorque minorem*
,, *Conuiuabatur.* Nam cùm nulla lex dominatum obtineret, vnuſquiſque ius habebat in manibus: & ſicut
,, *Piſcibus atque feris auibusque volucribus, eſſe*
,, *Se inter ſe fuerat conceſſum. nam locus vllus*
,, *Iuſtitiæ inter eos non eſt.*

Donec Deus eos miſeratus, Deas miſit quæ leges ferrent: quas magis admirati ſunt homines, propterea quòd ſe inter ſe comedendi coërcuerint iniuriam, quàm quòd vitam fructibus humanam reddiderint & manſuetam. Hinc etiam apud Perſas, qui ſunt paulò elegantiores, lex eſt, vt cùm Rex apud eos exceſſerit è viuis, quinque deinceps dies abſque lege vitam agant: non vt ſint infelices, ſed vt re ipſa

Legiferæ Deæ fruges quoque dederunt hominibus.

Perſæ poſt mortem regis quinque dies viuunt ſine legibus.

ipsa discant quantum malum afferat viuere nullis legibus, vt sint Regum custodes fideliores. Sed Rhetorica accersita fuit aduersus leges. Huius autem rei magnum est indicium, quòd apud Barbaros, apud quos vel non est omnino vel raró est Rhetorica, leges firmæ maneant & immobiles: apud eos autem qui ipsam admittunt, quotidie nouæ ferantur, sicut apud Athenienses. Nam vt dicit Plato poëta veteris comœdiæ, Si quis peregrè abfuerit tres menses, non amplius agnoscit ciuitatem: sed non secus atque eos qui noctu ambulant, transire dicit præter mœnia, tanquam quosdam tabellarios: vtpote quòd, quantum ad leges attinet, non sit eadem ciuitas. Est autem perspicuum eam esse aduersus leges, ex iis quæ ponuntur in malis artibus. Nam aliquando quidem suadent attendendum esse scriptum, & verba legislatoris, vt quæ sint aperta, & nulla opus habeant expositione. Aliquando autem contrà, neque scriptum neque verba, sed sententiam esse sequẽdam. Neque enim qui vult puniri eum qui ferrum alicui intentauit, eum qui quomodocunque intentauit censet puniendum, vt annulum: vel qui cuiusmodicunque, vtpote acum: sed eius animum esse puniendum, cuius ea fuit audacia vt vellet hominem occidere. Iubent autem nonnunquã leges legere truncatas, & ex iis quæ restant alium sensum componere. Sæpe autem ambiguas quoque distinguũt dictiones, confirmantes significatum quod est eis conducibile. aliaque faciunt innumerabilia ad euertendas leges. Vnde etiam Orator Byzantinus rogatus quomodo se habeat lex Byzantinorum, Vt ego volo, inquit. Quomodo enim qui ludunt calculis, per manuum velocitatem spectatorum furtim præstringunt oculos, ita Oratores cùm per astutiam Iudicum animis tenebras offuderint, lege suffragia & calculos subripiunt. Præter leges quidem scripta decreta, nemo est ausus promulgare nisi Oratores. Id quidem certè quod scriptum fuerat aduersus Ctesiphontem, multùm vociferans & verborum se iactans portentis surripuit Demosthenes. Vnde etiam Æschines, Mala, inquit, consuetudo irrepsit in iudicia: Accusator quidem respondet ac se defendit: Reus autem accusat: Iudices autem coguntur ferre sententiam de iis de quibus non sunt iudices. Sed si contra leges est Rhetorica, cùm in nulla re sit vtilis, est etiam noxia. Sed neque Oratores qui dicendo populi regunt animos, ad bonum prodeunt ciuitatis. sed quam habet rationẽ ad Medicum Pharmacopola, eam habet Orator ad eum qui est præditus scientia administrandæ ciuitatis. Multos enim prauè docet loquens

Nouæ leges quotidie feruntur vbi est Rhetorica.

ἀγγέλους

Rhetorica est aduersus leges.

Rhetoricæ malæ artes.

Orator Byzantinus Byzantinorũ legem dixit se habere vt ipse vellet.

Oratores cõparantur iis qui ludunt calculis.

Demosthenes pro Ctesiphõte.

Aeschines aduersus Ctesiphontem.

Oratoris ad politicum eadem est ratio, quæ pharmacopolæ ad medicum.

quens quæ sunt eis grata: & calumniis eos abalienat aduersus ciues optimos ac præstantissimos. Nam verbis quidē, & quam de se præbet opinione, pollicetur se omnia facturum pro bono publico: re vera autem ex nulla re bona & sana parat alimentum, similis nutricibus, quæ buccellam dantes infantibus, totum deuorant. Atque hæc quidem de Rhetorica in eam inuehendo dicuntur ab Academicis. Quare si neque ei qui ipsam habet, neque propinquis est vtilis, non est ars. Sed ad hæc respondentes dicunt nonnulli, quòd cùm duplex sit Rhetorica, alia quidem bona & honesta, & quæ est inter sapientes: alia autem quæ est inter mediocres, accusetur non bona & honesta, sed improborum Rhetorica. Nonnulli autem vtuntur etiam exemplis. Quomodo enim pugil qui verberat patrem, non ideo patrem verberat quòd sit peritus artis pugnandi, sed propterea quòd sit prauis moribus: ita qui in dicendi arte se exercuit, & ea vtitur aduersus patriam & leges, non est eiusmodi propter Rhetoricam, sed propter suam prauitatem. Priores autem non animaduertunt, quòd inuiti concedunt non esse Rhetoricam. Nam cùm nullus inueniatur sapiens, aut rarò inueniatur, oportebit etiam eam quæ est in sapientibus Rhetoricam, aut non esse, aut esse raram. Secundis autem dicendum est: Dissimile est exemplum iis de quibus in præsentia quæritur. Decertatio enim non docet ea vti ad malum, vtpote ad verberandum patrem. Rhetorica autem hoc docet tanquam præcipuum munus, nempe quemadmodum dicendo ex paruis magna faciant, ex paruis autem magna: & quemadmodū iusta videantur iniusta, iniusta autem iusta. In summa autem cùm constet Rhetorica ex contrariis quæ ab ea dicuntur, non contingit dicere alium quidem esse bonum & honestum Oratorem, aliū verò minimè. Cuiusmodicunque enim sit Orator, debet omnino contrarias meditari & exercere orationes. In contrariis autem est etiam iniustum. Omnis ergo Orator, cùm sit iniustitiæ patronus ac defensor, est etiam iniustus. Atque quòd Rhetorica quidem non sit ars dicenda, ex his est manifestum. Post hoc autem consideremus etiam, ex materia in qua versatur, eā non posse consistere. Quanquā hoc caput fuit à nobis prius traditum cùm ageremus aduersus Grammaticos. Nam si in oratione versatur Grammatica: non est autem aliquid dictio, neque oratio quę constat ex dictionibus, vt ostendimus, propterea quòd non sit id cuius non sunt partes, consequetur etiam Rhetoricam non posse consistere. Dicendum est tamen, primum quidē, quòd non si in oratione versatur Rhetorica,

Oratores similes nutricibus.

Duplex Rhetorica, bona & mala.

Oratoris Rhetorica abutentis, & pugilis patrē verberantis comparatio.

Orator contrarias exercet orationes.

Materia in qua versatur Orator.

Rhetorica malum artificium.

torica, omnino est artificiosa: sed si in ea quæ est vtilis. Quomodo enim cùm sint diuersa venena, & alia quidem sint letifera, alia verò salutaria, qui in mortiferis quidem versatur habitus, nec est ars, nec medicina, qui autem in salutaribus, est & ars & vitæ vtilis: ita etiam cùm ex orationibus aliæ quidem conferant, aliæ verò sint noxiæ: si non in vtilibus versetur Rhetorica, sed in noxiis, præter id quòd non erit ars, erit etiam prauum artificium. Prius autem ostendimus quòd maximè noxias suscipiat orationes. Non est ergo ars. Porrò autem quomodo vis calumniandi & facultas populum agitandi in concionibus, in dicendo se exercent, nec sunt artes: perspicuum est quòd etiam Rhetorica, quæ eo solo censetur quòd in dicendi facultate studium posuerit, ars non erit. Atqui calumnia & facultas agitandi populum in concionibus, in dicendo se exercent, nec sunt artes: ergo nec Rhetorica. Ad hæc accedit, quòd nec hoc quidem sit proprium Rhetoricæ, sed etiam cuiusuis quæ est rationis particeps disciplinæ. Ars enim Medicinæ bene dicit de suis contemplationibus: & Musica de musicis. Quamobrem quomodo vnaquæque earum non est Rhetorica propterea quòd dicit, ita nec ea de qua quæritur. Vt semel autem dicam, neque bonam dictionem probat ac confirmat Rhetorica. Neque enim nobis ostendit quo hoc fiat artificio, vtpote quòd bona vtatur dictione, primum quidem qui non declinat ac vitat ea quæ dicuntur ex consuetudine, vt ostendimus aduersus Grammaticos: deinde nec certò tenet rem de qua intelligitur. Vaga enim & incerta est dictio si hæc ignorentur. Quamobrem ad hoc aspicientes, vnunquenque bonum dicimus esse oratorem eorum studiorum in quibus se exercet. Præterea is quoque qui considerat quænã dictiones impositæ sunt ex consuetudine, & quęnã ex opinione, vnicuique reddit id quod est ei appositum ac congruens. Nam balneum quidẽ dictum est ἀνδρεῶν, id est virile, ex consuetudine, propterea quòd viros lauet. Diues autem beatus, & mors malũ, ex opinabilibus. Nam & quòd mors sit malum, & diuitiæ bonum, est ex iis quæ sunt incerta & opinabilia. Dictione autem rectè vtetur qui comprehenderit quámnam ob causam dictionum fiant metalepses, id est in significatione transmutationes: nempe vt vel non recto ductu verba proferantur, recto verbo afferente offensionem: vel pro re aliqua apertè declaranda, vt cùm causam transmutamus in efficiens: signum autem in declarans aut significans. Atque si Rhetores quidem, vt dixi, de his aliquam traderent artem, fortasse & bene dicere, elegantemque & orna-

ὀχλοκοπικὴ

ὀχλοκοπικὴ

Artis cuiuslibet est bene dicere, nõ solius Rhetoricæ.

Rhetorica nõ probat bonam dictionem.

ῥέμβεται.

Balneum cur dicatur ἀνδρεῶν.

& ornatam dictionem haberēt à Rhetorica. Nunc autem cùm hanc nequaquam attingant contemplationem: aut si attingant, non attingunt ex Rhetorica: dicendum est non esse Rhetoricæ bonis ac elegantibus vti dictionibus.

Dictio per se nec est bona nec mala.

Dictio autem per se neç est bona nec mala. Huius rei autem est signum, quòd si eadem dictio à viro probo & honesto dicatur, offendamur. si autem à Mimo qui risum mouet, minimè. Quamobrem quando dicet Rhetor se bonam struere dictionem, vel hac ratione id facere dicitur, quòd struat dictionem quę res significet vtiles, vel quæ ostendat qualis sit, si purè Græcè loquamur, vel quæ efficaciter ac breuiter & appositè ad probandū & confirmandum res significet.

Dictionē bonam struere quomodo dicatur aliquis.

Sed neque quòd struat dictionem quæ significet res vtiles. De his enim rebus nihil sciunt Rhetores. sed neq; quòd ostendat quæ sit purè Græca. est enim hoc commune eorum qui attendunt consuetudinem, & artes liberales. Neque quòd eam quæ res significet dilucidè & breuiter & appositè ad probandum ac confirmandum. Contrà enim, periodum & epiphonema volentes dicere Oratores, & vocalem cum vocali non collidere, & similiter desinentem declinare sententiam, arcentur ne clarè dicant ac dilucidè, & ne sit breuis ac compendiosa rerum interpretatio. Non est ergo Rhetoricæ bonam struere dictionem, & bene dicere. Et hoc quòd sit concesso, si quis elegerit eiusmodi phrasim & dicendi rationem, primum quidem, propterea quòd ea non cadat in communem vsum vitæ (nemo enim nostrum ita loquitur vt Oratores in foro ac iudiciis) irridebitur. Quinetiam illi ipsi quoque cùm recesserint à forensi vsu & actione, apud propinquos alio vtuntur sermone.

Orator irridetur qui domi ita loquitur vt in foro & iudicio.

Deinde, vt dixi, affert etiā offensionem attentè & rhetoricè dicere. Transferenda sunt autem quę prius dicta sunt, aduersus Grammaticos vtētes analogia: & docendum, ab iis qui volunt bene dicere, magis attendendam esse consuetudinem quàm artem aliquam curiosam & superuacaneam.

ἀναλογιστικῶς.

Nunc autem transeamus, & à fine Rhetoricæ sumamus argumenta. Rursus ergo dicendum est, quòd si nullus sit finis Rhetoricæ, nihil est Rhetorica, propterea quòd omnis artificiosus habitus referatur ad aliquem finem. Non est autem aliquis finis Rhetoricæ, vt ostendemus. Non est ergo aliqua ars Rhetorica.

Artificiosus omnis habitus refertur ad aliquem finem.

Atq; plurimi quidem, iique præstantissimi & doctissimi, extremum munus dicunt esse Rhetoricę, persuadere. Eo enim spectans Plato, dixit eam esse vim persuadendi verbis: & Xenocrates eam esse opificem persuasionis: Aristoteles autem, vim contemplandi eius quod contingit

Finis Rhetoricæ diuersus à diuersis statuitur.

tingit esse probabile. Aristo verò familiaris Critolai, scopum quidẽ dicit ei esse propositum, persuasionem: finem autem, eam assequi. Hermagoras autem dicebat esse perfecti Oratoris officium, ciuilem quæstionem propositam tractare, quantum fieri potest, aptè ad persuadendum. Athenæus verò vim dicendi dicit esse Rhetoricam, quæ scopum sibi proponit persuasionem auditorum. Isocrates autem dicit Oratorum non aliud esse institutum, quàm scientiam persuadendi. Vnde nos quoque eorum insistentes vestigiis, protinus dicebamus, quòd τὸ πιθανὸν, id est id quod est appositum ad persuadendum, appellatur tribus modis. Vno quidem modo id quod est euidenter verum, & veri procreans visionem, nos attrahit ad assensum. Alio autem modo id quod est falsum, & veri procreans visionem, nos attrahit ad assensum. quod quidem solent εἰκὸς, id est verisimile, appellare Rhetores, eo quòd sit ἐοικὸς τῷ ἀληθεῖ, id est simile verò. Tertio autem modo id quod est commune veri & falsi. Cùm tot autem modis dicatur τὸ πιθανὸν, id est probabile & aptum ad persuadendum, rogandi sunt Rhetores, quónam ex his probabilibus existimãt Rhetoricam quærere persuasionem: & in quónam ex iis volunt eam suo vti artificio. an in eo quod est euidenter verum: an in falso quod est veri simile: an in eo quod versatur in vtriusque cõmunitate. Sed fieri quidem non potest vt eam quærat in eo quod est euidenter verum. hoc enim ex seipso persuadet, & nos attrahit ad assensionem, adeò vt sit superuacanea quæ in ipso consistit à Rhetorica persuasio. & quomodo nulla opus habemus arte ad persuadendum quòd nunc sit dies, vel quòd ego nunc disputem, cùm res sint euidentes, & quæ ex se possunt deprehendi: ita neque vt assentiamur eum cædem fecisse qui in ipsa cæde est deprehensus, opus est Rhetorica. Et alioqui si id quod est apertè verũ, quatenus est probabile, contemplatur Rhetorica, omnino etiã contẽplabitur id quod non est probabile. ea enim ratione sumitur ex ea quam inter se habent habitudine. Et qua ratione qui comprehendit sinistrum, necessariò etiam assequitur id cuius est sinistrum: ita etiam qui discernit probabile verum ab eo quod nõ est eiusmodi, habet etiam notitiam veri non probabilis. Quoniam ergo quidquid est verum, cuiusmodicunque sit, aut est probabile aut improbabile, sequetur Rhetoricam contemplari quidquid est verũ, & sequetur etiam vt contempletur quidquid est falsum. Qua enim ratione qui discernit probabile, necessariò etiam discernit improbabile: ita etiã qui omne verum agnoscit, assequitur etiam quidquid

Probabile quot modis dicatur.

ei aduerſatur, hoc eſt falſum. Quod ſi ita eſt, erit Rhetorica cognitio verorum & falſorum. Sed non ita eſt. Nec ergo contemplabitur id quod eſt ex ſe verum. Porrò autem profitetur etiã defendere ea quæ ſibi inter ſe aduerſantur. Quæ autem ſibi inter ſe aduerſantur, non ſunt vera. Non ergo id quod eſt verum quærit & ſibi proponit Rhetorica. Sed nec falſum. nulla enim ars ſtat in falſo. Sed neceſſe eſt Rhetoricam quæ hoc perſequitur, vel non eſſe artẽ, vel prauum eſſe artificium, & ſimul eaſdem rurſus occurrere dubitationes. Si enim verſatur in falſo probabili, omnino ſciet etiam nõ probabile. Quoniam ergo quidquid eſt falſum, eſt vel probabile, vel non probabile, omnino falſi erit ſcientia, & ideo etiam cuiuſuis veri. Quo fit vt ea minimè differat à Dialectica. quod quidem multis modis eſt abſurdum. Verumenimuero ſi ea defendit quæ ſibi inter ſe aduerſantur, quæ autem ſibi inter ſe aduerſantur, non ſunt falſa: nequaquam falſum contemplabitur. Præterea ſi veriſimile eſt quod multa præbet ad verum argumenta, & ab eo non longè abeſt: id autem quod ei aduerſatur, eſt quod pauca & rara habet argumenta ad hoc vt ſit verum, omnino Rhetorica quæ argumentatur in contrariũ, non magis ſcopum ſibi proponit id quod eſt veriſimile, quàm quod ei aduerſatur. Sed neque perſequitur id quod eſt commune veri & falſi. In eo enim eſt falſum annexum: & eſt abſurdum, artem vti falſis: & ſimul etiam ſequitur eo modo quo prius oſtenſum eſt, quòd ipſa ſciẽtia ſit verorum & falſorum, cùm res non ita habeat. Sed ſi nec verum nec falſum, neque quod eſt vtriuſque commune, contemplari poteſt Rhetorica, præter hæc autẽ nihil eſt probabile quod poſſit perſuaderi, non eſt Rhetoricæ officium perſuadere. Atque nos quidem volumus vti his argumentis, alij verò aliis. Dicunt enim: Siue Rhetorica eſt ars, ſiue non, quomodo habet finem communem eius qui non eſt Orator? Multi enim ſunt qui perſuadent propter diuitias, aut pulchritudinem, aut gloriam, vt prius oſtendimus. Sæpe autem cùm dictæ ſunt orationes, & ab eis perſuaſi ſunt Iudices, nihilo minus adhuc manent Oratores alium finem expectantes, & manentes precantur. Non eſt ergo perſuadere finis Rhetoricæ, ſed id quod ipſum ſequitur. Et alioqui oratio rhetorica aduerſatur perſuaſioni. Nam primùm quidem ea eſt affectata & ſuperuacanea. Offendũtur autem multi oratione huiuſmodi. Deinde oratio quæ non eſt clara & dilucida, minimè eſt apta ad perſuadendum. Oratorum autem oratio quæ ſita eſt in periodis & enthymematibus, minus eſt clara ac dilucida.

Perſuadere non eſt proprius finis oratoris.

Oratio rhetorica aduerſatur perſuaſioni.

cida.

cida. Non est ergo apta ad persuadendum oratio quæ proficiscitur à Rhetorica. Præterea oratio quæ Iudices reddit beneuolos, ea est apta ad persuadendum. Beneuolos autem reddit, non Rhetorica, sed simplex, & quæ priuati hominis exprimat speciem. Nam Oratoris quidem orationi aduersantur omnes, vt qui eius inuideant excellentiæ. Nam etsi quæ iusta sunt probet Orator, videntur non propter rerum naturam, sed propter Oratoris calliditatem, quæ non sunt iusta eis apparere talia. Priuati autem hominis orationi, vt quæ sit imbecilla, fauet quilibet: & rei minus iustæ conciliat opinionem quòd sit magis iusta, quòd eam astruat homo simplex & priuatus. Quam ob causam Atheniensibus olim non erat permissum adhibere patronum qui defenderet eorum causam qui iudicabãtur in senatu Areopagitarum: sed vnusquisque, pro viribus, absq; vllis verborum strophis aut vlla calliditate, pro se verba faciebat. Pręterea si crederent Oratores se vim habere persuadendi, oporteret eos nec misericordiam, nec iram, neque vlla alia mouere eiusmodi, quæ minimè quidem persuadent, sed Iudicum mentem circunscribunt, & iuri offundunt tenebras. Atque quòd persuadere quidem non contingat esse finem Rhetoricę, ostensum est. Nonnulli autem dicunt hoc non esse eius finem: sed inuenire ea quæ posse dici contingit. Alij autem, Iudicibus eam de rebus indere opinionem quam velint ij qui dicunt. Alij autem vtile. Alij vero vincere. Quorum primis quidem dicendum est, Si ea quæ dici posse contingit in causis, inuenire profitetur Rhetorica: aut ea quæ vera sunt, aut quæ dici possunt profitetur. Nõ autem vera. Oporteret enim eos habere regulam discernendi vera & falsa: quod non habent. Nec ea quæ dici possunt. Vera enim ignorantes, nec ea quæ dici possunt agnoscent. Non est ergo Rhetoricæ inuenire ea quæ rei insunt, & quę de ea dici possunt. Neq; verum est quòd Rhetorica nihil sit aliud quàm inuenire ea quæ dici posse contingit. Qui itaque hunc dicit esse finem, perinde est ac si dicat Rhetoricam esse finem Rhetoricæ. Neque id propter quod se omnia facere dicit Orator, illud erit finis. Non quidem certè propter argumenta quæ contingit posse dicere, omnia agit Orator: sed propter id quod sequitur post argumenta. Non est ergo illud finis. Præterea quem finem opus habet vt assequatur Orator, eum etiam vt assequatur opus habet qui eum conduxit priuatus. At priuatus non hoc contendit assequi, vt quę dici posse contingit inueniat, sed aliquid aliud. Illud ergo erit finis, non autem inuenire ea quæ dici posse contingit.

Beneuolos auditores quænam reddat oratio.

In senatu Areopagitarum non adhibebatur patronus.

Inuenire quæ dici possunt in causa, sitne finis Rhetoricæ.

Indere iuditi quam vult opinionem, sitne finis Rhetoricæ.

Vtile sitne finis Rhetoricæ.

Vtile est finis omnium artium.

Vincere sitne finis Rhetoricæ.

Sed neque Iudicibus eam de rebus indere opinionem quam volunt ij qui dicunt. Hoc enim nihil differt ab eo quod est persuadere. nam qui persuasit, eam quam vult opinionem indidit Iudicibus. Nos autem ostendimus persuadere non esse finem Rhetoricæ. Quare nec opinionem indere. Sed neque vtile, vt nonnulli voluere. Nam quod partis est finis, non fuerit hoc finis totius. Partem autem Rhetoricæ, generis deliberatiui finem, Rhetores dicunt esse vtile. Non est ergo finis totius Rhetoricę. Et quod totius artis est communiter finis, hoc esse non poterit solius Rhetoricæ. Vtile autem est omnium in vita artium finis. Non est ergo hoc proprium Rhetoricæ. Restat ergo vt vincere sit eius finis. quod rursus non potest esse. Qui enim sæpenumero non assequitur Grammaticæ finem, non est Grammaticus: & qui sæpenumero non assequitur Musicæ finem, nō est Musicus. Ergo & qui sæpenumero non assequitur finem Rhetoricę, non est Rhetor aut Orator. Orator autem sæpius vincitur quàm vincit, & eo sæpius quo est eius maior vis in dicendo, cùm ad eum concurrant qui malas & iniquas habent causas. Non est ergo Orator. Præterea qui Rhetoricæ finem non fuerit assecutus, minimè laudabitur. Oratorem autem nonnunquam victum laudamus. Non est ergo finis Rhetoricæ vincere. Quamobrem si neque materiam habet Rhetorica in qua artem exerceat, neq; finem ad quem referatur, non potest esse Rhetorica. Sed nec materiam habet nec finem, vt ostendimus. Non est ergo Rhetorica. Pręterea autem moueri possunt dubitationes etiam ex eius partibus.

Rhetoricæ quænam sint partes.

Rhetoricæ partiū diuersi sunt fines.

Si in iudiciali finis sit iustū, quænam sequantur absurda.

Rhetoricæ autem partes esse dicunt, Iudicialem, deliberatiuam, & laudatoriam. Earum autem, iudicialis quidem finē esse, iustum: deliberatiuæ autem, vtile: laudatoriæ autem, honestum. quod quidem statim est dubium. Si enim aliud est causa iudicialis, & aliud deliberatiua, & non idem quod laudatoria: causæ iudicialis & deliberatiuę non erit idem finis: & eius finis non erit finis causæ laudatoriæ, & contrà. Quoniam ergo deliberatiuæ finis est vtile, id non erit finis iudicialis: Iudicialis autem finis erat iustum. Non est ergo iustum vtile. Et rursus, quoniam vt hæ partes inter se differunt, ita etiam different fines: quatenus laudatoriæ quidem finis est honestum, iudicialis autem iustum: potest esse honestum non iustum, & iustum non honestum. quod quidem est absurdum. Præterea si totius Rhetoricæ finis est persuadere, iudicialis autem iustum, & laudatoriæ honestum: non erit omnino iustum probabile & aptum ad persuadendum: neq; vtile: neque honestum. quod quidem pugnat cum

eo quod

eo quod Rhetorica perpetuò quęrat & sibi proponat persuadere. Et alioqui in iudiciali aut per iustas solùm orationes ad finem Iudices trahet Rhetorica: aut per iustas simul & iniustas. Sed si per iustas quidem solùm, fiet virtus. Non est autem virtus, quæ sibi tanquam scopum proponit persuadere ad vulgus: siquidē in ea persuasione multa sunt quę dicuntur temere, & appositè ad fallendum. Non est ergo ei à natura insitum, vt per solas iustas orationes ducat ad finem auditores. Sed nec ex contrariis constabit orationibus, cùm ea iustum semper persequatur. Si non sit autem contraria oratio, nec erit quidē Rhetorica. Quamobrem nec hac ratione iustis solùm vtetur orationibus, quandoquidem erunt iniusta. & rursus si non sit oratio contraria, non poterit consistere. Restat ergo vt ea ingrediatur per vtrũque. quod quidem prioribus est multo absurdius. erit enim simul & virtus & vitium: quod fieri non potest. Non est ergo dicendum iudicialem esse Rhetoricæ partem, cuius finis sit iustum. Ad ea quæ dicta sunt accedit, quòd si Orator iustum proponit Iudicibus ostendere in iudiciali parte Rhetoricæ, aut iustum quod ostendit, ex se apparet & de ipso constat: aut est dubitabile. Sed ex se quidē non dixerint apparere. In hoc enim non consistit oratio rhetorica, si id sit eiusmodi de quo non dubitetur. Restat ergo vt sit dubitabile: quod rursus est dubium. Tantum enim abest vt qui argumentantur in contrarium, soluant dubitationem, vt etiam ex contrariis eam alligent & adstringant, Iudicum animis offundentes tenebras. Huius rei fidem facit quæ de Corace apud multos narratur historia. Nam cùm adolescens teneretur desiderio Rhetoricæ, ad eum accessit promittens se ei daturum mercedem quæ ab ipso fuisset constituta, si primam vicisset litem. Pacto autem conuento, & iam ostendente adolescente se satis eruditum, Corax quidem poscebat mercedem: ille autem contradicebat. Ambo autē ad iudicium accedentes, litigabant. quo tempore dicunt primum Coracem tali vsum esse argumentatione, dicendo, quòd seu vicerit, seu nō vicerit, debeat accipere mercedē. Si vicerit quidem, quia vicit: si autem victus sit, propter pactum conuentum. Spopondit enim aduersarius se ei daturum mercedem, si vicisset primam litem, quam ex eo quòd vicerit, debet ex promisso se liberare debito. Cùm autem strepitum edidissent Iudices, vt qui iusta diceret, respondens Adolescens, eodem argumēto nihil mutans vsus est. Nam siue vicero, inquit, siue victus fuero, non debeo dare mercedem Coraci. Si vicerim quidē, quia vici: si victus autem fuero,

Coracis historia.

ex pacto conuẽto. Promisi enim me daturum mercedem, si primam litem vicero: victus autem non reddam. Assensionem autem sustinẽtes, & rei exitum non inuenientes Iudices, propterea quòd Rhetoricæ orationes essent eiusdem ponderis, vtrunque expulerunt à tribunali, acclamantes, Mali corui malum ouum. Quod autem dicitur de parte iudiciali, idipsum dici potest etiam de parte deliberatiua, ne prolixa vtamur ratione. Nam pars quidẽ laudatoria, præter id quòd in easdem cadat dubitationes, certa etiam caret ratione ac methodo. Nam quoniam nec omnes homines volunt laudari, nec iisdem de rebus, oportet eum qui est rectè laudaturus, scire quemadmodum sit affectus is qui laudatur. Non autem quæcunque est ex altero motio, accipienda est alteri. Et alioqui non tradiderũt Rhetores certam viam ac rationem, per quam sciamus quando & quísnam sit laudandus. Non ergo potest fieri vt rectè laudemus ex Rhetorica. Aut autem propter bona quæ non sunt, videntur autem esse: aut propter bona quæ sunt re vera, laudabit Orator. Non autem propter ea quæ non sunt: corrumpunt enim & perdunt eos qui laudantur. Neque propter ea quæ sunt: ea enim ignorat, cùm etiam à Philosophis propter nondum definitam de eis controuersiam non possint comprehendi. Non potest ergo aliquem laudare Orator. Qui autẽ nesciunt propter quid sit laudandum, nec possunt quidem laudare. Oratores autem nesciunt propter quæ laudare oporteat, vt ostendemus. non poterunt ergo laudare. Laudandum est enim, inquiunt, à genere, & pulchritudine, & diuitiis, & à liberorum multitudine, & similibus. Contrà autem est vituperandum ab ignobilitate, & deformitate, & paupertate: quod quidem est stultum. Oportet enim nos trahere laudes & vituperationes ab iis quæ sunt in nobis. Nobilitas autem & prosperitas & pulchritudo & liberorum multitudo, & cætera eiusmodi non sunt in nobis: quamobrem non est ab eis laudandũ. Nam si nudè & absolutè laudanda est nobilitas & multitudo liberorum, & quidquid est eiusmodi, laudandus est etiam Busiris, & Amycus, & Antæus hospitum interfectores, quòd essent filij Neptuni. Laudanda est etiam Niobe, quòd multos haberet filios. Cõtrà autem si deformitas & paupertas est vituperãda, vituperandus est Vlysses, quòd operarij sumpto habitu ingressus est vrbem hostium: vituperandus Perseus Iouis filius, quòd suspensa sibi pera per aridam transiit Libyam: & Hercules, quòd Leonis pellem & clauam adduxit ad certamina. Vt paucis autem dicam, detur has esse partes Rhetoricæ. Sed quoniam

Mali corui malum ouum. κόραξ, coruus.

Orator non potest laudare.

Laus vnde sit ducenda.

quoniam quòd iustum sit iustum,& vtile sit vtile,& honestum sit honestum,ostenditur demonstratione,& nihil est demõstratio, ne erit quidem Rhetorica,quæ constat in his partibus.Quòd autem nihil sit demonstratio, accuratius ostensum est in commentariis Scepticis. *Demonstratio nihil est.* Nunc autem dicetur magis apposite ad reuocandum in memoriam. Si enim nihil est oratio, neque est aliquid demonstratio, quæ est aliqua qualitate prædita oratio, nihil est autem oratio,vt ostendimus, propterea quòd neque in vocibus, neque in incorporeis iis quæ dicuntur habeat substantiam : nec est ergo demonstratio. *λεκτοῖς.* Alioqui si est, vel est euidens,vel non manifesta. Non est autem euidens:continet enim quidpiam non manifestum, & propterea de ea dissentitur:cùm omnis res de qua dissentitur, sit non manifesta. Restat ergo vt ea sit non manifesta. *διάφωνος.* Sed si ita est, vel ex eo ipso sumetur, vel ex demonstratione. Non est autem ex eo ipso sumenda:erat enim non manifesta. Quod autem est non manifestum, si ex eo ipso sumatur, est incredibile. Neqûe ex demonstratione, propterea quòd pergetur in infinitum. Non est ergo aliqua demonstratio. Si non sit autem in genere demonstratio, nec erit vlla in specie: quomodo si non sit animal, nec est homo. Non est autem in genere demonstratio, vt ostendimus:nec erit ergo vlla in specie. Nam quoniam non est manifesta, vt prius ratiocinati sumus, debet per aliquid consistere. Per aliquam ergo seu in genere seu in specie demõstrationem. Non autem per demonstrationem in specie, propterea quòd non sit firma demonstrationis in genere substantia.Neque per demonstrationem in genere:ipsa est enim de qua dubitatur. Non est ergo aliqua in genere demonstratio: cui est consequẽs,quòd nec sit in specie.Et alioqui quæ est in genere demonstratio, si non habet aliquas assumptiones & illationem,nec est quidem in genere. *λήμματα, ἐπιφοράν.* Quod si non habet,nec confirmabit quidem aliquid: multò autẽ magis nec suam essentiam. Et quæ demonstrationem probat demonstratio, aut quæritur, aut non est quærenda. Sed non est non quærenda, propter causas quas prius diximus. Si quæratur autem, debet confirmari ab alia: & illa rursus ab alia,idque in infinitum.Non est ergo aliqua demonstratio. Sed cùm dixerimus contra Rhetoricæ, quæ eam continent,contemplationes, alio sumpto principio,tangamus etiam dubitationes quæ existunt aduersus Geometras & Arithmeticos.

Sexti Empirici aduersus Geometras: Cap. 19.

QVONIAM Geometræ considerantes multitudinem dubitationum quæ ipsos consequuntur, confugiunt ad rem quæ videtur tuta & remota à periculo, nẽpe vt ex hypothesi petant principia Geometriæ, bene erit si nos quoque contra eos dicendi principium sumamus ex eo quod dicendum est de hypothesi. Timon enim in iis quæ scripsit contra Physicos, hoc in primis duxit esse quærendum, nempe an sit aliquid sumendũ ex hypothesi. Quamobrem nos quoque conuenit illius vestigia sequentes similiter facere in nostra tractatione aduersus Mathematicos. Ordinis autem gratia prius sumendum est quòd multis & diuersis modis appellatur hypothesis. In præsentia autem sufficiet eam dici tribus modis. Vno quidem modo dicitur dramaticum seu actuum argumentum: vt tragicam & comicam dicimus hypothesim, & quasdam Dicæarchi hypotheses fabularum Euripidis & Sophoclis, nihil aliud vocantes hypothesim quàm actuũ argumentum. In alio autem significato in Rhetorica appellatur hypothesis quæstio singularium, in quo Sophistæ & Rhetores sæpe solent dicere in suis diatribis & exercitationibus, ponenda est hypothesis. Sed & in tertia notione vocamus hypothesim principium demonstrationum, vt quæ sit rei petitio ad aliquid probandum. Sic ergo tribus hypothesibus vsum esse dicimus Asclepiadem ad probandam occasionem quæ generat febrem, quòd in nobis quidem sunt quidam qui intelligentia percipiuntur meatus, inter se differentes magnitudine. Secunda autem, quòd vndique cum parte humoris & spiritus, ratione considerabilium grumorum seu corpusculorum collectum est inane innumerabile. Tertia autem, quòd perpetui à nobis emittantur vapores, aliquando plures, aliquando pauciores, pro instanti circunstantia. Cùm autem tot modis nunc intelligatur hypothesis, in præsentia proponitur quærendum, non de dramatica hypothesi: nec de quæstione quæ est apud Rhetores: sed de hypothesi quæ dicta est in fine, quam contingit esse principium demonstrationis. Hanc enim etiam Geometræ sumunt hypothesin, volentes aliquid demonstrare geometricè. Statim ergo dicẽdum est, quòd quoniam qui ex hypothesi sumunt, etiam absque demonstratione contenti sunt nuda solùm affirmatione ad fidem eius faciendam: ex eis sciscitabitur quispiam, hac vtens ratiocinatione: Aut validum & firmum ad fidem faciendam licet aliquid sumere ex hypothesi, aut non fide

Ex hypothesi sitne sumendũ aliquid.

Hypothesis quot modis dicatur.

περιπέτεια.

Hypothesis quæstio finitorum.

ἐπιβολή.

Asclepiades tribus hypothesibus probat accessionẽ febris.

ἔνστασις.

Ex hypothesi nihil sumendum.

φάσις.

fide dignum & imbecillum. Sed ſi quidem validum, etiam quod ei eſt aduerſum ſumptum ex hypotheſi, erit fide dignum ac firmum. Quamobrem ponemus inter ſe pugnantia. Si autem in eo quod ſumit contrarium ex hypotheſi abſque demõſtratione, non eſt aliquid fide dignum, erit etiam non fide digna hypotheſis. Quare neutrum eorum ponemus. Non eſt ergo aliquid ſumendũ ex hypotheſi. Præterea res quę ponitur per hypotheſim, aut eſt vera, & talis qualẽ eam ponimus, aut falſa. Sed ſi eſt vera, ne petamus eam, confugientes ad rem ſuſpicione plenam, nempe hypotheſim: ſed eam ex ea ipſa ſumamus: quandoquidem nemo vera & ea quæ ſunt ponit per hypotheſim, ſicut nec nũc diem eſſe, aut me diſſerere & reſpirare. Harum enim rerum claritas firmam ac validã ex ſeipſis habet theſim ac poſitionem, non autem de qua dubitatur hypotheſim. Quamobrem ſi res ſit vera, ne eam petamus tanquam quæ non ſit vera. Si autem non eſt eiuſmodi, ſed eſt falſa, nihil commodi exiſtet ex hypotheſi. Nam etiamſi eam ponamus millies, ex malis fundamentis non ſequetur concluſio quæſtionis, quæ proficiſcitur ex principiis quæ minimè eſſe poſſunt. Verùm enimuero ſi quis iis quę ponit ex hypotheſi, credibilia velit facere ea quæ conſequuntur, an non omnem penitus tollet quæſtionem? Nam ſtatim ponet vnuſquiſque noſtrum ex hypotheſi, tria eſſe quatuor. Eo autem conceſſo colliget quòd etiam ſex ſint octo. nam ſi tria ſunt quatuor, ſex erunt octo. Atqui tria ſunt quatuor vt dat hypotheſis, ſex ergo ſunt octo. Rurſus petemus quòd maneat id quod mouetur: reque conceſſa colligemus quòd flãma quieſcat. Si enim manet id quod mouetur, quieſcit flamma. Manet autem id quod mouetur: ergo flamma quieſcit. Sed quomodo dicunt Geometrę abſurdas has eſſe hypotheſes: oportere enim firmum eſſe fundamentum, vt fateamur quod eſt conſequens: ita nos quoque omnia quæ ab eis ſumuntur hypotheticè, non admittemus abſque demonſtratione. Alioqui ſi eſt firmum ac fide dignùm quod àb eis ponitur per hypotheſim, ne ea ponant ex quibus ſunt aliquid demonſtraturi, ſed idipſum quod demonſtratur: hoc eſt, non aſſumptiones demonſtrationis, ſed illationem. Quod enim ad fidem faciendam eis poteſt in iis quæ detegunt hypotheſis, hoc poterit etiã in iis rebus quæ deteguntur à demonſtratione. Sin autem non eſt fide digna, etiamſi ſæpe poſita fuerit ex hypotheſi, concluſio demonſtrationis abſque demonſtratione: erit etiam nõ fide dignum id quod ſumitur ad probandum, niſi doceatur per demonſtrationem. Atqui, inquiunt, ſi verum

Theſis ex ſe ipſa ponitur firma ac valida.

Hypotheſis eſt dubitabilis.

Concluſio nõ ſequitur ex malis fundamentis.

λήμματα, ἐπιφορά.

rum inuenitur quod est consequens hypothesibus, omnino etiã eam quæ per hypothesim sunt posità, hoc est ea quibus sunt consequentia, erunt vera. quod rursus est stultum. Vnde enim est quòd id quod est aliquibus consequẽns in demonstratione, omnino verum est? Dicent enim, aut quòd ex illo ipso didicerint: aut ex iis quibus fuit consequens assumptionibus. Sed ex ipso quidem non dixerint. est enim incertum & non manifestum. Quod autem est incertum & non manifestum, ex se non est credibile. Demonstrare quidem certè id aggrediuntur, vt quod ex se fidem non faciat. Sed nec ex assumptionibus: de iis enim tota est decertatio: ipsisque nondum creditis, neque quòd ex ipsis demonstratur potest esse firmum ac stabile. Præterea neque si id quod definit sit verum, statim est etiã verum antecedens. Quomodo enim natura est comparatum vt vero consequens sit verum & falsum, ita etiam censetur cum falso quoque simul induci verum: vt ex hoc quòd terra volet, quod quidem est falsum, sequitur quòd sit terra, quod est verum. Quare non si quod definit est verum, omnino est etiam verum antecedens: sed contingit dum est verum consequens, falsum esse antecedens. Atque quòd non rectè quidem faciant Mathematici principia demonstrationis sumentes ex hypothesi, & in vnoquoque quod est contemplandum dicentes, Detur, per hæc est satis probatum. Pergentes autem deinceps doceamus, quòd falsa & non probabilia contingit esse eorum artis principia. Cùm autem de his multa dici possint, vt diximus in initio huius expositionis, his adiungentur quæ sunt dubia. Quæ quidem si tollantur, simul tollentur reliqua. Quoniam ergo si confutata fuerint eorum principia, nec singulares eis procedere possunt demonstrationes, dicamus quæ dicere conuenit aduersus principia. Statim ergo nos docent tanquam primum, & quod maximè accedit ad naturam elementi, quòd corpus sit id quod habet tria interualla seu dimensiones: nempe longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quorum prima quidem dimẽsio est per longitudinem, supernè deorsum: Secunda autem per latitudinem, à dexteris ad sinistra: Tertia autem per profunditatem, nempe antè & retro. adeò vt ex his tribus sex fiant dimẽsiones, duæ in vnaquaque: primæ quidem sursum & deorsum: secundæ autem dextera & sinistra: tertiæ autem antè & retro. Nam si punctus quidem fluxerit, dicunt fieri lineam: si linea autem, superficiem: sin autem superficies, corpus solidũ. Describentes itaq; dicunt, Punctum esse signum carẽs partibus, & quod nullum suscipit interual-

Non si consequens est verum, verum est antecedẽs.

Corpus quid sit.

Dimensiones quot sint.

Pũctus quid sit.

interuallum ſeu dimenſionem, aut finem lineæ: Lineam autem lon- *Linea quid ſit.* gitudinem carentem latitudine, aut finem ſuperficiei: Superficiem *Superficies* autem, finem corporis, aut latitudinem carentem profunditate. Hęc *quid ſit.* ergo ordine ſumentes, dicamus primum de puncto: deinde de linea: poſtea de ſuperficie & corpore. Nam ſi hæc tollātur, ne ars quidem erit Geometria, vt quæ ea non habeat in quibus videtur procedere eius conſtitutio. Punctus ergo, quem dicunt eſſe ſignum nullum ha- *Punctus non* bens interuallum ſeu dimenſionem, aut intelligitur corpus, aut in- *eſt.* corporeum. Et corpus quidem non eſt ex eorū ſententia. quæ enim non habent dimenſionem, nō ſunt corpora. Reſtat ergo vt ſit incorporeum. Incorporeum autem intelligitur nullius gignendi vim ha- *Incorporeum* bere, vt quod minimè tangi poſſit. Intelligitur autē punctus gignens *nihil gignit.* lineam. non eſt ergo punctus ſignum nullum habens interuallum ac dimenſionem. Præterea ſi quæ non ſunt manifeſta, cernuntur per ea quæ apparent: quoniam in iis quę apparent ſumi non poteſt alicuius ſignum & finis, quod ſpatio careat ac dimenſione, perſpicuum eſt quòd nec in iis quidem quæ cadunt ſub intelligentiam, ſumetur quidem eiuſmodi. In ſenſilibus autem nihil poteſt ſumi quod non inter- *In ſenſilibus* uallum habeat ac dimenſionem, vt oſtendam. quamobrem nec in iis *nihil eſt quod* quæ cadunt ſub intelligentiam. Quodcunque ergo, cui in ſenſilibus *nō habeat ſpatium ac di-* accidit vt ſit alicuius finis & ſignum, cum eo quòd comprehenditur *menſionem.* alicuius extremum, ſimul etiā accidit vt ſit pars illius cuius eſt extremum. Si ergo ipſum auferamus, minuetur id à quo ſit ablatio. Quod autem eſt pars alicuius, ipſum etiam complet: quod autem aliquid complet, omnino auget illius longitudinem: & quod auget magnitudinem, hoc neceſſariò habet magnitudinem. Quidquid ergo in ſenſilibus eſt alicuius ſignum & extremum, habens magnitudinem, non caret dimenſione. Vnde etiā ſi id quod cadit ſub intelligentiam tranſeundo ex ſenſili intelligimus, cum eo intelligemus etiam ipſum eſſe ſignum & finem lineæ, & ſimul eam implere. quāobrem ipſum *Punctus eſt* quoque habebit dimenſionem, ſiquidem eam acquirit ac tribuit. Et *ſignum & fi-* alioqui rectam quæ educitur à centro, dicunt ſi circa finem ſuum cir- *nis lineæ, &* *eam implet.* cumagatur, circularem deſcribere ſuperficiē. Quoniam ergo huius *Punctus ha-* rectæ extremum eſt ſignum, & quod circumagitur metitur ſuperfi- *bet dimenſio-* *nem.* ciem, hoc complebit ſuperficiem quę habet dimenſionē. ergo quod eam complet ſignum, habebit etiam quandā dimenſionem. Si ſphæra quidem certè in vno ſigno cenſetur tangere ſuperficiem, & euoluta facere lineam, perſpicuum eſt quod hoc facit, incidētibus ſignis

totam componentibus lineam. Si ergo ſignum complet lineæ magnitudinem, habebit ipſum quoque magnitudinem. Conceſſum eſt autem magnitudinem ipſum complere lineæ. habebit ergo ipſum quoque magnitudinẽ, & non erit expers dimenſionis. Sed eiuſmodi *Eratoſthenei.* argumentis occurrere ſolent Eratoſthenei, & dicere, quòd ſignum neque vllum occupat locum, neq; metitur ſpatium lineæ, ſed fluens *Punctus fluẽs nõ facit lineã.* facit lineam. quod quidem eſt eiuſmodi vt ne poſſit quidem cogitari. *Fluere quid ſit.* Fluere enim dicitur, ab aliquo loco in aliquem locum extendi, ſicut aquam. Si autem tale eſſe ſignum viſione apprehendamus, ſequetur ipſum non eſſe eiuſmodi vt careat partibus, ſed contrà multas habere partes. Hactenus de puncto. Videamus autem deinceps & quæ debent dici de linea: ipſa enim locata fuerat poſt punctũ. Etiam *Linea non eſt.* ſi ergo datum fuerit eſſe aliquem punctum, non erit linea. nam ſi ea eſt fluxus ſigni, & longitudo expers latitudinis: aut eſt vnum ſignum extenſum in longitudinem, aut multa ſuſcipientia ſpatium ac dimenſionem poſita per ſeriem. Sed nec eſt vnum extenſum in longitudinem, vt oſtendemus, vt hoc quoque reuocabimus in memoriã. non eſt ergo linea. Nam ſi eſt vnum ſignum, aut ipſum ſignum tenet vnũ locum: aut mutat locum è loco: aut extenditur ab aliquo loco in aliquem locum. Sed ſi vno quidem continetur loco, non erit linea, ſed punctus. fluens enim punctus intelligebatur linea. Si autem tranſit à loco in locum, aut, vt prius dixi, alium quidem relinquens, alium verò apprehendens tranſit: aut alij quidem loco proximè hærens, ad alium verò ſe extendens. Sed ſi alium quidem locum relinquens, alium verò apprehendens, rurſus non erit linea, ſed punctus. Qua enim ratione locum primum tenens, intelligebatur eſſe punctus, ſed non linea, eadem ratione ſecundum quoque locum apprehendens intelligetur punctus. Si autem alij quidem loco proximè hærens, ad alium verò ſe extendens: aut ad locum diuiduum ex aduerſo extenditur, aut ad indiuiduum. Et ſi ad locum quidem indiuiduum ex aduerſo extenditur, rurſus non erit linea, ſed punctus & ſignum. Quod enim tenet locum carẽtem partibus, non habet partes. quod autem non habet partes, eſt punctus, & non linea. Si autem ad diuiduum: omnino quoniam diuiduum habet partes: ſiquidem ad vniuerſum extenditur locum: quod autem habet partes, partibus loci ad quas extenditur eſt corpus, erit ſignum & diuiduum & corpus. quod quidem eſt abſurdum. Quare non eſt vnum ſignum linea. Sed nec eſt multa ſigna locata per ſeriem. hæc enim ſigna aut intelliguntur

ſe inter

ſe inter ſe tangere: aut ſi ſe inter ſe non tãgunt, in medio intercepta, locis quibuſdam diſtinguentur. & ſi locis quidem diſtinguantur, non vtique facient vnam lineam. Sin autem intelligantur ſe inter ſe tangere, aut tota tangentur à totis, aut partes à partibus. Et ſi partibus quidem tangantur partes, aut partes partium, non erunt aliquæ ex iis non ſuſcipientes dimenſionem, & carentes partibus. Nam quod in medio duorum ſignorum, exempli gratia, intelligitur ſignum, alia quidem parte tanget prius ſignum, alia autem poſterius: non eadem autem ſuperficiem, diuerſa autem alium locum. Quo fit vt non ſit amplius idem re vera carens partibus, ſed multas habens partes. Sin autem tota ſigna tangantur à totis, perſpicuum eſt quòd ſigna continebuntur in ſignis, & eundem tenebunt locum. & ea ratione non erunt amplius locata per ſeriem vt fiant linea. Sed ſi eundem tenent locum, conſtituetur vnus pũctus. Si ergo vt excogitetur linea, oportet excogitari ſignum ex quo ſumit vt intelligatur: oſtenſum eſt autem eam neque eſſe ſignum, neque compoſitam ex ſignis: nihil erit linea. Porrò autem licet etiam relicta ſigni intelligentia, primo loco tollere lineam, & docere eam minimè poſſe excogitari. Eſt enim linea, vt licet ex ipſis audire Geometris, longitudo carens latitudine. Si nos autem diligenter & accuratè conſiderauerimus, neque in iis quæ cadunt ſub intelligẽtiam, neque in ſenſilibus inueniemus vllam ſumi poſſe latitudinis expertem longitudinem. Et in ſenſilibus quidem, quandoquidem quancunque ſumpſerimus ſenſilem longitudinem, eam omni ratione & omnino ſumemus cum quanta latitudine. In iis autem quæ cadunt ſub intelligentiam, quòd aliam quidem alia anguſtiorem poſſumus mente concipere longitudinem. Quando autem ex æquo eandem ſeruantes longitudinẽ, cogitatione ſcindimus latitudinem, aliquatenus quoque idem facimus minus latitudine, & minus cogitamus. Poſtquam autem ſemel eò peruenerimus vt latitudine priuemus longitudinem, nec longitudinem quidẽ amplius viſione apprehendimus, ſed tollitur etiam cogitatio longitudinis. Et, vt omnia ſemel dicam & vniuerſè, quidquid intelligentia apprehenditur, id duobus primis modis mente apprehenditur: Aut enim per euidentem incurſionem, aut per tranſitum ab euidentibus, eumq; triplicem: aut enim aſſimilando, aut componendo, aut reputando, ſeu per analogiam. Et per incurrentem quidem euidentiam intelligitur album & nigrum, & dulce & amarum: Per trãſitum autem ab euidentibus, aſſimilando quidem intelligitur, vt ab imagi-

Longitudo nulla eſt expers latitudinis, nec in ſenſilibus nec in intelligibilibus.

Intelligitur aliquid duobus modis.

Intelligendi quot modi per tranſitum ab euidentibus.

ne Socratis Socrates ipse. Componendo autem, vt ex equo & homine componitur Hippocentaurus. Equinis enim & humanis membris mistis, cum visione apprehendimus, qui neque est homo neque equus, sed est Hippocentaurus ex vtrisque compositus. Reputando autem seu per analogiam, intelligitur aliquid rursus duobus modis: aliquando quidem augendo, aliquãdo verò diminuendo: vt ex communibus hominibus, quales nunc sunt homines, augẽdo quidem intelligimus Cyclopem, qui non erat similis

Homerus.

Vescenti frumento homini, verùm nemoroso
Monti. Diminuendo autem, Pygmæum hominem, qui incurrendo in nostrum aspectum non incidit. Cùm sint autem tot modi intelligendi, si intelligitur longitudo carens latitudine, necessariò debet intelligi vel per incurrentem euidentiam, vel per transitum ab euidentibus.

Linea nõ intelligitur per incurrentem euidentiam.

Sed per incurrentem quidem euidentiam minimè potest intelligi: in nullam enim incurrimus longitudinem absque latitudine. Restat ergo vt dicamus id intelligi per trãsitum ab euidentibus: quod rursum minimè omnium potest fieri. Nam si sic esset intellecta, omnino intelligeretur assimilando, aut componendo, aut reputando seu per analogiam. Nullo autem ex his modis cadere potest sub intelligentiam, vt ostendemus: non ergo intelligitur aliqua longitudo expers latitudinis. Iam enim nulla ratione fieri potest, vt per similitudinem intelligatur aliqua longitudo expers latitudinis. In iis enim quæ cernuntur, nullam habemus longitudinẽ quæ sit sine latitudine, vt intelligamus aliquam huic similem quæ latitudine careat longitudinem.

Simile alicui, est simile ei quod cognoscitur.

Nam quod est alicui simile, est omnino ei quod cognoscitur simile. Ei autem quod non cognoscitur, vt simile inueniatur minimè potest fieri. Quoniam ergo non habemus in nos incurrentem euidẽter longitudinem absque latitudine, nec poterimus quidem mente concipere aliquam ei similem.

Linea intelligi non potest per compositionem.

Sed neque per compositionem Geometris procedere potest eius intelligentia. Dicant enim nobis, quænam ex iis quę ex incursione euidenter cognoscuntur, cum quibus componentes, intelligẽmus latitudinis expertem longitudinem, sicut prius facientes in homine & equo, visione apprehendebamus Hippocentaurum. Restat ergo eis vt confugiant ad modum intelligendi qui existit ex augmento vel diminutione per reputationem seu analogiam: quod rursus cernitur eiusmodi, vt nulla detur via euadendi.

Linea non cognoscitur per analogiã.

Quæ enim fiunt per analogiã, habent aliquid commune cum iis ex quibus intelligũtur: vt ex communi hominum magni-

magnitudine augendo intelleximus Cyclopem: & minuendo Pygmæum. Quo fit vt sit aliquid commune iis quæ intelligũtur ex analogia, cum illis ex quibus intelliguntur. Nihil autem habemus commune longitudinis quę caret latitudine, & eius quæ intelligitur cum latitudine, vt ab illa moti intelligamus latitudinis expertem longitudinem. Cùm earum autem nihil habeamus cõmune, nec per analogiam poterimus intelligere latitudinis expertem longitudinem. Quare si vnumquodq; eorum quæ intelliguntur, intelligitur iis modis quos exposuimus (ostensum est autem per nullum eorum intelligi latitudinis expertem longitudinem) intelligentia apprehendi non potest longitudo quæ caret latitudine. Quamuis autem hæc argumenta sint adeò euidentia, conantur tamen Geometræ pro viribus strenuè decertantes aduersus ea dicere: nempe quòd per intensionẽ intelligatur longitudo expers latitudinis. Accepta itaque qualicunq; longitudine cum quanta latitudine, dicunt se per intensionem hanc semper minuere latitudinem, magis etiam intendendo angustias, & deinde quod sic intelligitur per intensionem dicere esse latitudinis expertem lõgitudinem. Si enim paulatim minuitur quæ in angustum cogitur latitudo per intensionem, veniet aliquando etiam ad latitudinis expertem longitudinem, in eam desinente intelligentia. Atqui ostendimus, dicet quispiam, quòd perfecta & absoluta priuatio latitudinis, est etiam peremptio longitudinis. Deinde quod intelligitur ex alicuius rei intensione, non est aliud quàm ipsum quod prius est mente perceptum, imò verò est illud ipsum intensum. Quoniam ergo ex eo quod quantam habet latitudinem, per angustiæ intensionẽ aliquid volumus intelligere: quæ omni quidem ratione & omnino caret latitudine longitudinem minimè apprehendemus intelligẽtia: est enim alterius generis: aliquam autem angustam sumemus latitutinem, adeò vt desinat intelligentia in minimam latitudinem, sed tamẽ latitudinem. Quòd si postea facta fuerit mentis applicatio ad id quod est alterius generis, & quod neque est longitudo nec latitudo: & si fieri potest vt cùm aliquam intellexerimus longitudinem cum quanta latitudine, priuatione latitudinis expertem accipiamus longitudinem, continget aliquando similiter, vt cùm intellexerimus carnem cum ea proprietate quòd sit vulnerabilis, priuatione huius proprietatis, nempe vulnerabilis, intelligamus inuulnerabilem carnem & impatibilem. Fieri etiam poterit, vt cùm intellexerimus corpus cum proprietate resistendi, priuatione resistẽtiæ accipiamus aliquod

Per intensionem minuere latitudinem quomodo dicant Geometræ.

Longitudo nulla est quæ caret omni latitudine.

Caro hanc semper habet proprietatem quòd sit vulnerabilis.

corpus

corpus quod non resistat, quod planè fieri non potest, & est præter communem hominum notionem. Quod enim intelligitur à nobis inuulnerabile, non est caro: & quod non resistit corpus, non vtique intelligitur corpus. Corpus enim, quatenus corpus, intelligitur cum proprietate resistendi. Quare & longitudo quæ intelligitur sine latitudine, nequaquam est longitudo: intelligitur enim lõgitudo cum eo quod habet quantam latitudinem. Cæterum Aristoteles quidem quamuis variis modis probasset rem non posse intelligentia percipi, nec mediocriter essent perturbati Geometræ, dicit tamẽ latitudinis expertem quæ ab eis dicitur longitudinem, non esse eiusmodi vt nõ possit cogitatione percipi, sed eã in nostram venire posse notionem absque vlla difficultate aut absurditate. constituit autem rationem in quodam aperto & euidenti exemplo: Parietis, inquit, accipimus longitudinem, non simul attendentes eius latitudinem. Quare licebit etiam quæ apud Geometras dicitur longitudinem cogitare absque latitudine: quandoquidem ea quę apparent, sunt visus eorũ quæ non sunt euidentia, errans, vel forte sophisticè nos decipiens. Quando enim parietis longitudinẽ intelligimus absque latitudine, non absq; omni latitudine eam intelligimus, sed absque latitudine quæ consistit in pariete. Vnde etiam contingit vt muri longitudine connexa alicui latitudini, eam possit quilibet intelligentia consequi: ita vt in præsentia accipiatur longitudo non sine omni latitudine, vt censent Mathematici, sed sine aliqua latitudine. Propositum autem erat Aristoteli ostendere, non quòd quæ à Geometris dicitur longitudo est expers alicuius latitudinis, sed quòd priuata sit omni latitudine. quod quidem non demonstrauit. Atque de his quidem hactenus. Quoniã autem Geometræ etiam superficiei finem dicunt esse lineam, quæ quidem est longitudo expers latitudinis, agè communiores adducamus dubitationes de lineis simul & superficiebus. ita enim facile erit etiam reprehendere quod dicitur de corpore. Si enim linea est finis superficiei, longitudinis expertem constituens longitudinem: perspicuum est quòd quando addita fuerit superficies, aut erunt duæ lineæ parallelæ, aut vna ambæ. Et si quidem vna sint duæ lineæ, quoniam linea est finis superficiei, superficies autem est finis corporis: si autem duæ lineæ simul fiant vna, erunt etiam duæ superficies vna: Si duæ autem superficies sint vna, necessariò erunt etiam duo corpora vnum: Si duo corpora fuerint vnũ, additio non erit additio, sed vnio: quod quidem nõ potest fieri: Nam in aliquibus quidem corporibus

Corpus non intelligitur nisi cum proprietate resistẽdi.

Aristoteles reprehẽditur, qui dixit in pariete intelligi posse longitudinem absque latitudine.

περισκελῆ.

Ex superficie probatur lineam non consistere, nec esse expertem latitudinis.

potest

poteſt additio eſſe vnio, ſicut in aqua & ſimilibus. In aliquibus autem minimè. Nam ſi lapis addatur lapidi, & ferrum ferro, & adamas adamanti, per lineam non vniuntur. quamobrem minimè fient duæ lineæ vna linea. Nam alioqui quoniam eſt vnio duarum linearum quæ effectæ ſunt vna, & corporum coitio ac coaleſcentia, oporteret fieri ſeparationem non per eoſdem ipſorum fines, ſed dum auelluntur per alias & alias partes, adeò vt etiam contingeret interitus. Hoc autem nequaquam videmus fieri : ſed fines corporum & ante additionem, & poſt ſeparationem tales ſunt quales prius cernebantur in additione. Non fiunt ergo duæ lineæ vna. Verumenimuero ſi duæ lineæ fiant vna, oportebit quæ inter ſe adduntur corpora vno extremo eſſe minora. Duæ enim factæ ſunt vna, quæ debet habere vnum finem & extremum. Quæ autem inter ſe addũtur corpora, non fiunt vno extremo minora. quamobrem duæ lineæ non fiunt vna linea. Sin autem fiant duæ lineæ parallelę, per additionem duorum corporum: id quod conſtat ex duabus lineis, erit maius vna linea, & habebit vtraque earum latitudinem, quæ cum alia facit maius ſpatium ac maiorem dimenſionem. Et ita linea non eſt longitudo expers latitudinis. Duorum ergo alterum, aut tollenda eſt euidentia : aut ſi ea maneat, eſt abolendum quod excogitatum fuit à Geometris, quo exiſtimant lineam eſſe longitudinem expertem latitudinis. Atque hæc quidem in primis à nobis dicenda ſunt aduerſus principia Geometriæ. Tranſeamus autem ac doceamus, quòd nec ex illorum ipſorum hypotheſibus fieri poteſt vt procedat quæſtio. Eis placet, rectã lineam, ſi, vt ſuperius diximus, vertatur omnibus ſuis partibus, deſcribere circulos. Cui quidem conſiderationi, cùm maximè contineat, repugnat quòd linea ſit longitudo carẽs latitudine. Quæramus autem hoc modo: Nam ſi, vt eſt eorum ſententia, vniuerſa pars lineę habet ſignum, ſignum autem dum vertitur, deſcribit circulum, oportebit ex eorum ſentẽtia, quando recta linea vertens, & omnibus ſuis partibus circulum deſcribens, dimetitur interuallum à centro vſque ad extremam planam ſuperficiem, tunc aut inter ſe continuos habere circulos qui deſcribuntur: aut inter ſe interuallis diſiunctos. Sed ſi ſunt quidem inter ſe diſiuncti interuallis, ſequetur eſſe partem aliquã ſuperficiei quæ non deſcribitur in circulum, & partem rectæ quæ in hoc quidem fertur ſpatio, non deſcribit autem circulum. quod quidem eſt abſurdum. Aut enim non habet in hac parte ſignum recta linea : aut ſi habet, non deſcribit circulum. quorum vtrunq; eſt præter

Additio in aliquibus corporibus poteſt eſſe vnio.

Lineam non eſſe longitudinem expertem latitudinis, ſi vertens omnibus ſuis partibus deſcribat circulos.

ea quæ dicuntur à Geometris. Dicunt enim omnem partem lineæ habere ſignum: & omne ſignum, ſi vertatur, deſcribere circulum. Sin autem exiſtimant circulos eſſe inter ſe continuos: aut ita ſunt continui, vt eundem locum teneant, aut vt alius iuxta alium ſit collocatus nullo ſigno interiecto. Omne enim ſignum quod cogitatione eſt interiectum, debet eundem circulum deſcribere. Et ſi quidem eundem tenent omnes locum, fiet vnus circulus. & proprerea maior & qui eſt extra omnes, & omnes comprehendit circulus, erit ęqualis minimo circulo, & qui eſt in centro. Si enim qui eſt omnium extremus, & eſt in ipſa circunferentia, maius tenet ſpatium: & circulus qui eſt intimus in ipſo centro, minus tenet ſpatij: omnes autem circuli eundem tenent locum, qui tenet maius ſpatium, erit æqualis ei qui tenet minimum. quod quidem eſt abſurdum. Non ſunt ergo circuli ſic continui, vt eundem teneant locum. Si autem ſunt paralleli, vt inter eos non cadat aliquod ſignum carens partibus, complebunt latitudinem à centro vſque ad ſuperficiem. Quod ſi compleant, tenent aliquam latitudinem: ij autem erant lineæ. Habent ergo lineæ aliquam latitudinem, & non ſunt expertes latitudinis. Hoc ipſo incitati, priori ſimile componemus argumentum: Nam quoniam dicunt rectam lineam circulum deſcribentem, per ſeipſam ſua natura deſcribere circulum, non eſt linea longitudo expers latitudinis. Atqui recta linea, vt ipſi dicunt, deſcribens circulum, per ſe circulum deſcribit. Non eſt ergo linea longitudo expers latitudinis: vt nos illos docebimus hoc eſſe conſequens. Quando enim quæ à centro ducitur, recta linea vertitur, & per ſeipſam deſcribit circulum, tunc aut per omnes partes latitudinis, quæ eſt intra circunferentiam, fertur recta linea: aut non per omnes, ſed per aliquas. Et ſi per aliquas quidē fertur, ne deſcribit quidem circulum, vt quæ per aliquas quidem partes feratur, per aliquas verò non. Sin autem fertur per omnes, dimetietur totam circunferentię latitudinem. Latitudinem autem dimetiens habebit latitudinem: nam quod eſt dimetiens latitudinis, latitudinem habere debet qua metitur. Recta ergo linea circulum deſcribens, totam metitur latitudinem, & non eſt linea longitudo expers latitudinis. Hoc autem oſtendetur adhuc manifeſtius, cùm dicent Geometræ obliquum latus quadrati metiri parallelogrammum planum. Nam ſi obliquum latus quadrati ductum, eſt longitudo carens latitudine, non metietur per ſe parallelogrammum planum quadrati. nam quod eſt dimetiens latitudinis, debet ipſum eſſe præditum latitudine.

Linea nō eſt expers latitudinis, ſi obliquum latus quadrati metiatur parallelogrammum planum.

titudine. Si autem metitur, habet omnino latitudinem. Quo fit rursus vt hæc contemplatio sit falsa Geometris, aut nulla sit quæ intelligitur longitudo expers latitudinis. Dicunt etiam Cylindrum per rectam lineam tangere planiciem, & euolutum metiri planiciem per aliarum & aliarum rectarum quæ fit vicissim posituram. Quod si ita est, omnino etiam ex rectis constat planicies. & Cylindri superficies rursus completa est ex rectis. Vnde quoniam habet etiam planicies latitudinem, & similiter superficies Cylindri, & non caret latitudine. Quod est autem efficiens latitudinis, debet ipsum quoque esse præditum latitudine. Est ergo perspicuum quòd etiam lineæ rectæ, quæ complent latitudinem, necessariò habent latitudinem. quo fit vt nulla sit lõgitudo expers latitudinis: & ideo nec linea. Quòd si etiam dederimus lineam esse longitudinem expertem latitudinis, quæ his sunt consequentia, adhuc in maiori hærent dubitatione. Nam quomodo signum fluens facit lineam, ita etiam fluens linea facit superficiem, vt ipsi volunt: quæ quidem est, vt ipsi dicunt, finis corporis, duo habens interualla ac dimensiones, nempe longitudinem & latitudinem. Si superficies ergo est finis corporis: corpus autem omnino est finitum. & si hoc ita est, quando duo inter se addantur corpora, tunc aut fines tangent fines, aut finita tangent finita: vt in amphora si finem quidem intellexerimus testam quæ est extrinsecus, finitum autem quod est in ea vinum. Si duæ ergo amphoræ fuerint adiectæ altera alteri, aut testa testam, aut vinum tanget vinum. Et si fines quidẽ tangant fines, finita se inter se non tangent, hoc est corpora. quod quidem est absurdum. Si autem finita se magis inter se tangent, hoc est corpora: fines autem se inter se non tangent, erunt corpora extra suos fines. Si autem & fines tangant fines, & finita tangant finita, dubitationibus addemus dubitationes. Nam quatenus quidem fines tangunt alter alterum, finita se inter se non tãgent. Quatenus autem finita, erunt corpora extra suos fines, quãdoquidem finis quidem est superficies: corpus autem finitum. Rursus autem fines sunt aut corporei, aut incorporei. Et si sint quidem corpora, falsum erit Geometris, quòd superficies careat profunditate. Nam si est corpus, necessariò habebit profunditatẽ: debet enim profunditatem habere omne corpus. Deinde nec tanget aliquid, sed erit vniuersa magnitudo infinita. Nam si est corpus, quoniam omne corpus habet finem, ille quoque finis, cùm sit corpus, habebit finem: & ille similiter. idque in infinitum. Sin autem finis est infinitus: quoniã incorporeum nihil

Linea est expers latitudinis si Cylindrus per rectã lineam tangat planiciem.

ἀνάμετρος.

Si superficiẽ faciat fluens linea, quot sequantur absurda.

poteſt tangere nec tangi, fines non tangent alter alterum. His autem non tangentibus, nec finita tangentur alterum ab altero. Et ſi ergo dederimus lineam eſſe longitudinem expertem latitudinis, id quòd de ſuperficie dicitur eſt dubium. Cum quibus, ſi ſint dubia, etſi nos non dicamus, ſimul tollitur etiam corpus ſolidum, quod eſt ex eis compoſitum. Conſideremus autem ſic quoque. Si enim corpus eſt, vt dicunt Geometræ, quod tria habet interualla ſeu dimenſiones, nempe longitudinem, profunditatem, & latitudinem: aut eſt corpus ab eis ſeparabile, adeò vt aliud quidem corpus ſit, aliud verò longitudo corporis, latitudoque ac profunditas: aut eorum congeries, eſt corpus. Sed ab eis quidem ſeparari corpus non eſt probabile. Vbi enim neque eſt longitudo neque latitudo neque profunditas, fieri non poteſt vt illic corpus intelligatur. Sin autem eorum congeries intelligitur corpus, & præter hæc nihil eſt aliud: neceſſariò quoniam vnumquodque eorum eſt incorporeum, communis quoque corporum coitio erit incorporea. quomodo etiã compoſitio punctorum, & linearum coitio quæ ſunt natura incorporeæ, non facit corpus ſolidum & reſiſtens. Si ergo neque ſine his eſt corpus, neque hæc ſunt: quod ad Geometras attinet corpus eſt inexcogitabile. Ad hæc accedit, quòd ſi longitudinis & latitudinis & profunditatis coitio facit corpus: aut ante coitionem vnumquodque eorum intelligitur in ſe corporeitatem, vt ita dicam, continere, & veluti corporeas rationes: aut poſt eorum congreſſionem conſtitit corpus. Et ſi quidem vnumquodque eorum ante coitionem intelligitur continere corporeitatem, vnumquodque eorum erit corpus, neque fiet illud poſt eorum coitionem. Deinde quoniam corpus non eſt ſolùm longitudo, neq; latitudo ſeorſùm, neque profunditas ex circunſcriptione, ſed ſimul tria & lõgitudo & latitudo & profunditas: vnumquodq; autem eorum continebat corporeitatem, habebit vnumquodque eorum tria corpora: & longitudo non ſolùm erit longitudo, ſed etiam latitudo & profunditas: & profunditas ſimiliter erit etiam longitudo & latitudo. quod quidem eſt à ratione lõgè alieniſſimum. Sin autem cum ea conuenerint, tunc intelligitur corpus conſiſtere: aut cum ea coïerint, manet quæ erat ab initio natura longitudinis vt longitudinis, latitudinis autem vt latitudinis, profunditatis autem vt profunditatis: aut mutata eſt in corporeitatem. Et ſi manet quidem quæ ab initio erat eorum natura, quoniam eſt incorporea, nec facient quidem corpus ab ea differens, ſed manent incorporea poſt coitionem, vt quæ

Corpus ſolidum non eſſe habens tres dimenſiones.

natura

natura sint incorporea. Sin autem cum coïerint mutãtur in corporeitatem, & suscipiens mutationem statim est corpus, vnumquodq; eorum erit corpus priusquam fiat illa simul coitio: & ita id quod est incorporeum fiet corpus. Et quomodo corpus quod mutatur, aliam quidem habet pro alia qualitatem, manet autem nihilo minus corpus: vt album vt fiat nigrum, & dulce vt amarum, & vinum vt acetũ, & plumbum vt cerusa, & æs vt ærugo, aliam quidẽ ex alia suscipiunt qualitatẽ, non excedunt autem ab essentia corporis: ita hęc quoque, siquidem mutantur in corpora, erunt quidem alia pro aliis corpora, corpora autem nihilo minus. neque enim excedent à propria natura. Si ergo neque ante eorum coitionem licet corpus intelligere, neque post eorum coitionem, præter hæc autẽ non licet aliter mente percipere, nihil est corpus. Ad hæc accedit, quòd si nulla est nec longitudo, nec latitudo, nec profunditas: nec corpus erit quod intelligitur ex eorum participatione. Non est autem longitudo, nec latitudo, nec profunditas, vt per ea quæ prius dicta sunt ostendimus: nec ergo erit corpus quod intelligitur ex eorum participatione. Atque sic quidem vsuuenit vt Geometrica non possint cõsistere principia: ea autem si tollantur, nec potest vlla alia Geometrica constare contemplatio. Cuiusmodicunque enim ea sit, oportet eam demonstrari grammicè, hoc est lineariter. Nos autem ostendimus nihil esse lineã in genere: cui est consequens vt neque vlla sit in specie, seu quis per hypothesim eam ponat rectam, seu fractam, seu quomodocunque ea sit. Quare sufficeret quidem, si hic fine facto cessaremus dicere contra Geometras. Decertantes tamen tentabimus docere, quòd etiam si discesserimus à principiis Geometriæ, non possunt Geometræ vllam contemplationem constituere nec demõstrare. Quanquam antea non pauca dici possunt aduersus posita eorum principia, vt cùm dicunt rectam esse lineam quæ sita est ex æquo suis partibus. Nam, vt alia prætermittamus, illud quidem euidens, quòd si non sit linea in genere, nec recta possit esse linea. Quomodo enim si nõ sit animal, nec est homo: & si non sit homo, nec est Socrates: ita etiam si tollatur linea in genere, simul etiam sublata est recta linea plana. Deinde æquum seu æquale dicitur duobus modis: Vno quidẽ modo id quod est æqualis magnitudinis, & neque id exuperat cui dicitur æquale, neq; ab eo exuperatur: quomodo lignũ cubitale dicimus esse æquale ligno cubitali. Altero autem, id quod habet partes ex æquo sitas, hoc est planum & æquabile. Ita ergo dicimus solum æquale, pro eo

Lineæ definitio reprehẽditur.

Aequum seu æquale dicitur duobus modis.

quod eſt planum & æquabile. Cùm ergo æquale dicatur duobus modis, quando Geometræ rectam lineam deſcribẽtes dicunt, Recta linea eſt quæ ſita eſt ex æquo ſuis partibus: aut in primo ſignificato accipiunt æquum ſeu ęquale, aut in ſecundo. Sed ſi in primo quidem ſignificato, planè deſipiunt: Nullum enim habet ſenſum, eſſe rectam lineam quæ ſit æqualis magnitudinis ſuis partibus, & neque eas ſuperet, nec ab eis ſuperetur. Sin autem in ſecundo, per idipſum quod quæritur docebunt: ſiquidem quòd recta quidem ſit oſtendunt ex eo quòd æquabiliter & in recta linea ſitas habeat partes. In recta autem linea aliquid eſſe ſitum, diſcere non poſſumus, priuſquam ad rectam animum adiecerimus. Longè autem ſunt ineptiſſimi illo quoq; modo definientes, nempe, Recta eſt quæ ex æquo ſuis vertitur partibus: aut ſic, Recta eſt, quę ex æquo ſuis finibus vertens, omnibus ſuis partibus tangit planum. Nam primum quidem eæ definitiones cadunt in eaſdem quas prius diximus dubitationes: deinde, ſicut etiã dicunt Epicurei, vacui recta, eſt quidem recta: non vertitur autẽ, propterea quòd ipſum quoque vacuum, neque totum, neque per partem ſuſcipiat motum. Deinde id quod dicitur in fine, incidit in modum alterum inter ſe docendi per alterum, qui eſt vitioſiſſimus. Nam & planum docent per rectam, & rectam per planum. Rectam enim dicunt quæ planum tangit in omnibus partibus: planum autẽ eſſe, per quod quæ ducitur recta tangit omnes partes. Quare vt diſcamus rectam, oportet prius diſcere planum: vt hoc autẽ diſcamus, neceſſe eſt prius noſſe rectam. quod quidem eſt abſurdum. Et vt ſemel dicam, qui per planum docet rectam, nihil aliud quàm per rectam oſtendit rectam: nam ex eorum ſententia, planum multæ ſunt rectæ lineæ. Quale autem eſt quod de recta dicitur, tale eſt etiam quod dicitur de angulo.

Docendi alterum per alterũ eſt modus vitioſiſſimus.

Anguli definitiones reprehẽduntur.

Rurſus enim quando dicunt deſcribẽtes, Angulus eſt duarum linearum non congruenter inter ſe collocatarũ id quod eſt minimum ſub inclinatione: aut minimum dicunt corpus quod caret partibus: aut quod eſt, vt ipſi volunt, ſignum & punctum. Sed corpus quidem carens partibus non dicent, quoniam id nemo poteſt in duas partes diuidere: angulus autem, vt ipſi volunt, ſecatur in infinitum. Et alioqui ex angulis alium quidem dicũt eſſe maiorem, alium verò minorem. Minimo autem corpore nihil eſt breuius, quandoquidem illud non hoc erit minimum. Reſtat ergo vt dicant id quod eſt, vt ipſi cenſent, ſignum: quod ipſum quoque cadit in dubitationem. Si enim ſignum eſt eiuſmodi vt nullo modo nec vlla ratione vllũ ſuſcipiat interuallum

lum ac dimenſionem, non diuidetur angulus: ſed nec erit vllus maior aut minor angulus. Iis enim quæ nullum habent ſpatium ac dimenſionem, non poteſt eſſe vlla in magnitudine differentia. Et alioqui ſi inter rectas cadit ſignum, definit ac diſtinguit rectas. Quod autem definit ac diſtinguit, non erit vtique huiuſmodi vt nullum habeat ſpatium ac dimenſionem. Sed ſolent quidam ex eis dicere, angulum eſſe primum interuallum ſub inclinatione. Aduerſus quos veritatis eſt ſimplex oratio. Aut enim interuallum eſt expers partium, aut in partes diuiduum. Sed ſi eſt quidem expers partium, eis prius dictæ ſequentur dubitationes. Sin autem eſt diuiduum in partes, nihil erit primum. Primo enim quod poſitũ fuerit, inuenietur aliud prius, propter eorum quæ ſunt, quę quidem eis placet, in infinitum ſectionem. Mitto dicere quòd cum alia quoque artificioſa oratione pugnat angulorum eiuſmodi intelligentia. Nam diuidẽtes dicunt, angulorum alium quidem eſſe rectum, alium verò obtuſum, alium autem acutũ: & obtuſo alium eſſe magis obtuſum: ſimiliter autem & acuto magis acutum. Si autem dicimus angulum eſſe minimum ſpatium ſub inclinatione, non conſeruabuntur eiuſmodi angulorum differentiæ, quatenus alter alterum ſuperat, & alter ab altero ſuperatur. Et ſi non conſeruantur, tollitur angulus, vt qui ſtabilem nõ habeat menſuram qua dignoſcatur. Atq; de recta quidem linea & angulo eis hæc ſunt dicenda. Circulum quoque definientes dicunt: Circulus eſt figura plana quæ continetur ab vna linea, in quam rectæ quæ à centro ducuntur incidentes, ſunt inter ſe æquales. inſipienter hæc dicentes. Signo enim & linea & recta & plano & angulo ſublatis, ne poteſt quidem excogitari circulus. Sed ne videamur ſophiſticè agere, & vniuerſam contradictionis probationem conſumere in ſolis Geometriæ principiis, agè tranſeamus, vt prius ſumus polliciti, & conſideremus eorum contemplationes quę ſunt poſt principia. Quando ergo dicunt, Datam rectam in duas partes ſcindere, aut dicunt in duas partes ſcindere eam quæ datur in abaco: aut eam quæ ab hac intelligitur per tranſitum. Non autem dicent in duas partes ſcindere eam quæ data eſt in abaco: nam ipſa quidem cernitur habere longitudinem & latitudinem ſenſilem. Quæ autem ex eorum ſententia eſt recta linea, eſt longitudo expers latitudinis. Quare cùm non ſit, vt ipſi volunt, linea in abaco, nec in duas partes ſecabitur vt linea. Sed nec ea quæ ab hac intelligitur per tranſitum. Ponatur enim, verbi cauſa, conſtans ex nouem punctis, ab vtroque quidem extremorum quatuor

Circulum nõ eſſe quomodo probatur.

Lineam rectam datã in duas partes ſecare reprehenditur.

tuor numeratis, vno autem puncto duos quaterniones intercipiente in medio. Ergo ſi in duas partes tota ſcinditur linea, aut inter hunc quintum punctum & alterum quaternionem feretur id quod ſcindit: aut in ipſo quinto, ita vt eum diuidat in duas partes. Atque ferri quidem inter quintum punctum & alterum quaternionem id quod ſecat, eſt à ratione alienum. erunt enim ſectæ partes inæquales, altera quidem compoſita ex quatuor punctis, altera verò ex quinq;. Ipſum autem punctum ſecare in duas partes, eſt priori à ratione longè alienius. nam non amplius relinquent ſignum nullum habens interuallum ac dimenſionem. Similiter etiã quando dicent, circulum in partes æquales diuidere. Nã ſi circulus diuiditur in partes æquales, omnino quoniam mediũ habet centrum, quod ipſum quoq; eſt ſignum: aut huic parti, aut illi attribuetur: aut ipſum quoque diuidetur in duas partes. Sed huic quidem aut illi parti attribui, facit inæqualẽ in duas partes ſectionem. Ipſum quoque ſcindi in duas partes, pugnat cum eo quòd ſignum nullam habeat dimenſionem, & ſit indiuiduum. Et id quòd ſecat lineam, aut eſt corpus, aut incorporeum. Non poteſt autem eſſe corpus: Indiuiduum enim aliquid & incorporeũ, & quod in ipſum non incurrit, non ſecuerit. Neque incorporeum. nam hoc rurſus, ſi quidem eſt punctus, eo quòd nullas habeat partes, & in id cadat quod caret partibus, minimè ſecuerit. Si autẽ linea: rurſus quoniam fine ſuo debet ſecare, finis autem eius caret partibus, non ſecat. Et alioqui finis qui ſecat, aut medius cadẽs inter duos punctos ſecat lineam in duas partes, aut latus in medium puncti. Sed vt feratur quidẽ per medium ſigni, minimè poteſt fieri. Oporteret enim, vt prius dicebamus, ferri, vt ſemel dicam, diuiduum, ſi non ſit amplius eiuſmodi vt non ſuſcipiat dimenſionem. Ferri autem inter duos punctos eſt à ratione longè alienius. Nam primùm quidẽ nullus finis poteſt cadere medius inter continuitatem. Deinde etiam ſi hoc datum fuerit quòd poſſit fieri, oportet ipſum ea tranſmouere inter quæ collocatur, ſi quidem ſunt continua: ea autem ſunt immobilia. Eſt ergo id quoque dubium, quod dicitur de eo quod ſecat. Verumenimuero etiamſi eis dederimus, vt in his ſenſilibus lineis faciant ablationes, nec hæc quidem via eis rectè ſuccedet. Aut enim à tota linea fiet ablatio, aut à parte. & quod aufertur, aut æquale ab æquali, aut inæquale ab inæquali, aut viciſſim auferetur. Nihil autem horum eſt explicatum & carens dubitatione, vt oſtendimus in Commentario aduerſus Grammaticos, & in Commentario aduerſus Phyſicos.

Circulum in partes æquales diuidere reprehẽditur.

cos. Non potest ergo fieri vt Geometræ aliquid auferant & scindant à linea.

Sexti Empirici aduersus Arithmeticos. Cap. 20.

QVONIAM quanti aliud quidem est in corporibus continuis, quod vocatur magnitudo, in qua maximè versatur Geometria: aliud autem in disiunctis ac discretis, quod est numerus, in quo versatur Arithmetica, transeuntes à geometricis principiis & contemplationibus, consideremus numerum. Eo enim sublato ne ars quidem erit quæ in eo consistit. Atque vniuersè quidem ac in genere Mathematici Pythagorei magnam vim tribuunt numeris, vtpote quòd vniuersarum rerum natura ex eis administretur. Vnde etiam semper acclamabant,

Quantū continuum.

Quantum discretum.

Numeris plurimū tribuunt Pythagorei.

„ *Assimilata autem numeris sunt omnia,*

iurantes non solùm numerum, sed etiam eum qui eis ipsum ostenderat Pythagoram, tanquam Deum, propter vim quæ est in Arithmetica, dicentes,

Pythagorei iurabant per Pythagoram.

„ *Non per eum à quo animæ datus ille quaternio nostræ,*

„ *Naturæ æternæ à quo fons radixque profecta est.*

Quaternio numerus perfectißimus.

Quaternio autem ab eis appellabatur, numerus compositus ex quatuor primis numeris. Vnum enim & duo & tria & quatuor fiunt decem, qui est numerus perfectissimus: quoniam cùm ad eum peruenerimus, reuertimur ad vnitatem, & denuo numeramus: dicuntq; eum habere fontem & radicem naturæ æternæ, propterea quòd ex eorū sententia in eo sita sit ratio vniuersorum constitutionis, vt corporis & animæ. Sufficiet enim eorum meminisse exempli causa. Atque ponitur quidem vnitas quoddam principium efficiens constitutionis aliorum numerorum. Binarius autē est efficiens longitudinis. Quomodo autem in principiis Geometricis ostendimus primùm quis fit punctus: deinde post eum linea quæ est longitudo expers latitudinis: eodem modo etiam in præsentia vnitas quidem habet rationem puncti, binarius autem rationem lineæ & longitudinis. hinc enim eā mente versans processit cogitatio: id autem erat longitudo. Ternarius autem in latitudine & superficie. hinc enim mens vtique ferebatur. Et si dimensioni per longitudinem addatur dimensio per latitudinem, intelligitur superficies. Sed & si ternario additam quartam contempleris vnitatem, hoc est quartum signum, fit pyramis corpus solidum & figura: habet enim longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Vnitas habet rationem puncti.

Binarius lineæ & longitudinis.

Ternarius superficiei & latitudinis.

Quaternio autē pyramidis & corporis solidi.

ditatem. Quo fit vt in quarto numero contingatur ratio corporis: quin etiam ratio animæ. Quomodo enim dicunt vniuersum mundū administrari per harmoniam, ita etiam animari animal. Videtur autem harmonia in tribus consonantiis accipere substantiam, nempe in consonantia Dia tessaron, in consonantia Dia pente, & in consonantia Dia pason. Atque consonantia quidem Dia tessaron posita est in ratione sesquitertia: Consonantia autem Dia pente in sesquialtera: Consonantia autem Dia pason in dupla. Sesquitertius autem dicitur numerus, qui constat ex toto aliquo numero, & ex tertia illius parte, sicut octo se habent ad sex. Nam & ipsum totum, nempe sex, comprehendit, & tertiam eius partem, nempe duo. Sesquialter autē appellatur, quando numerus continet numerum & illius dimidium: vt nouem se habent ad sex. constat enim ex sex, & ex eius dimidio, nempe ex tribus. Duplus autem appellatur qui est æqualis duobus numeris: vt quatuor se habent ad duo, nam bis eum continent. Cæterum cùm hæc ita habeant, & ex accepta ab initio hypothesi sint quatuor numeri, vnum, & duo, & tria, & quatuor, in quibus dicebamus etiam contineri ideam animæ, per rationem harmonicam: quatuor quidem sunt duplum duorum, & duo sunt duplū vnitatis, in quo sita est consonantia Dia pason: & tria est sesquitertius duorum. ipsum enim, nempe duo, continet, & eius dimidium. vnde etiam subiicit consonantiam Dia pente. Quatuor autem est trium sesquitertius: in eo autem posita quoque fuerat Dia tessaron consonantia. Quo fit vt meritò dictus sit apud Pythagoreos quaternio habere fontem & radicem vitæ æternæ. Sed quòd magnam quidem vim tribuerent numeris, ex his est perspicuum, quæ dicta sunt ad rem exemplo melius declarandam. magna enim apud eos habetur ratio numerorum. De qua mittentes in præsentia dicere prolixius, aggrediamur contradictionem, principio dicendi ducto ab vnitate, quæ est principium totius numeri, & quo sublato ne est quidem numerus. Vnius ergo intelligentiam nobis Pythagorico more describēs Plato, dicit, Vnum est, cuius nihil seorsum dicitur vnum. Per participationē ergo vnumquodque vnum dicitur, & multa. Planta enim, exempli causa, & animal, & lapis vnum quidem appellatur: non est autem ex propria ratione vnum, sed intelligitur vnum in vnius participatione, cùm nullum eorum hoc sit. Nam neque planta, neque animal, neque lapis, neque vllum aliud ex numerabilibus, est id quod re vera est vnum. Nam si planta aut animal est illud vnū, omnino quod non est planta, neque

Mundus administratur per harmoniā.

Animal animatur per harmoniam.

Harmonia consistit in tribus consonantiis.

Sesquitertius numerus quis sit.

Sesquialter numerus quis sit.

Duplus numerus quis sit.

Vnum quid vocet Plato.

Vnū & multa per participationem.

neque animal, non dicetur vnum. Dicitur autem & planta & animal vnũ, & alia innumerabilia: nullum ergo ex numerabilibus est vnum. Id autem cuius vnumquodque per se quidem est vnum, multa autem congerie participat, vnum fit & multa ex singularibus. Quòd quidẽ rursus nulla est multorum multitudo, vtpote plantarum, animalium, lapidum. nam per illius quidem participationem ea dicuntur multa: ipsum autem non est in eis. Atque talis quidem vnius idea intelligitur à Platonicis. Nos autem adiungentes dicamus: Aut diuersa à singularibus numeris est vnius idea, aut intelligitur cum illis qui sunt eius participes. Sed per se quidem præter ea quæ sunt singulatim numerabilia, nihil vnum intelligitur subiectum. Restat ergo vt intelligatur in illis, quæ eum participant: quod rursus est dubium ac perplexum. Lignum enim quod cadit sub numerum, si vnitatis participatione est vnum, quod non est lignum, non dicetur vnum. Dicitur autem, vt superius ostendimus. Non est ergo vnitas, cuius participatione vnumquodque eorum quæ sunt sigillatim numerabilia, appellatur vnitas. Deinde quod à multis participatur est multa, & nõ vnũ. Quæ autem sunt numerabilia, multa sunt & infinita. Non ergo vnitatis participatione ex numerabilibus vnumquodque est vnũ. Quomodo ergo homo in genere, quem nonnulli intelligunt animal particeps rationis, nec est Socrates, nec Plato, quandoquidẽ nullus alius diceretur homo: neque per se consistit, neque cum Platone & Socrate, quandoquidem consideraretur vt homo: ita etiã vnum, cùm neq; cum singularibus numerabilibus, neque per se intelligatur consistere, statim est eiusmodi vt non possit cadere sub intelligentiã. Eadem autem sunt dicenda in duobus & etiam tribus, & vt semel dicam, in omni numero, ne simus prolixiores. Simul autem licet ab eis quoq; sic sciscitari: Vnius idea, cuius participatione aliquid dicitur vnum, aut est vna idea, aut vnius plures sunt ideæ. Sed si est quidẽ vna, non participatur à multis. nam si A, vt clarior sit doctrina, habeat totam vnius ideam, B quod non est eius particeps, non erit vtique vnum. Porrò autem neque multas habet partes, vt multa eam participent: nam primùm quidem esset vnumquodque non illius vnius particeps ideæ, sed eius partis. Deinde vnitas ex eorum sententia intelligebatur carens partibus, & indiuidua. Sin autem vnius sunt plures ideæ, vnumquodque ex numerabilibus quæ collocantur in vno, aut vnius aut duorum in vtroque vno est communis ideæ particeps, aut nõ est. Et si quidem non est particeps, oportebit omnia in vno esse collo-

Vnius idea, quæ à Platone est data, refellitur.

cata absque eo quòd ideam participent, quod quidẽ nolunt. Sin autem est particeps, quæ erat ab initio colligetur dubitatio. Quomodo enim duo vnam participabũt? Atque hæc quidem de vnitate, qua sublata vniuersus sublatus est numerus. Adiungamus tamẽ etiam de

Binarius numerus nihil est.

binario. Nam ipse quoque fit dubius ac perplexus ex coitione vnitatum: quomodo etiam prius dubitauit Plato in libro de anima. Nã vnitate addita alteri vnitati, aut accedit aliquid per additionem vnitatis alteri, aut recedit. Si autem recedit aliquid per additionemq́; fiet diminutio vnius & vnius, & non erit binarius. Sin autem accedit aliquid, duo nõ fient duo, sed quatuor: nam binarius qui accedit, & vnitas, & altera vnitas constituũt numerum quaternarium. Nihil est ergo binarius. Eadem erit dubitatio etiam in omni numero. Quo fit vt

Numerus nõ potest intelligi ex additione aut ablatione vnitatis.

hac ratione nihil sit numerus. Verumenimuero quoniam ex additione & ablatione vnitatis intelligitur numerus, est perspicuum quòd si ostenderimus vtrunque eorum minimè posse fieri, peribit etiã substantia numerorum. Primùm autem iam dicamus de ablatione, vtentes doctrina quæ rem ostendat exemplis. Quæ ergo à subiecto denario aufertur vnitas, aut aufertur à toto denario, aut ab eo qui restat nouenario. Non autem à toto denario, vt ostendemus: neq; à nouenario, vt docebimus. Si enim ab hoc toto aufertur vnitas, aut denarius est alius à singularibus vnitatibus, aut earum congeries appellatur denarius. Sed alius quidem à singularibus vnitatibus non est denarius: etenim illis ablatis ne est quidem denarius: & ablato denario similiter non amplius sunt vnitates. Si autem denarius idem est qui vnitates, hoc est, si singulares vnitates sunt denarij, est perspicuum quòd si à denario fit ablatio vnitatis, auferetur ab vnaquaque vnitate. Singulares enim vnitates erant denarius: & sic non erit vtique ablatio vnitatis, sed denarij. Quamobrem nõ tollitur vnitas à toto denario. Sed neque fit ablatio à nouenario qui restat. Quomodo enim post eius ablationem adhuc est saluus subiectus denarius? Sed si neq; à toto denario tollitur vnitas, neque à denario qui restat, nullus consistit numerus per ablationem. Alioqui si tollitur à nouenario vnitas, aut tollitur à toto, aut ab vltima eius vnitate. Et si tollitur quidẽ vnitas à toto nouenario, erit ablatio nouenarij. Nam quod aufertur ab vnaquaque vnitate singularium vnitatum quæ sunt nouem, componit numerum nouenarium. Sin autem ab vltima vnitate fit ablatio: primùm quidem ostendetur vltimam vnitatem quæ caret partibus esse diuiduam. quod quidem est absurdum. Deinde si ab vltima vni-

tate

tate tollitur vnitas, non poterit nouenarius adhuc manere integer. Et alioqui si à denario fit ablatio vnitatis, aut à denario qui est fit ablatio, aut à denario qui non est. Non potest autem fieri ab eo qui est: quãto enim tempore manet denarius, nihil potest ab eo auferri tanquam denario, quandoquidem non erit amplius denarius. Nec ab eo qui non est. Non est enim natura comparatum, vt ab eo quod nõ est auferatur aliquid. Præter id autem quod est esse & non esse, nihil potest mente percipi. Non ergo tollitur aliquid à denario. Sed quòd nulla quidem ratione fieri possit vt per ablationem aliquem numerum intelligas, ex his est ostensum. Quòd autem nec per additionẽ, facile est ostendere proportioni conuenientibus hærendo dubitationibus. Rursus enim si vnitati addatur vnitas, aut toti denario dicẽdum est fieri additionem, aut vltimę parti denarij. Sed si toti quidem denario additur vnitas: quoniã totus denarius intelligitur cum omnibus singularibus vnitatibus, oportebit vnitatis quæ fit additionẽ, esse additionẽ omnibus singularibus denarij vnitatibus. quod quidem est absurdum. Sequetur enim vt per vnitatis additionem denarius fiat vicenarius. quod quidem nulla potest ratione fieri. Non est ergo dicendum toti denario addi vnitatem. Sed neque vltimæ parti denarij: quandoquidem non augebitur denarius, propterea quòd vnius partis incrementum, statim fit etiam incrementum totius denarij. Vt semel autem dicam, aut manenti denario additur vnitas, aut non manenti. Neque autem manenti addi potuerit: quandoquidem non amplius manet denarius. Neque non manenti: Omnino enim non manẽti nec potest quidem fieri additio. Sed si numerus, vt dixi, intelligitur consistere per additionem & ablationem, ostẽdimus autem neutrum esse eorum: dicendum est nihil esse numerũ. Cùm hæc itaq; dubitãdo disseruerimus aduersus Geometras & Arithmeticos, alio sumpto initio dicamus etiam aduersus Mathematicos.

Sexti Empirici aduersus Astrologos. Cap. 21.

DE Astrologia aut Mathematica propositum est quærere, non ea quæ planè constat ex Geometria & Arithmetica. iam enim diximus contra eos qui has profitentur disciplinas, neque de vi & facultate prædicendi, quæ est apud Eudoxum & Hipparchum & similes, quam quidem vocant Astronomiam. est enim obseruatio in iis quæ apparent, vt agricultura, & ars gubernandi. ex qua licet prædicere siccitates & imbres, pestemque & terræmotum, & alias eiusmodi

Astronomia, obseruatio in iis quæ apparent.

Chaldaei, Mathematici, Genethliaci & Astrologi idem sunt.

ambientis aëris mutationes. sed aduersus genealogiam, quam Chaldaei magnificis ornantes nominibus, seipsos Mathematicos appellãt & Astrologos, vitae humanae multis modis non paruam afferentes iniuriam, & in nobis magnam struentes superstitionem, neque quicquam permittentes agere ex recta ratione. Hoc autem sciemus, cùm paulo altius prius dixerimus de iis quae tedunt ad methodum in qua consistit eorum consideratio. Fiet autem cursim rudiusque & crassius eorum explicatio. Iis enim quibus est princeps institutum hanc persequi disciplinam, concessum sit ea tractare diligenter & accuratè. Nobis autem satis sit eorum meminisse, sine quibus nõ possumus aggredi dicere aduersus Chaldaeos. In primis ergo ab eis ponitur, quod terrena consensionem, quam sympathiã vocant, habeant cum coelestibus, & ex illorum influxibus ea semper innouentur.

Astrologiae iudiciariae methodus.

Terrena habent sympathiam cum coelestibus.

Homerus.

Terrenorum hominum mens & sententia talis,

Esse diem vult qualem hominum pater atque deorum.

Septem planetae agunt in vnũquodque eorum quae in vita accidũt.

Zodiacus quomodo diuidatur.

μοῖραι, id est, partes, quas vocant gradus.

Signorum alia masculina, alia foeminina, alia bicorporea, alia nõ.

Vnitatem cur masculum appellent Pythagorei, binariũ verò foeminã.

Qui id quod nos ambit curiosius suspexerunt Chaldaei, dicunt quidẽ septem stellas tenere rationem causarum agentium in vnumquodq; eorum quae in vita accidunt: adiuuare autem partes Zodiaci. Atque Zodiacum quidẽ circulum, vt accepimus auditione, diuidunt in duodecim animalia. vnumquodque autem animal in partes triginta. De hoc enim in presentia cum eis conueniat. Vnamquanque autem partem in sexaginta minuta. ita enim vocant quae sunt minima & indiuidua. Animalium, quae vocant ζώδια, id est animalcula, alia quidem appellant masculina, alia autem foeminina: & alia quidem bicorporea, alia verò non: & alia quidem solida, alia verò τροπικά, id est mutatoria. Atque masculina quidem vocant & foeminina, quae adiuuantem habent naturã ad generandos masculos & foeminas. Aries enim est signum masculinum, Taurus autem foemininum: Gemini masculinum, & vicissim reliqua ex simili analogia, alia quidem masculina, alia verò foeminina. A quibus moti, vt arbitror, Pythagorei, vnitatẽ quidem appellant masculum, binarium verò foeminam, ternarium autem rursus masculum, & simili rursus proportione ac analogiã ceteros pares & impares numeros. Nonnulli autem vnumquodque etiam animal diuidẽtes in duodecim partes, eadem ferè vtuntur via ac ratione: vt in Ariete primam quidem duodecimã eius partem appellant & Arietem & masculum: secundum autem, Taurum & foeminam: tertium autem Geminos & masculum. In aliis quoque partibus eadem est ratio. Bicorporea autem dicunt esse animalia, Geminos, &

nos, & qui eis ex diametro aduersatur Sagittarium, Virginemque & Pisces: non bicorporea autem reliqua. Et tropica quidem seu mutatoria, in quibus cùm Sol fuerit, transmutat & facit ambientis aëris conuersiones: cuiusmodi sunt signa, Aries, & quod ei aduersatur ex diametro, nempe Libra: Capricornusque & Cancer. Nam in Ariete quidem verna fit conuersio, in Capricorno autem hyemalis, in Cancro verò æstiua, & in Libra autumnalis. Solida autem existimãt, Taurum, & quod ei aduersatur ex diametro, nempe Scorpium & Leonẽ & Aquarium. Verumenimuero horum quoque omnium, ea quæ in vnoquoque ortu dominatum obtinent signa ad euentum eorum quę perficiuntur, quæ quidem dicunt ἀποτελέσματα, & ex quibus maximè faciunt prædictiones, dicunt esse numero quatuor. Quæ communi quidẽ nomine appellant Centra, proprio autem aliud quidem horoscopum, aliud autem μεσουράνημα, hoc est medium cœli, aliud autem Occidens, aliud autem subterraneum & ἀντιμεσουράνημα, hoc est, situm ex aduerso medij cœli, quod ipsum quoque est cœli medium. Atque horoscopus quidem est id quod contigit oriri eo tempore quo perficiebatur ortus. Medium autem cœli, quartum quod ab illo est signum cum illo ipso. Subterraneum autem & situm ex aduerso medij cœli, quod medio cœli est aduersum ex diametro: vt (exemplo enim fiet clarum) si Cancer sit horoscopus, in medio quidem cœlo est Aries, occidit autem Capricornus, sub terra autem est Libra. Verumenimuero vniuscuiusque horum centrorum animal quidem seu signum præcedens vocãt ἀπόκλιμα, hoc est declinationem. Quod autem sequitur ἐπαναφοράν, hoc est relationẽ. Iam verò id quidem quod sequitur animal illud seu signum quod est in horoscopo, si sit in aperto, appellant mali Dęmonis. Quod est autem postea, sequitur autem id quod est in medio cœli, boni esse Dæmonis. Quod autem præcedit id quod est in medio cœli, κάτω μερίδα, hoc est inferiorem partem vocant, & μονομοιρίαν, id est vnicam sortẽ, & Deum. Quod autem venit ad occasum, Otiosum animal, seu signum & principium mortis. Quod autem est post occasum, nec est apertum, pœnam & malam fortunam: quod quidem situm est ex diametro ex aduerso mali Dæmonis. Quod autem venit sub terram, bonam fortunam: quæ per diametrum sita est ex aduerso boni Dæmonis. Quod autem recedit ab eo quod est ex aduerso medij cœli, versus Orientem, Deam, ex diametro Deo aduersum. Quod autem horoscopum sequitur, Otiosum: quod rursus Otioso aduersatur ex diametro. aut vt dicamus cõpendio-

Signa dominantia in vniuscuiusque natiuitate sūt quatuor.

Horoscopus quid sit.

Medium cœli quid sit.

Medio cœli oppositum.

ἀπόκλιμα seu declinatio quid sit.

ἐπαναφορὰ quid sit.

Signum mali Dæmonis.

Signum boni Dæmonis.

κάτω μερίς, id est, pars inferior.

μονομοιρία, vnica sors, seu Deus.

Otiosum signũ, seu principiũ mortis.

Pœna et mala fortuna.

Bona fortuna.

Dea.

Otiosum.

pendiosius, Signi quod est in horoscopo declinatio quidem vocatur malus Dæmon: epanaphora autem otiosum. Eodem modo autẽ eius quod est in medio cœli, declinatio quidem Deus: epanaphora autem bonus Dæmon. Similiter autem eius quoque quod est situm ex aduerso medij cœli, declinatio quidem vocatur Dea: epanaphora autem, bona fortuna. Similiter Occidentis declinatio quidem mala fortuna: epanaphora autem, Otiosum. Existimant autem hæc non leuiter & veluti aliud agendo esse examinanda. Censent enim stellas non eandem vim habere ad malè vel secus faciendum, si considerentur in centris, & in anaphoris & in declinationibus, sed alicubi quidem efficaciorem, alicubi verò minus efficacem. Fuerunt etiam quidam Chaldæi, qui vnamquanque partem humani corporis attribuerunt vnicuique signo, vt quæ cum illo haberet cõsensum, & cum eo afficeretur. Nam Arietem quidem caput nominant: Taurum autem, collum: Geminos autem, humeros: Cancrum autem, pectus: Leonem verò latera: Virginem autem coxẽdices: Libram ilia: Scorpium pudendum & matricem: Sagittarium femora: Capricornum genua: Aquarium autem tibias: Pisces autem pedes. idque rursus nõ inconsideratè: sed quoniam si fuerit aliqua stella in aliquo horum signorum in ortu maleficorum, efficit mutilationem eius partis, quæ est eiusdem nominis. Atque hæc quidem summatim ostensa sint de natura eorum quæ sunt in Zodiaco circulo. Non absurdum autem fuerit etiam deinceps de eorum dicere diuisione. Nam cùm nõ esset certa animaduertendi & inspiciendi ratio, quòd non contemplarentur signa ex propria circunscriptione, sed septem dispersarum stellarum obseruatione, venit eis in mentem in duodecim partes totum diuidere circulum. Ostendentes enim viam ac rationẽ, dicunt, quòd cùm veteres obseruassent vnam quandam lucidam stellam ex iis quę sunt in circulo Zodiaco, & deinde perforatam amphoram aqua impleßent, siuerunt fluere in alterum vas subiectum donec eadẽ stella oriretur, coniectantes ab eodem signo ad idem signum fuisse circuli circumuolutionem. Rursus sumpserunt duodecimam partẽ eius quod fluxit, & considerarunt quanto tempore hoc fluxerit. dicebant enim tanto rediisse duodecimam partem circuli: & eandem habere rationem reuersam partem ad totum circulum, quantam habet pars aquæ quæ fluxit, ad totam aquam. Ex hac, inquam, relatione duodecimæ partis signabant vltimum finem ab aliqua insigni stella, quæ eo tempore spectabatur, aut ab aliqua ex iis quæ simul oriebantur

Corporis pars qualibet attribuitur alicui signo.

γλουτοὺς:

Zodiacus circulus quomodo fuerit diuisus.

magis

magis boreales aut magis australes. Hoc ipsum autem faciebant etiã in aliis duodecim partibus. Sed via quidem ac ratio, per quam in tot partes Zodiacum diuidunt circulum, est huiusmodi. Analogia autem ac proportione ei videtur conuenire illa, per quam vniuscuiusq; ortus horoscopum ab initio obseruarunt Chaldęi.

Horoscopi vniuscuiusq; natiuitatis à Chaldæis obseruãdi ratio.

Noctu enim, inquit, sedebat Chaldæus in alto aliquo promõtorio stellas spectans. Alius autem assidebat parturienti donec peperisset. Cùm primum autem peperisset, id significabat magistro qui erat in promontorio. Is autẽ cùm audiisset, obseruabat ipse quoque signum quod oriebatur, tanquam horoscopum. Interdiu autem attendebat horoscopos & motus Solis. Sed hæc quidem de signis. Ex stellis autem alias quidem dicunt esse beneficas, alias verò maleficas, alias autem communes: vtpote beneficas quidem stellas Iouis & Veneris, maleficas autem Martis & Saturni, communem autem Mercurij: quoniam cum beneficis quidem sit benefica, cum maleficis autem malefica.

Stellarũ aliæ beneficæ, aliæ maleficæ, aliæ communes.

Alij autem easdem stellas, prout est alia & alia habitudo, aliquando quidem beneficas, aliquando verò maleficas esse existimãt. Nam præter signũ, aut præter aliarum stellarum ad eas aspectus ac figuras, neque malefica est omnino malefica, neque benefica omnino benefica. Cæterum septem quidem stellis arbitrantur præesse Solem & Lunam: minorem autem his vim habere ad eorũ quæ efficiuntur euentus, quinque reliquas.

Sol & luna præsunt septẽ stellis.

Quam ob causam AEgyptij Regi quidem & dextro oculo Solem assimilant: Reginæ autem & sinistro oculo Lunam: lictoribus autem ac satellitibus quinque stellas: reliquo autem populo alias inerrantes.

Sol regi & dextro oculo assimilatur ab Aegyptiis.

Luna ab Aegyptiis assimilatur reginæ.

Et ex quinque cum Sole quidem conuenire & ei opem ferre dicunt Saturnum & Iouem & Mercurium: quos etiam vocant diurnos, propterea quòd Sol, cui dant auxilium, iis dominetur quæ gignuntur interdiu.

Saturnus, Iupiter & Mercurius Soli opẽ ferunt, et cur dicũtur diurni.

Easdem autem stellas maiorem vim habere, aut quòd sint in propriis domibus, aut in altum elationibus, aut terminis, aut quòd aliquæ ab aliquibus stipentur tanquam satellitibus: aut quòd se inter se aspiciãt, & inter se certas suscipiant figuras, aut quòd sint in centris.

Stellæ quando habẽt vim maiorem.

Vt ipsi autem censent, Solis quidem domus est Leo, Lunæ autem Cancer, Saturni autem Capricornus & Aquarius, Iouis Sagittarius & Pisces, Martis Aries & Scorpius, Veneris Taurus & Libra, Mercurij Gemini & Virgo.

Domus stellarum.

Stellarum autẽ vocant in altum elationes, & similiter depressiones aut abiectiones, ea quibus delectantur, aut in quibus vim habent exiguam. Nam delectantur quidem in altum elationibus, exiguam autem vim habent in de-

Eleuationes stellarum.

Depressiones stellarum.

pressionibus seu abiectionibus. Vt, Solis quidem in altum elatio est Aries: exactè autẽ est & perfectè decimanona eius pars seu gradus. Depressio autem, signum quod ei aduersatur ex diametro. Lunæ autem rursus in altum quidem elatio est Taurus. Depressio autẽ, quod ex aduerso eius situm est ex diametro. Saturni Libra, Iouis Cancer, Martis Capricornus, Veneris Pisces. & eorum, vt dixi, depressiones, quæ sita sunt ex aduerso per diametrum eorum in altum elationum.

Termini stellarum.

Stellarum autem appellant terminos in vnoquoque signo, in quibus vnaquęque stella à quota parte ad quotam vsque partem potest plurimum. De quibus non est leuis apud eos etiam in tabulis dissensio.

Satellites seu stipatores stellarum.

Dicunt autem stipari stellas tanquam à satellitibus, quando sunt in medio aliarum stellarum, in continuatione signorum: vt si eiusdem signi alia quidem stella teneat primas partes, alia autem vltimas, alia autem intermedias, tanquam à satellitibus stipari dicitur quę est media, ab iis quæ tenent eas partes quæ sunt in extremis.

Aspectus stellarum.

Se inter se autem dicuntur aspicere & inter se conuenire, vt quæ apparent in figura triangula aut quadrata. Atque triangula quidem conformantur figura, & se ea inter se aspiciunt stellæ, quæ trium signorum spatium habent interiectum. Quadrata autem, quæ duorum. Et videtur quidem in triangula, beneficæ benefica in figura conformata, beneficio afficere, & esse magis benefica. Beneficæ autem benefica, hoc solùm: & malefica maleficæ.

In cẽtris esse quomodo dicantur stellæ.

In centris autem esse dicuntur, quæ cernuntur in aliquo ex centris, aut sub horoscopo, aut sub medio cœli, aut sub occasu, aut eo quod sitũ est ex aduerso medij cœli. Sed cùm hæc sic sint à nobis simpliciter & crassè exposita, prius sumendum est, quòd his moti Chaldæi proferunt prædictiones eorum quæ sunt euentura, quæ vocant apotelesmata.

Apotelesmatum, seu eorũ quæ sunt euentura, differentia.

Est autem eorum differentia. Nam alia quidem sunt simpliciora, alia autem accuratiora. Et simpliciora quidem, quæ fiunt ex signo, aut ex simplici ac sola vi stellæ: vt quòd hæc stella cùm fuerit in hoc signo, tales efficit. Accuratiora autem, quæ fiunt per concursum, & vt ipsi dicunt, per multorum contemperationem: vt si alia quidem sit in horoscopo, alia autem in medio cœlo, alia autem sit in eo quod est ex aduerso medij cœli, aliæ autem sic vel sic se habeant, hæc euenient. Atque hæc quidem videtur esse expressa forma methodi Chaldaicę. Hoc autẽ tradito de cætero est facile simul ad eas quoque accedere quæ aduersus ipsos adducuntur contradictiones.

Terrenorum non est sympathia cũ cœlestibus.

Atque nonnulli quidem agrestius conãtur docere, quòd non omnino terrena in patiendo consentiant cum cœlesti-

cœleſtibus. Non enim ambiens cœlum ita eſt vnitum, vt corpus humanum: vt quomodo cum capite partes ſubiectæ in patiendo cōſentiunt & ſimul afficiuntur, & caput cum membris ſubiectis, ita etiam terrena cum cœleſtibus: ſed eſt quædam eorum differentia, & in eo quòd in ſimul patiendo non conſentiant diuerſitas, vt non habeant vnam & eandem vnionem. Alij autem ea quoque mouent quæ dicuntur de fato. Si enim omnia non fiunt fato, non eſt ars Chaldaica, quæ fato hoc cenſet fieri. Non fuerunt autem pauci qui illud quoq; ſimul rogabant. Quoniam ex iis quæ fiunt, alia quidem fiunt neceſſariò, alia verò forte fortuna, alia autem ſunt in noſtra poteſtate: omnino Chaldæi ſi prædictionem ſibi conſtituunt quæ poſſit eſſe, aut in iis quæ ſunt neceſſariò facient prædictiones, aut in iis quæ forte fortuna eueniunt, aut in iis quæ ſunt in noſtra poteſtate. Et ſi in iis quidem quæ fiunt neceſſariò, vitæ ſunt inutiles. Quod enim neceſſariò accidit, non licet declinare, ſed velimus nolimus, hoc eueniet. Tunc autem vtilis eſt prædictio, ſi eo referatur, vt id vitetur. Si autem in rebus fortuitis, profitentur quæ non poſſunt fieri. Nam quæ fortuito fiunt, ſunt inſtabilia. Inſtabilium autem, & quæ aliter & aliter accidunt, non poteſt eſſe ſtabilis & firma prædictio. Reſtat ergo vt eorū prædictiones ſint in iis quæ ſunt in noſtra poteſtate. quod quidē rurſus fieri non poteſt. Nam quod in mea ſitum eſt poteſtate vt eueniat aut non, & quod non prius iactam ab initio habet cauſam, non poterit quiſquam prædicere. Non ergo ſibi proponunt Chaldæi prædictionem quæ poſſit fieri. Nonnulli ergo per eiuſmodi telorum eminus eiaculationes conãtur tollere Chaldaicam methodum. Nos autem cùm ſimili modo argumentandi eius principia & veluti elemēta labefactauerimus, cæterarum quoque ipſius contemplationum conſtitutionem fractam & ad nihilum redactam habebimus. Chaldaicæ ergo artis principium & veluti fundamentum eſt conſtituere horoſcopum. Ab eo enim reliqua centra ſumuntur, & declinationes & epanaphoræ, & triangula & quadrata, & ſtellarum eæ quæ ex ipſis fiunt figurarum conformationes. ex his autem omnibus fiunt prædictiones. Vnde ſublato horoſcopo, neceſſariò ne notum quidem erit id quod eſt in medio cœli, aut occidens, aut quod ſitum eſt ex aduerſo eius quod eſt in medio cœli. Si ea autem non poſſint comprehendi, ſimul etiam aboletur Chaldaica methodus. Quòd autem horoſcopi ſignum ab eis non poſſit inueniri, variis modis poteſt doceri. Nam vt hoc comprehendatur, oportet primum ortum eius qui

Aſtrologorū prædictiones ſunt vel inutiles vel impoſſibiles.

Horoſcopi ſignū ab Aſtrologis non poteſt inueniri.

cadit sub considerationem, esse firmiter comprehēsum. Secundò autem id quod significat horoscopum, esse eiusmodi vt non aberret. Tertiò autem exactè & perfectè esse perspectum signi ascensum. In partu enim, signi in cœlo orientis obseruatur ascensus, cùm eo vtantur Chaldæi tanquam ministro ad obseruandum horoscopum. In illo autem ascensu est aliarum stellarū figuræ conformatio. quod quidem thema appellant. In themate autem sunt prędictiones. Non potest autem fieri vt sumantur ortus eorum qui cadunt sub considerationem, vt ostendemus. Neque horoscopiū est certum & non aberrans. Neque signum exoriens exactè comprehenditur. Non potest ergo consistere methodus Chaldæorum. Dicamus autem primùm de primo. Ortum ergo eorum qui cadunt sub considerationem, aut ab ipso initio sumunt, aut à deiectione seminis & conceptione, aut à partu. Sed à seminis quidem deiectione & conceptione nequaquam dicent. exactè enim comprehendi non potest eius tempus: & meritò. Neque enim possumus dicere, an simul cum deiectione seminis facta fuerit conceptio, an non. Potest enim hoc euenire vel cum sola cogitatione, sicut adeps, quæ ardentibus clibanis est immissa. Nam statim conglutinatur. Potest autem etiam post aliquod tempus. Nā semina etiam quæ iaciuntur in terrā, non statim agentia radices connectuntur cum subiectis cespitibus. Et cùm sit interuallū ab ore matricis vsque ad fundum, in quo dicunt Medici fieri conceptus, seminis quæ deiicitur natura, vt omnino in aliquo tempore hoc spatium conficiat oportet. Qui hoc autem ignorant Chaldæi, nempe quanto tempore hoc fiat, nunquam perfectè comprehendent cōceptum. Nam cùm semen quidem aliquando rectà iaciatur, & in ipsos locos matricis incurrat in iis qui apti sunt natura: aliquando autem sparsim incidat, & in ipsa matrice non possit in vnum locum cogi: est ignotum quando fiat primum, & quando secundum: & quantum temporis consumatur in illa conceptione, & quantum in hac. Ea autem si ignorentur, perit etiam accurata & exacta comprehensio conceptionis. Et si, vt nonnulli dicunt Physici, primò coctum & prius mutatum semen in matrice, tunc accedit ad reserata eius vasa: hinc nescientes quanto tempore fiat mutatio, nec scient etiam tempus cōceptionis. Præterea sicut in reliquis partibus corporis in partium operationibus differunt inter se mulieres, ita etiam verisimile est eas differre in operatione matricis: vtpote quòd aliæ quidem citius, aliæ verò tardius concipiant. Neque verò est admirabile si etiam sibi ipsis comparatæ,

[Margin notes:]
ἀναφορά.
Horoscopiū sumi non potest à deiectione seminis aut cōceptione.
στέαρ.
Semen aliquādo citius, aliquādo tardius deiicitur in fundū matricis.
ἀναμωθῆσι.
Mulieres aliquæ tardius, aliquæ citius, imò etiā eadē aliquando tar

paratæ, nunc quidem cernantur facilius, nunc verò difficilius aut non omnino concipere. Hoc autem cùm ita habeat, planè fieri non potest vt accuratè exactéque dicatur quando semen deiectum sit retentum: vt ex eo tempore ortus horoscopum constituant Chaldæi. Sed nec dici potest quòd tempus conceptus comprehendi possit per aliqua signa: vt ex eo quòd post coitum exsiccati sint sinus muliebres: obstructum autem fortè fuerit os matricis, cessaritque menstrua purgatio, pica autem aduenerit. Nam primùm quidē hæc quoque omnia signa communiter fiunt iis quæ non conceperunt. Deinde etiam si non fiant communiter, ea cùm iam multorum dierum spatium præterierit, conceptum significant, non autem planè, & proximum, & qui situs est in ipsius horæ spatiis. Ad dignoscendum autem vitæ discrimen opus habent Chaldæi, non tempore quod in aliqua extendatur latitudine, sed quod planè sit in ipso articulo. Est autem ex his perspicuum, quòd fieri non potest vt ex conceptu statuatur horoscopus. Sed nec ex partu. Nam primùm quidem dubium est quando dicendum sit esse partum: num quando fœtus qui nascitur, incipit prodire in frigidum aerem, an quando parum extat, an quando in terram est delatus. Deinde nec in vnoquoque eorum exactē & absolutè potest definiri tempus partus. Nam & propter animi constantiam, & propter aptitudinem corporis, & locorum affectionem, & propter obstetricis experientiam, & innumerabiles alias occasiones, non est idem tempus quo prodit fœtus qui nascitur ruptis membranis, aut foris parum existit, aut in terram defertur: sed aliud post aliud. Quod rursus non valentes definitè & accuratè perpendere Chaldæi, non assequentur vt horam partus vt oportet definiant. Atque quòd in tēpore quidem partus profiteantur Chaldæi se nosse horoscopum, nesciant autem, ex his est perspicuum. Quòd autē neque horoscopium sit eis certum & minimè aberrans, licet simili modo considerare. Nam quando dicunt, quòd qui parturiēti assidet, disco partum significat Chaldæo aspicienti stellas in promontorio: & ille cœlum aspiciens, obseruat signum quod oritur: primùm quidē eis ostendemus, quòd cùm partus non sit definitus, sicut paulo antè monstrauimus, nec facile sit eum disco significare. Deinde esto posse comprehendi partum, non tamen eius tempus potest perfectè adnotari. Accidit enim vt disci sonitus, qui potest longiori tēpore sensui distribui, moueatur ad promontorium. Signum est autem huius, id quod cernitur in iis qui ligna secant in montibus. Nam satis longo tempore post-

dius, aliquando citius concipiunt.

Conceptus quænam sint signa.

μεμύκέναι.

Horoscopus statui non potest ex partu.

παράσημα.

Horoscopiū nō est certum & minimè aberrans Astrologis.

In sono audiendo lōgior est mora.

quam inflicta est securis, exauditur ictus vocis, vt qui longiori tempore veniat ad eum qui audit. Propterea non possunt Chaldæi perfectè sumere tempus signi exorientis, quod est horoscopus. Præterea non solùm post partum transit multum temporis, in quo emittitur sonus ab eo qui assidet parturienti, ad eum qui aspicit stellas: sed etiam interim dum sursum aspicit, & considerans examinat in quo signo sit Luna & vnaquæque stella, euadit diuersum, quod ad stellas attinet, thema motus mundi qui perpetua circumagitur celeritate, priusquã horæ eius qui natus est, obseruando affixerit & accommodauerit ea quæ cernuntur in cœlo. Et alioqui eiusmodi obseruatio noctu fortasse solet procedere Chaldęis, quando cernuntur quæ sunt in circulo Zodiaco, & sunt manifestæ stellarum figurarum conformationes. Cùm autem nascantur etiam nonnulli interdiu, quando nihil potest adnotari eorum quæ prius dicta sunt, sed solus Solis motus, si is quoque potest, dicẽdum est in quibusdam quidem posse procedere methodum Chaldæorum: in quibusdam verò minimè. Vide autem num etiam noctu non possint certas & non errantes stellarum facere obseruationes. Sæpe enim nubilosæ & caliginosę sunt noctes. Bene autem cum eis agẽretur, si ablato omni eiusmodi prætextu, firmum aliquid & stabile inuenirent in disciplina: tantum abest vt possint inuenire, si sit aliquod impedimentum ad perfectam & absolutam cœlestium comprehensionem. Cùm autem Chaldæorum fregerimus & aboleuerimus horoscopium, & paucis ostenderimus id non posse comprehendi tempore ortus, pergamus ad reliquam promissi partem. Restabat autem vt diceremus de ascensu in Zodiaco, relictis argumentis à nobis prius expositis. Dicimus ergo quòd nõ facile possint inter se definiri, imò ne possint quidem perfectè definiri partes signorum: & sit verisimile iam exortum signum nondum videri esse ortum: & contrà nondum exortum videri esse ortum. Neque enim prius dicta hydriarũ ratio potest aliquid Chaldęis afferre adiumenti. Nam & ex aqua fluente, & ex aëris temperatione, fluxus est inæqualis tempore, & ea quæ fluxui obsistunt. Aquæ enim motionem verisimile est esse dissimilem in principio, quando fluit pura, & postea quando est limosa, & fluens difficilius. Aëris autem temperationem est probabile, si sit quidem caliginosus & paulò crassior, resistere effluxioni, eam quodammodo obstruentem. si sit autem clarus & subtilis, magis adiuuare. Porrò autem ipsa quoque amphora non similiter fluet si sit plena, & si sit inanis, aut si sit in eo vt exinaniatur: sed aliquan-

Signorũ partes non possunt exactè definiri.

Aqua ex hydria non semper fluit equaliter. ἀντιπαρελκόντων.

aliquando quidem celerius, aliquando verò tardius, aliquando verò mediocriter, cũ cœlestis motus semper feratur pari celeritate. Quod est autem in omnibus præcipuum, vniuscuiusque signi non est corpus continuum, neque veluti cum præcedenti compactum. coniunctum est cum id sequitur nullo interiecto spatio: sed constat ex stellis dispersis, & quæ quædã intermedia & discreta habent spatia, partim in medio, & partim in fine. Vnde cum partibus signorum Zodiaci omnino describatur, necesse est vt sit error iis qui obseruant à terra, cùm eos lateat occurrens interstitium, siue sit finis præcedentis signi, siue initium ascendentis. Tumuli autem ex quibus stellæ aspiciuntur, non semper manent iidem: sed cùm in parte diuersus sit & mutetur mundus, aut imbrium inundationibus, aut terræmotibus, aut aliis eiusmodi casibus vexatur. Quo fit vt ex eorum mutatione non sint eædem stellarum obseruationes, sed alia quidem sit ex loco excelso aspicientibus obseruatio, alia verò ex humili: & quod aliis est visum, non omnino conspectum sit aliis. Assumi etiam hic potest sensuum diuersitas. alij enim vident aliis acutius: & quomodo quod à nobis nondum videtur propter interuallum, hoc tãquam maximum comprehẽdunt aquilæ & accipitres, propterea quòd sint acuti visus: ita etiam quod iam oritur signum & est in horoscopo, potest quidẽ qui non acutè videt Chaldæus, & est obtusi visus, si cum alio conferatur, ob longum interuallum opinari quòd nõdum sit exortum. His autem addenda est, tanquam euidentissimum ad artem Chaldaicam confutandam argumentum, etiam in horizonte seu finitore aëtis differentia. Est enim verisimile, quòd cùm is sit crassus, per visus reflexionem signnm quod est adhuc sub terra, videatur iam esse super terram. Quod quidem fit etiam in radio Solis, qui reflectitur in aqua. Non videntes enim Solem, ipsum sæpe esse Solem opinamur. Quod autem omnia maximè continet, si quidem omnibus qui cœlestia obseruant in orbe terrarum, vnaquæque pars duodecima Zodiaci pari appareret tempore & recta cerneretur, fortasse possent Chaldæi firmiter & stabiliter accipere signum quod oritur in horizonte. Nunc autem quoniam nõ pari tempore apparet apud omnes, sed aliis quidem citius, aliis verò tardius, & aliquibus quidem obliquũ, aliis verò rectum, sequitur quòd non videatur omnibus idem signum esse horoscopus: sed quod his iam videatur esse exortum, hoc aliis esse modò sub terra: & quod videtur aliis esse in declinatione signi quod est horoscopus, hoc aliis cerni esse horoscopum. Quòd autem hoc ita habeat

Signa ascendentia nõ possunt exactè obseruari.

Sensus videndi diuersitas.

Horizon sæpe fallit visum.

Horoscopi signum non idẽ est omnibus.

Arcturus & Canis non eodem tempore apparent omnibus.

habeat, ex hoc est perspicuum, quòd stellæ inerrantes, vt Arcturus & Canis, non eodem tempore appareāt omnibus qui sunt in omni climate, sed aliis alio. Atque quòd non contingat accuratè & absolutè sumere signum quod sit horoscopus, & propterea nec vllum ex aliis centris ex quibus à Chaldæis fiunt prædictiones, satis ostendimus. Ex abundantia autem dicendum est, quòd etiamsi accuratè & perfectè comprehendi posset tempus eorum ascēsus, illud quidem est euidens, quòd nullus ex priuatis & imperitis qui accedūt ad Chaldæos, accedit accuratè obseruato tempore sui ortus. res enim esset magni artificij, vt prius ostendimus, & maior quàm vt eam discerneret imperitus. Quoniam ergo Chaldæus non accuratè & perfectè obseruauit tempus ortus in hoc imperito, sed ab eo ipsum audiit: hic autē imperitus, partim quidem propter imperitiam, partim autem propterea quòd nōn multum studij in ea re posuerit, rursus accuratè & perfectè tempus non nouit, restat vt nulla quidem perfecta prædictio, sed error & deceptio accedat hominibus ex arte Chaldaica. Quòd si contrà dicant, non ab eis sumi tempus accuratè & perfectè, sed crassè & vt est in aliqua latitudine, ex ipsis propemodum refellentur rerum prædictarum effectis & euentis. Qui enim in eodem crassè & latè sumpto tempore nati sunt, non eandem egerunt vitā: sed alij quidem, verbi causa, regnarunt, alij verò consenuerunt in vinculis. Nullus quidem certè Alexandro Macedoni fuit æqualis, cùm tamen multi in orbe terrarum simul cum eo nati sint: neque Platoni Philosopho. Quamobrem si Chaldęus considerat tēpus ortus quod latè sumitur, non poterit asseueranter dicere quòd qui eo tempore est natus, erit felix. Multi enim eodem tempore quo ipse nati, fuerūt infelices. Et rursus non dicet, Qui eo tēpore natus est, egebit. Non pauci enim ex iis qui idem habuere cœli thema, cōsenuerunt in maximis copiis. Præterea videtur non mediocriter refellere Chaldęos, & quæ aduersus dictum argumētum retorquetur oratio. Si enim qui ortus sui habent idem thema, in eadem effecta & euenta in vita incidunt, omnino etiam qui diuersos habent ortus, diuersi euadunt ac differentes. quod est falsum. Videmus enim multos qui & ætate & corporis forma differunt, & permultis aliis proprietatum affectionibus, similem habuisse vitæ finē: & vel in bello cecidisse, vel oppressos esse ruina ædium, vel naufragio submersos. Quibus, si viuerent, quemadmodum prædixisset Chaldæus futurum vitæ exitum, operæpretium est dubitare. Si enim qui natus est sub aculeo sagittæ Sagittarij,

Nullus ad Chaldæos accedens perfectè obseruauit tempus natiuitatis.

Tempus ab Astrologis est exactè sumendum.

ἐν πλάτει.

Eorū qui eodem tēpore nati sunt, varia vita et varius exitus.

gittarij, ex ratione mathematica interficietur: quomodo tot Barbarorum millia aduersus Græcos decertantia Marathone simul interfecta sunt? Non enim erat idem in omnibus horoscopus. Et rursus si qui natus est sub situla Aquarij, nauem franget: quomodo qui reuertebantur à Troia, submersi sunt in freto Eubœæ? Neque enim fieri potest vt omnes qui multùm inter se differebant? nati sint sub situla Aquarii. Neque verò licet dicere, quòd sæpe propter vnum cui fuit in fatis vt periret in mari, omnes qui erant in naui simul pereant. Cur enim huius fatum vincit fata omnium, & non propter vnum cui erat in fatis vt moreretur in terra, omnes conseruantur? Dubitabit autem etiam quispiam alius de brutis animantibus. Si enim vitæ euenta & effecta eueniunt ex stellarum figurarum conformationibus: cùm in eadem parte signi simul nati sint asinus & homo, oportet in vtrisque eundem sequi vitæ exitum: & non hominem, cùm sæpe præclarè gesserit rempublicam, honorari à populis, eisque esse curæ: asinum autẽ perpetuò ferre onera, aut abduci ad molendinum. Non potest ergo esse vt vita administretur ex motu astrorum. aut si est cõsentaneum, id verò à nobis minimè potest comprehendi. Eadem autem vi incitati, eos pudore afficiemus in eo quoque quòd volunt figuris signorum quadam veluti necessitudine coniungere formas & mores hominum: vt quando dicunt, Qui natus erit in Leone, erit fortis: qui autem in Virgine, erit passis capillis, vultu gratus, candidus, sine liberis, verecundus. Hæc enim & similia sunt magis ridẽda, quàm digna in quæ studium cõferatur. Nam primùm quidem, si propterea quòd Leo est fortis & toruo ac masculo aspectu, dicũt eum qui in ipso nascitur esse fortem, quomodo Taurum qui ei proportione conuenit, existimant animal fœmininum? Deinde verò ineptum est existimare, pulcherrimum Leonem qui est in cœlo, habere aliquam proportionem & conuenientiam cum eo qui est in terra. Est enim verisimile, veteres hæc nomina imposuisse propter solam figuræ similitudinem: fortè autem nec propter eam, sed causa doctrinæ magis significandæ. Quid enim habent vrsæ simile septem stellæ quæ sunt inter se disiunctæ ac disitæ? aut cum capite draconis, quinque stellæ, de quibus dicit Aratus,

„ *Tempora bina tenent, oculos duo, subtus at vnum*
„ *Immanis monstri maxillæ extrema capessit.*

Verumenimuero, vt superius diximus, eorum qui nascuntur in hoc signo, neque eædem sunt formæ, neque mores similes. Nisi fortè

Natus sub aculeo Sagittarij, occidetur.

Natus sub situla Aquarij, nauem fräget.

Homo & asinus nati sub eodem cæli themate non eundem habent vitæ exitum. κάνθωνες.

Formæ & mores hominũ ab astris non dependent.

Signis cur animalium nomina imposuerũt veteres.

dicant partes eas in quas diuiditur vnumquodque ſignum, & etiam minuta, eiuſmodi differentiæ eſſe efficientia. quod rurſus non poteſt fieri. Oſtendimus enim temporis partus & horoſcopi certam ac perfectam cognitionem non poſſe conſiſtere. Duorum autem alterum: aut enim quia ſignum dicitur Leo, is qui natus eſt fit fortis: aut quia mutato aëre à cœleſti Leone eiuſmodi eueniunt affectiones homini qui naſcitur. Sed nō eſt probabile fieri fortem propterea, quòd Leo vocetur ſignum quod eſt in horoſcopo. Hac enim ratione oporteret etiam eos qui nati ſunt cum terreſtri Leone, aut qui cum eo ſunt educati, eſſe fortes, propterea quòd Leo dicatur animal cum quo ſunt nutriti. Sin autem propter aëris mutationem, quid hoc ad vitæ differentiam? Nam ad hoc quidem quòd fiat corpore robuſtum, aut moribus ferum, fortè confert certa qualitate prædita aëris temperatio: ad hoc autem quòd id quod naſcitur opprimatur ære alieno, aut regnet, aut ſit in vinculis, aut paucos habeat liberos, aut paucos fratres, aër nihil videtur adiuuare. Et rurſus ſi qui natus eſt cùm Virgo eſſet in horoſcopo, eſt paſsis capillis, gratus aſpectu & candidus, oportebit nullum AEthiopem habere in horoſcopo Virginem: alioqui dabunt AEthiopem eſſe album, aſpectu gratum, & paſsis capillis. quod quidem eſt omnium abſurdiſsimum. Vt ſemel autem dicam, cùm nec ſtellas quidem eis dicant indicare humanæ vitæ differentias, ſed eas ſe obſeruaſſe ex ſtellarum inter ſe habitudinibus, dico quòd ſi firma ac ſtabilis futura ſit prædictio, oporteat eandem ſtellarũ inter ſe habitudinem non ſemel obſeruaſſe in vita alicuius, ſed in ſecundi iterum, & in tertii tertiò: vt ex eo quòd in omnibus pares ſint euentorũ & effectorum exitus, diſcamus quòd cùm ſtellæ ſint hanc figurarum accepturę conformationem, hoc ſit omnino euenturum. & quomodo in arte medendi didicimus, quòd vulneratio cordis ſit cauſa mortis, non obſeruata ſola morte Dionis, ſed & Theonis, & Socratis, & multorum aliorum: ita etiã in Mathematica, ſi ſit credibile quòd hæc aſtrorum figurę conformatio talem vitam ſignificet, omnino non ſemel in vno, ſed ſæpe in multis eſt obſeruata. Quoniam ergo eadem aſtrorum figuræ conformatio, poſt longa, vt aiunt, tempora cernitur, nempe poſt nouies mille nongentos & ſeptuaginta & ſeptem annos magni anni facta reſtitutione, tam multis ſeculis non perueniet hominum obſeruatio ad vnius hominis ortum. idque cùm non ſemel, ſed ſæpe mundi interitus, vt quidã dixerunt, eum intercipiat, aut terræ ſigillatim & per partes mutatio penitus aboleat continuationem

Eiuſdem ſtellarum habitudinis & conformationis ſæpius non poteſt eſſe obſeruatio.

Stellarum figuræ eadẽ conformatio poſt quàm multos annos fiat.

tionem historicæ traditionis. Hæc ergo sunt quæ ex ipsa actione & rerum experientia dici possunt aduersus Chaldæos. Post quæ rursus alio sumpto principio, trademus compendiosam aduersus Musicos quæstionem.

Sexti Empirici aduersus Musicos. Cap. 22.

Musica dicitur tribus modis.

Aristoxenus cur dictus musicus.

MVSICA dicitur tribus modis. Vno quidem modo, quædam scientia quæ versatur in modulationibus, sonisq́;, & rhythmorũ seu numerorum cõfectionibus. Quo quidem modo Aristoxenum Spinthari filium dicimus esse Musicum. Altero autem, quæ versatur in organorum & musicorum instrumentorum peritia. Per abusum autem nonnunquam solemus appellare eodem nomine etiam rectam in re aliqua actionem. Sic ergo dicimus opus aliquod μεμουσωμένον, id est à Musis vel musicè concinnatum, etiamsi sit pars picturę: & μεμουσῶσθαι, id est à Musis vel afflatum vel institutum, qui rectè se gessit pictorẽ. Cùm autem tot modis intelligatur Musica, nunc est nobis propositũ contra eam dicere: non quidem aduersus aliam, quàm eam quæ intelligitur in primo significato. ea enim ad alias musicas videtur esse perfectissima. Dicendum est autem genus contradicendi quomodo in Grammatica. Atque alii quidem dogmaticè conati sunt docere, quòd Musica non est ad felicitatem disciplina necessaria, sed potius noxia: idque ostendi & ex eo quòd malè audiant ac vituperẽtur quæ sunt apud Musicum: & ex eo quòd præcipuæ rationes mereantur reprehensionem. Alii autem maiorem mouentes dubitationem, relicta omni eiusmodi contradictione in labefactandis Musicorum hypothesibus, existimarunt etiam totam labefactatam esse Musicam. Nos itaq; ne videamur de doctrinę debito aliquid rescindere, vtriusque dogmatis aut rei tractationem summatim aggrediemur, nec in rebus superuacaneis in longas excurrentes digressiones, nec in necessariis ea quæ vrgent & premunt omittentes, sed mediam & moderatam, quoad eius fieri poterit, adhibentes doctrinam. Ordine ergo primùm incipiant quæ pro Musica iactari solent in vulgus. Si ergo, inquiunt, recipimus Philosophiam quæ humanam vitam castigat & temperat, animique motus & perturbationes coërcet ac reprimit: multo magis recipimus Musicam, quæ non per vim nobis imperat, sed cum voluntaria quadam persuasione, eadem effecta efficit quæ Philosophia. Pythagoras quidem certè cùm aliquando vidisset adolescentes ob ebrietatem ita debacchantes, vt ab insanis nihil differ-

μεμουσωμένον opus quid sit.

μεμουσῶσθαι quid sit.

Musicæ laus.

Pythagoras iubens tibicinẽ canere spõdeum melos,

petulātes iuuenes reduxit ad moderationem.

rent, suasit Tibicini quem illi secum habebât in comessatione & petulanti illa oblectatione, vt spondeū illis caneret melos. Quod cùm vt iusserat fecisset, ita repente fuerunt conuersi ad modestiam, ac si fuissent ab initio sobrij.

Lacedæmonij Musica vtebantur in bello.

Et qui Græciæ præerant, & quorum virtus prædicabatur ab omnibus, Spartani semper bellum gerebant Musica eis ducente exercitum.

Solon ad tibiam & lyrā iubebat instrui aciem.

Et qui Solonis vtebâtur admonitionibus, ad tibiam & lyram instruebant aciem, numeroso in armis motu vtentes, qui dicitur enoplios. Porrò autem vt insipientes castigat & moderatos reddit Musica, & timidos hortatur ad virtutem, ita etiam eos sedat qui ira incēduntur.

Achilles iratus se oblectabat Musica.

Hom. Rhaps. ι.

Videmus certè quòd qui apud Poëtam erat ira percitus Achilles, deprehenditur à legatis qui ad eū missi fuerant,

Se oblectare volens cithara & recreare canora,
Pulchra, fixus erat capulusque argenteus illi:
Bello enaris quam habuit capta Aetionis ab vrbe.

Musicis ab Heroibus custodiendæ relinquebantur vxores.

Illa quidem recreabat animum, vt qui sciret Musicum maximè posse suam sedare affectionem. Ad hæc accedit, quòd cùm alii quoq; Heroës peregrè essent profecturi & longam suscepturi nauigationem, in more erat eis positum, vt fidelissimos vxorum suarum custodes & moderatores relinquerent Musicos.

Agamemnō cantori suam commisit vxorem.

Aegisthus amandato cantore corrupit Clytæmnestrā.

Homerus.

Clytęmnestræ quidem certè aderat Cantor, cui de sua vxoris pudicitia multa mandauerat Agamemnon. Sed AEgisthus cùm esset callidus, hunc Cantorem in desertam insulam abductum,

» *Esse cibum prædamque auibus canibusque reliquit.*

Deinde cùm Clytęmnestram sic accepisset incustoditam, ei stuprū attulit, hortataque & vt Agamemnonis inuaderet imperium.

Musico est sapiens similis, vt vult Plato.

Socrates senex didicit Musicā à Lampone.

Sero didicisse melius est quàm nihil didicisse.

Et qui plurimum valuerunt in Philosophia, sicut Plato, sapientē dicunt esse Musico similem, vt qui habeat animam ad harmoniam bene concinnatam ac compositam. Qua ratione Socrates quoque etiamsi iam esset senio confectus, non erubescebat ad Lamponem ventitare citharœdum, & dicere ei qui hoc ipsi exprobrauerat, melius esse vitio dari quòd serò didicisset, quàm quòd esset indoctus, vt qui nihil didicisset.

Athenienses Musicam docebant suos liberos.

Non oportet autem, inquiunt, ob fractam & eneruatam nostri temporis Musicam, in veterem inuehi & de ea detrahere, cùm etiam Athenienses, quibus magnæ fuit curæ moderatio ac tēperantia, Musicæ honestam accipientes grauitatem, eam vt disciplinam maximè necessariam tradiderint posteris. Huius autem rei testis est Poëta veteris Comœdiæ, dicens:
» Dicam vitam quam dabam ab initio mortalibus.
» Prius enim neminem oportebat audire vocem pueri ne mutientis

„ tientis quidem. Deinde in viis modestè ire ad citharistam. Quare si quibusdã fractis modis & effœminatis numeris nunc effœminat Musica, nihil hoc ad veterem & virilem Musicam. Quomodo autem vitæ vtilis est Poëtica, eam autem cernitur exornare Musicã, quæ ad modos eam deducit, & ei præbet vt possit cantari, fiet Musica vtilis. Poëtæ certè & dicuntur μελοποιοὶ, id est modorum factores: & Homeri versus olim canebantur ad lyram. Similiter & qui apud Tragicos modi dicuntur stabiles, quandam naturalem tenentes rationẽ, cuiusmodi sunt qui sic dicuntur: Terra maxima, & Iouis æther: Hic quidẽ
„ hominum & Deorum genitor: Illa verò acceptis humoriferis austra-
„ libus stillis, Parit mortales, parit cibum, genera & ferarum. Vnde nõ
„ iniuria existimata est mater omnium. Vt enim dicam vniuersè & in summa, Musica non solùm auditur à lætantibus, & in hymnis & conuiuiis & Deorũ sacrificiis, & propterea exhortatur ad bonorũ æmulationem: sed etiam est solatium eorum qui mœrore conficiuntur. Vnde etiam lugentibus modos canunt tibiæ, quæ eis luctum leuant. Atque hæc quidem pro Musica. Aduersus ea autem dicitur, primùm quidem quòd non protinus eis conceditur, quòd ex modis alij quidem natura animum excitant, alij verò sedant & componunt, sed ex nostra hoc fit opinione: quomodo etiam sonitus tonitrui, vt dicunt Epicurei, non significat aliquẽ Deum apparuisse, sed censetur id esse eiusmodi ab imperitis & superstitiosis. Nam etiam cùm alia corpora inter se fuerint collisa, similiter editur sonus, vt cùm circumagitur mola, aut cùm complodunturmanus. Ita etiam ex modis musicis nõ alii quidem sunt natura tales, alii verò tales, sed à nobis existimantur. Idem certè modus equos quidem excitat, homines verò qui audiunt in theatris, minimè. Forte autem nec equos excitat, sed perturbat. Deinde etiamsi tales sint modi musici, non ideo Musica est vitæ vtilis. Non enim quia vim habet moderandi & castigandi, sedat & comprimit animum, sed vim potius habet abstrahendi: quandoquidem cùm cessauerint hi modi, mens rursus tanquam ab eis non curata, ad eam quam prius habebat redit cogitationem. Quomodo ergo somnus aut vinum non soluit dolorem, sed differt, immittens veternum & dissolutionem ac obliuionem: ita modus certa qualitate præditus, non comprimit mœrore affectam animam, aut cogitationem ira ardentem, sed abstrahit. Et Pythagoras primùm quidem erat insipiens, qui intempestiuè volebat ebrios reducere ad temperãtiam, non autem eos declinare. Deinde etiam hoc modo eos corrigens, confite-

Musica vetus erat virilis.

Musica recẽs fracta & effœminata.

ἐπῳδὸν παρέχουσα.

Poëtæ modos acceperunt à Musicis.

Modi stabiles apud Tragicos.

Musica lætos delectat, mœstos cõsolatur.

Musicæ vituperatio.

Nõ modi musici animũ excitant aut sedant, sed nostra opinio.

Tonitru quale sit secũdum Epicurum.

Musica non est vitæ vtilis.

Musica non sedat animũ, sed tantùm ad tẽpus abstrahit.

Vinum & somnus nõ soluunt dolorem, sed differunt.

περὶ ὀργὴν σεσοφισμένη.

Tibicines ad corrigẽdos mores plus possunt quàm Philosophi.

confitetur plus posse Tibicines ad corrigendos mores quàm Philosophos. Et quòd Spartani bellum gerant ad tibiam & lyram, signum est eius quod prius dictum est, non autem quòd vitæ vtilis sit Musica. Quomodo autẽ qui portant onera, aut remigant, aut faciunt aliquod aliud opus laboriosum, vtuntur clamoribus quos vocant celeusmata, ad abstrahendum animum à vexatione operis: ita etiam tibiis aut tubis vtentes, non quòd modus habeat aliquid quod mentem excitet, & virilis animi causa sit, hoc excogitauerunt: sed studium suum in id contulerunt, vt se abstraherent ab afflictione & perturbatione. Siquidem nonnullis quoque Barbari turbinibus buccinantur, & tympanis sonantes bellum gerunt. Sed nihil horum eos hortatur ad virtutem. Hæc ipsa dicenda sunt de Achille ira percito: quanquam cùm esset amori deditus & incontinens, non est mirabile studio ei fuisse Musicam. At Heroës suas commendarunt vxores Cantoribus tanquam castis custodibus, quomodo Agamemnon Clytęmnestrã. Hęc autem sunt virorum fabulantium, & qui seipsos e uestigio refellunt. Quomodo enim si credebatur Musica cõferre ad motus animi corrigendos, Agamemnonem quidẽ occidit Clytęmnestra in suis ædibus tanquam bouem in præsepi: in domum autem Vlyssis Penelope lasciuam & petulantum iuuenum admittit turbam: eorum autem desiderii spem semper & amputãs & augens, in Ithaca deterius & grauius bellum excitauit marito, quàm quod susceptum erat aduersus Ilium? Sed neque si Platonici exceperunt Musicã, dicendum est eam tendere ad beatitudinem. Nam alii quoque non minus fide digni, vtpote Epicurei, negarunt eam esse suscipiendam, dicentes contrà, eam minimè esse conuenientem, & esse ociosam, & vino deditam, & pecuniæ negligentem. Nam potest quidem quispiam, vt diximus in libro aduersus Grammaticos, docere esse Poëticam inutilem: & nihilo minus illud quoque ostendere, quòd Musica quidem, quæ in solis versatur modulationibus, secundum naturam solum habeat vt delectet: Poëtica autem quæ versatur etiam in animi cogitatione & intelligẽtia, potest simul & prodesse, modestumque reddere & temperantem. Sed aduersus ea quidem quę adducta sunt argumenta, hęc dici possunt. In primis autem hoc dicitur aduersus Musicam, quòd si quidem sit vtilis, in hoc dicitur esse vsui, quòd qui est Musicus, magis delectetur musicis acroamatis quàm imperiti: aut quòd nõ liceat bono euadere, qui ab eis prius non fuerit eruditus: aut quòd sint eadem elementa Musicæ, & rerum quæ in Philosophia tractantur cognitionis.

Margin notes: *λήμματα.* — *στρόμβοι.* — *Heroas suas vxores commendasse cantoribus, fabulosum.* — *Epicurei nõ admittũt Musicam.* — *Poëtica potest esse vtilis etsi Musica sit inutilis.* — *Musica non est vitæ humanæ vtilis.*

nis. quod etiam superius dicebamus de Grammatica. aut quòd per harmoniam administretur mundus, vt dicunt Pythagorei: opus autẽ habeamus musicis contemplationibus ad vniuersarum rerum cognitionem. Sed nec vtilis dici potest Musica, quòd acroamatis magis delectentur Musici quàm imperiti. Nam primùm quidẽ non est imperitis necessaria eorum delectatio, vt quæ in fame aut siti aut frigore fit à cibo aut potu aut calore. Deinde etiamsi sint necessaria, possumus his frui absque musica experientia. Sopiuntur quidem certè infantes numerosum audientes susurrum: & bruta demulcentur à tibia & fistula:& Delphini, vt fertur, tibiarum delectati modulatione; adnatant ad eos qui remigãt in scaphis. quorum neutrum videtur habere experientiam aut notionem Musicæ. Et ideo num quomodo absq; arte condiẽdi obsonia, & arte degustãdi vina, delectamur obsonio gustato aut vino: ita etiam Musica delectabimur, audientes modum iucundum & delectabilem, quòd artificiosè quidem fiat, magis quàm imperitus apprehendentes, sed eo nihilo maiorem accipiẽtes voluptatem. Quamobrem non est eligenda Musica, quòd vsuueniat vt qui eius sunt scientes, magis delectentur: sed nec quòd ea animæ viam muniat ad sapientiam. Contrà enim offendit, & resistit ne virtus appetatur, vt quæ iuuenes reddat propensos ac procliues ad libidinem & intemperantiam. Nam qui se dedidit Musicæ, cantibus delectatus hoc semper venatur,

Infantes sopiuntur susurro.

Delphini delectantur tibiis.

Musici non maiorem accipiunt voluptatem quàm imperiti qui eos audiunt.

Musica impedit ne virtus appetatur.

,, *In ædibus fiet piger & in oppido,*
,, *Suis amicis ille nec vnquam aderit,*
,, *Iucunda quem victum voluptas detinet.*

Similiter autem, neque quòd ab iisdem proficiscatur elementis ipsa & Philosophia, ea ratione est vtilis, vt ex se est euidens. Restat ergo vt ex eo quòd per harmoniã mundus administretur, aut ex eo quòd vtatur modis qui bonos mores procreẽt, ea dicatur esse vtilis ad beatitudinem. Quorum extremum quidem iam fuit reprobatũ, vt quod non sit verum. Quòd autem per harmoniam mundus administretur, multifariam falsum ostenditur. Deinde etiamsi sit verum, hoc nihil potest ad beatitudinem, sicut nec quæ est in instrumentis harmonia. Sed eiusmodi quidem est primum genus dicendi aduersus Musicos. Secundum autem, & quod tangit Musicæ principia, est quæstionis paulò operosioris: vt quoniam Musica est scientia modulatorum & non modulatorum, numerosorumque & non numerosorum, omnino si ostenderimus quòd neque modi consistunt, neque rerum quæ sunt

Mundus non administratur per harmoniam.

ſunt numeri, oſtenderimus etiam Muſicam non conſiſtere. Dicamus autem primùm de modis & eorũ ſubſtantia, paulò altius incipientes.

Definitio Vocis.

Vox quid ſit. Vox ergo eſt, vt ea poteſt definiri citra omnem controuerſiam, proprium ſenſile auditus: & quomodo eſt proprium munus viſus, colores apprehendere: & ſolius odoratus, vendicare ſibi ſenſum eorum quæ bene olent & malè, ita etiam vox eſt proprium ſenſile auditus.

Vocis diuiſio. Vocum autem alia quidem eſt acuta, alia verò grauis, vtroq; eorum metaphoricè ſuam accipiente appellationem ab iis quæ ſunt ſenſilia tactus. *Acuta vox cur dicatur.* Quomodo enim id quod tactum pungit & ſecat, acutum vocat humanæ vitæ vſus: & graue, id quod contuſionem affert & premit: *Grauis vox cur dicatur.* eodem modo & vocum, eam quidem quæ veluti auditum ſecat, acutam: eam autem quæ veluti contundit, grauem. Nec eſt alienum, ſi quomodo fuſcam quandam atramque & candidam appellauimus vocem, ab iis quæ cadunt ſub ſenſum viſus, ita etiam vtamur quibuſdam metaphoris ex iis quæ cadunt ſub tactũ. *φθόγγος, ſonus muſicus.* Quando ergo vox quidem ex æquo enunțiatur, & ſub vna extẽſione, ita vt ſenſus nulla fiat abſtractio aut ad grauius, aut ad acutius, tunc eiuſmodi ſonus dicitur Græcè φθόγγος. Muſici itaque eum deſcribentes dicunt.

Definitio ſoni qui dicitur φθόγγος.

Φθόγγος quid ſit. Sonus ergo muſicus qui dicitur φθόγγος, eſt vocis modulatæ caſus ſub vnam extenſionem. Ex ſonis autem alii quidem in voce cõueniunt, alii verò minimè. Et in voce quidem conueniunt, qui inter ſe non differunt in acuto & graui. Non conueniunt autem, qui non ita ſe habent. Eorum autem qui in voce conueniunt, vt & eorum qui non conueniunt, aliqui quidem vocantur acuti, aliqui verò graues. Et rurſus eorum qui in voce non conueniunt, alii quidem appellantur diſſonantes, alii verò conſonantes. *Diſſonantes ſoni.* Et ſunt quidem diſſonantes, qui inæqualiter diuulſeque ac diſperſim aures mouent: *Conſonantes ſoni.* conſonantes autem qui æqualiter & indiuiduè. Fiet autẽ apertior vtriuſque generis proprietas, ſi vtamur tranſitu à qualitatibus ad guſtum pertinentibus. *Guſtabilia partim ſimiliter, partim diſſimiliter guſtũ mouent.* Quomodo ergo ex guſtabilibus alia quidem talem habent temperationem, vt vniformiter & leniter moueant ſenſum, vt mulſum & hydromel: alia autem non eodẽ modo nec ſimiliter, quomodo oxymel *οἰνόμελι.* (vtraq; enim harum mixtionum guſtui imprimit propriam qualitatem) ita ex ſonis, diſſonantes quidem ſunt qui inæqualiter diuulſeque ac diſperſim mouent auditum: conſonantes autem, qui æquabilius. Atque ſonorum quidem differentia talis eſt apud Muſicos.

Circun-

Circunſcribuntur autem quædā ab eis interualla, in quibus vox mouetur, aut ad acutius aſcendens, aut deſcēdens ad grauius. Quamobrem conuenienter proportioni interuallorum, alia quidem appellata ſunt conſonantia, alia verò diſſonantia. Et conſonantia quidem, quando continentur à ſonis conſonantibus: diſſonantia autem, quæ à diſſonantibus. Conſonantium autem interuallorum, primum quidem & minimum appellāt Muſici Dia teſſaron: quod autem eſt poſt hoc maius, Dia pente: & quod interuallo Dia pente eſt maius, Diá paſon. Et rurſus diſſonantium interuallorum, minimum quidem eſt & primum apud ipſos, quæ vocatur Dieſis: ſecundum autem, Semitonium, quod eſt duplum Dieſis; tertium autem, Tonus, qui eſt duplus Semitonij. Verumenimuero quomodo vniuerſum in Muſica interuallum habet ſubſtantiam in ſonis, ita etiam hic mos vniuerſus eſt quoddam genus modulationis. Quomodo enim ex humanis moribus alij quidem ſunt ſeueriores & grauiores, quales ſcribunt fuiſſe mores veterum: alij autem magis propenſi & procliues ad amores & ebrietates, fletuſque, luctus & eiulatus: ita etiam quædam modulatio honeſtos quoſdam graueſque & ciuiles mores immittit in animum: alia autem humiliores & illiberales. Vocatur autem eiuſmodi melodia ſeu modulatio communiter à Muſicis ἦθος, id eſt mos, ex eo quòd morē efficiat: quomodo & timor pallidus, quòd pallidos reddat: & Auſtri dicuntur graues auribus, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes, pro eo quod eſt, horum efficientes. Communis autem hæc melodia ſeu modulatio partim quidem dicitur Chroma, id eſt color: partim autem Harmonia: partim autem Diatonon. Ex quibus Harmonia quidem conſtituit quodammodo quandam morum honeſtatem & grauitatem: Chroma autem eſt lene quidpiam & lamentabile: Diatonicū autem aſperum & ſubagreſte. Sed rurſus ex iis quæ recipiunt modulationem ſeu melodiam, modus quidem harmonicus eſt indiuiduus. Diatonum autem & Chroma habent proprias quaſdam differentias: duas quidem Diatonum, nempe & eam quæ mollis vocatur Diatoni, & eam quæ intenſi: Chroma autem tres: nā id partim quidem vocatur Tonicum, partim autē Semitonium, partim autem molle. Cæterū ex his eſt perſpicuum, quòd vniuerſa apud Muſicos contēplatio modulationis, non in aliam quàm in ſonis ſuam habet ſubſtantiam. & ideo ſi ij tollantur, nihil erit Muſica. Quoniam ergo dicet quiſpiam non eſſe ſonos? Ex eo quòd ipſi ſint vox in genere, dicemus vocē eſſe non poſſe, à nobis fuiſſe oſtenſum in Scepticis

Interualla conſonantia.
Interualla diſſonantia.
Dia teſſaron interuallum.
Dia pente.
Dia paſon.
Dieſis.
Semitonium.
Duplus ſemitonij.
ἦθος, quædā modulatio mores efficiens.
Timor pallidus.
Auſtri graues.
Chroma quid ſit.
Harmonia quid ſit.
ἀγωγήν.
Diatonos quid ſit.
Sceptici commētarij Sexti.

Vox nulla est.

cis commentariis ex testimonio Dogmaticorū. Cyrenæi enim Philosophi solas esse dicunt affectiones, aliud autem nihil. Vnde etiam vocem, cùm non sit affectio, sed efficiens affectionis, non esse ex iis quæ sunt. Democritus autem & Plato tollentes vniuersum sensile, vocem quoque simul tollunt, quæ videtur esse quædam res sensilis.

Vox neque est corpus, nec incorporea.

Alioqui enim si est vox, aut est corpus, aut incorporea. Non est autē corpus, vt multis docent Peripatetici: neque incorporea, vt Stoici. Non est ergo vox. Alius autem quispiam illo quoque modo argumentabitur. Si non est anima, nec sunt sensus: ij enim sunt eius partes. Si autem non sunt sensus, nec sensilia: ad sensus enim relata intelligitur eorum substantia. Si autem non sunt sensilia, neque vox: ea enim est species sensilium.

Animam nō esse. ostendit Sextus in commentariis De anima.

Atqui nihil est anima, vt ostendimus in nostris De anima commentariis. Non est ergo vox. Præterea si neque vox est longa nec breuis, non est vox.

Vox nec est longa nec breuis.

Non est autem vox longa nec breuis, vt admonuimus in iis quę scripsimus aduersus Grammaticos, de syllaba quærentes & dictione. Non est ergo vox. Ad hæc accedit, quòd vox neque in effectu intelligitur, neque in substantia, sed in generatione & temporali extensione.

Vox non est in effectu neque in substātia, sed in generatione.

Quod autem est in generatione, fit, nondum autem est: vt nec domus quæ fit, aut nauis, & alia quàm plurima, esse dicuntur. Vox ergo nihil est. Multæ aliæ possunt ad hæc adduci rationes, de quibus, vt dixi, tractauimus in Pyrrhoneis commentariis.

Pyrrhoneos commentarios scripsit Sextus Empiricus.

Nunc autem si non sit vox, nec erit sonus, qui dicebatur esse casus vocis sub vnam extensionem. Si autem non est sonus, nec est interuallum musicū, nec symphonia, nec modulatio, nec quæ ex iis cōnstant genera: & ideo nec Musica. Dicebatur enim scientia modulatorum & non modulatorum. Vnde ab alio ostendendum est principio, quòd etiamsi ab his discesserimus, propter tractandam in conficiendis rhythmis seu numeris dubitationem, non potest consistere Musica.

Rhythmus seu numerus nihil est.

Si enim nihil est Rhythmus seu numerus, neq; numeri vlla erit scientia. Atqui nihil est Rhythmus, vt ostendimus. Non est ergo aliqua Rhythmi scientia. Nam, vt sæpe diximus, Rhythmus est compositio quædam ex pedibus. Pes autem est id quod constat ex eleuatione & positura. Eleuatio autem & positura consideratur in quantitate temporum: quorum aliqua quidem tempora continet positura, aliqua verò eleuatio. Quomodo enim ex elementis quidem syllabæ, ex syllabis autem componuntur dictiones: ita ex tēporibus quidem pedes, ex pedibus autem fiunt Rhythmi seu numeri, vt qui ex illis accipiant constitutionem. Si ergo ostēderimus quòd nihil sit

tempus,

tempus, simul etiam habebimus demonstratum, quòd nec erunt quidem pedes: propterea autem nec Rhythmi qui ex illis cōsistunt. Cui erit consequens ne esse quidem Rhythmorum sciētiam. Quomodo ergo nihil sit tempus, iam quidem ostendimus in Pyrrhoneis commentariis: nihilo secius autem nunc quoque ostendemus aliquantulum. Nam si tempus est aliquid, aut est finitum, aut infinitum. Non est autem finitum: alioqui dicemus fuisse tempus quando non erat tempus: & futurum aliquando tēpus, quando tempus non erit. Neq; est infinitum: est enim eius aliquid præteritum, & præsens, & futurum. Quorum vtrunque si quidem nō est, finitum est tempus. Sinautem est, erit in præsenti & præteritum & futurum: quod quidem est absurdum. Non est ergo tempus. Quod autem cōstat ex iis quæ esse non possunt, non potest esse. Tempus autem constans & ex eo quod præteriit & non est amplius, & ex futuro quod nondum est, esse non poterit. Alioqui si tempus quidem est indiuiduum, quomodo aliud quidem eius dicimus prꝫteritum, aliud verò præsens, aliud autem futurum? Sinautem est diuiduum, quādoquidem quidquid est diuiduū, aliqua pars ipsius id metitur, vt palmus quidem cubitum, digitus verò palmum: oportebit aliquam quoque eius partem ipsum metiri. Fieri autem non potest, vt præsenti alia metiamur tempora. nā quod fit & est præsens tempus, ex eorum sententia idem est præsens & futurum. Præteritum quidem, quoniam metitur tempus præteritum: futurum autem, quoniam futurum. quod quidem est absurdum. Nullo ergo ex duobus quæ restant præsens est metiendum. Quam ob causam nec hac ratione dicendum est vllum esse tempus. Præterea si tempus est trium partium, & partim quidem est præteritum, partim autem præsens, partim autem futurum: quorum præteritum quidem non est amplius, futurū autem nondum est, pꝫsens autem est: aut est diuiduum, aut indiuiduum. Sed indiuiduum quidem non est. Nam in indiuiduo quidem nihil potest fieri diuiduū, vt dicit Timon: vt fieri, interire. Et alioqui si est indiuiduū præsens tempus, neq; principium habet à quo incipit, neq; finem in quem desinit. Propterea autē nec medium. Et sic non erit præsens tempus. Sinautem est diuiduum, si quidem diuiditur in tempora quꝫ non sunt, non erit totū tempus: sed ex eius partibus aliquæ quidē erunt, aliquæ verò non erunt. Nihil est ergo. Propterea autem neque pedes, neque numeri, neq; numerorū scientia. Cùm hæc agendo dixerimus aduersus principia Musicæ, in his absoluimus tractationem aduersus disciplinas.

Tempus nihil est.

Sexti Empirici ex duobus De philosophia liber primus, Aduersus Logicos.

SCEPTICAE quidem facultatis, quæ est vniuersè & in genere, forma ostensa est cum ea qua conuenit pertractatione, partim quidẽ primo loco expressa, partim autem conuenienter distinctioni Philosophorum qui illam sequuntur. Restat autem vt in iis quæ sunt eius singularia, doceamus quis sit eius vsus: & neque seorsum res considerantes, neque Dogmaticis resistẽtes, facilè prolabamur. Sed quoniam res est varia & multiplex Philosophia: ad hoc vt certo ordine & via quæramus vnumquodq;, oportebit pauca tractare de eius partibus. Iam enim alij quidem videntur statuere eam vnicam habere partem, alij verò duas partes, alij autem tres. Et ex iis qui vnam partem statuerunt, alij quidem eam naturæ statuerunt contemplationẽ, alij verò morum considerationem, alij autem logicam. Et similiter ex iis qui eam diuidunt per binarium, alij quidem eam diuiserunt in naturæ contemplationem, & logicam: alij autem in naturæ contemplationem, & eam quę versatur in considerandis moribus: alii autem in logicam, & eam quæ in moribus versatur partẽ. Qui verò in tres partes diuidunt, consentiunt in ea diuidenda in naturæ contemplationem & logicam, & eam quæ versatur in moribus. Atque naturalem quidem solam constituêre partem Thales & Anaximenes & Anaximander & Empedocles & Parmenides & Heraclitus. Thales quidem & Anaximenes & Anaximander, ex omnium sententia & citra vllam controuersiam: Empedocles autem & Parmenides & pręterea Heraclitus non ex omnium sentẽtia. Nam Empedoclem quidem dicit Aristoteles primum mouisse dicẽdi artem: cuius dicit Dialecticam esse ἀντίσεοφον, hoc est ἰσόσεοφον, propterea quòd versetur in eadem materia: vt etiam Poëta Vlyssem dixit ἀντίθεον, quod quidem est, Deo parem. Parmenides autẽ videtur non fuisse imperitus Dialecticæ. Nam rursus Aristoteles existimauit Zenonem eius familiarem fuisse Dialecticæ auctorem. De Heraclito quoque quærebatur num non esset solùm Physicus, sed etiam moralis Philosophus. Atq; ii quidem sunt qui parti naturali præfuerunt. Eius autem quæ versatur in moribus solus curam gerebat Socrates, vt volunt quidam alii eius familiares. siquidem Xenophõ in suis de eius dictis & factis cõmentariis, disertis verbis dicit eum abnegasse naturæ contemplationem, vt quæ sit supra nos: soli autem morum vacasse inquisitioni, vt quæ

Philosophiæ quot sint partes.

Naturalẽ solam Philosophiæ partem quinam constituant.

Empedocles primus mouit Rhetoricã, vt vult Aristoteles.

ἀντίσεοφος, id est, ἰσόσεοφος.

ἀντίθεος, id est, Deo similis.

Zeno familiaris Parmenidis auctor Dialecticæ.

Socrates soli morali Philosophiæ dedit operam, teste Xenophonte.

quæ ad nos pertineat. Hoc nouit etiam Timon cùm dicit,

„ *Legifer ex illis verùm lapicida recessit.* εἰνομολέσχης.

nempe à Physicis ad morum contemplationem. Et ideo adiecit illud Legifer, vtpote quòd sit eius partis quæ pertinet ad mores, de legibus disserere. Nam Plato quidem ei tribuit omnem partem Philosophiæ. Logicæ quidem, quoniam ab eo introductus est quærens de definitionibus & diuisionibus & etymologia, quæ quidem sunt logica. Eius autem partis quæ versatur in moribus, quoniam disceptat de virtute & reip. administratione & legibus. Naturæ autem contemplationis, quoniam & de mundo & de ortu animalium & de anima est philosophatus. Hinc Timon reprehendit Platonem, quòd Socratem multis ita ornet disciplinis: Illum, inquit, quem haud voluit præclarus Plato manere, Morum disceptatorem. Videntur autem nonnulli quoq; esse in hac sententia, vt existiment Cyrenæos solùm amplecti eam partem quæ versatur in moribus, amandare autem naturæ contemplationem & logicam, vt quæ ad bene beateque viuẽdum nihil adiumenti afferant. Quanquam nonnulli eos euerti existimarunt, ex eo quòd eam partem quæ versatur in moribus, diuidant & in eam quæ tractat de eligendis & fugiendis, & in eam quę de animi perturbationibus, & præterea in eam quæ de actionibus, & etiam in eam quæ tractat de causis, & postremò in eam quæ de argumentis. In his enim eum locum qui tractat de causis, dicunt esse ex parte naturæ. Qui autem de argumentis, ex parte logicæ. Aristo quoque Chius non solùm, vt aiunt, recusabat naturalem & logicam contemplationem, propterea quòd inutilis & mala esset Philosophis, sed etiam eius partis quæ versatur in moribus conscripsit quosdã locos, nempe locum suasorium & admonitorium. eos enim cadere in nutrices & pædagogos: satis autem esse ad bene beateque viuendum orationem quæ virtuti coniungit redditque familiarem, alienat autẽ à vitio. in ea autem quæ sunt intermedia inuehitur, quorum permulti admiratione perculsi vitam agunt infelicem. Ad logicã autem delati sunt partem Panthœdes, & Euxenus, & Eubulides, & Brison, & Dionysodorus, & Euthydemus Thurii, quorum Plato quoque meminit in Euthydemo. Ex iis autem qui statuerunt Philosophiam habere duas partes, Xenophanes quidem Colophonius persecutus est, vt dicunt nonnulli, naturalem simul partem & logicam. Archelaus autem Atheniensis, & naturalem, & eam quæ versatur in moribus. Cum quo ponunt etiam nonnulli Epicurum, vt qui logicam expelleret

Plato tribuit Socrati omnẽ partem philosophiæ.

Cyrenæi non versantur in sola morali philosophia.

Aristo Chius solùm moralẽ tractauit philosophiam.

Logicã partem solã quinam tractarunt.

Naturalẽ et logicam quinã sunt persecuti.

Naturalẽ et moralem Archelaus tractauit.

Epicurus nō omnem logicam sed logicam Stoicorū recusauit.

lceret contemplationem. Alii autem fuerunt qui dicebant non eum communiter recusare logicam, sed solam logicam Stoicorum: adeò vt potestate relinquat tres partes habere Philosophiam. Refertur autem à quibusdam opinio, vt testatus est Sotion, de Cyrenæis, quòd dicant Philosophiæ esse partem aliquam quæ versatur in moribus, & aliam logicam. Cæterum istorum quidem esse videtur manca & non sufficiens diuisio: melius autem ac perfectius videntur diuisisse, qui dicunt Philosophiæ has esse partes: nempe aliam quidē esse quæ contemplatur naturam, aliam autem quæ versatur in considerandis moribus, aliam verò logicam. Quorum virtute quidem est Plato princeps, qui de multis naturalibus, multisque ad mores pertinentibus, & non paucis logicis disseruit, disertissimis autem & expressissimis verbis Xenocrates & Peripatetici. Præterea autem Stoici hanc sequuntur diuisionem. Hinc autem admodū probabiliter areæ, quæ fructus omne genus continet, assimilant Philosophiam, vt arborum quidem proceritati comparetur pars naturalis: fructuum autem matutitati & suauitati, pars quæ pertinet ad mores: parietum autem firmitati logica. Alii autem dicunt eam esse ouo similem. Nam vitello quidem, quem nonnulli dicunt esse pullum, similem esse eam quæ pertinet ad mores: albumini autem, quod est alimentum vitelli, partem naturalem: externæ autem testæ, logicam. Posidonius autem quoniam Philosophiæ partes sunt inter se inseparabiles, plantæ autem cernuntur aliæ à fructibus, & parietes separati sunt à plantis, maluit Philosophiam assimilare animali: sanguini quidem & carnibus partem naturalem: ossibus autem & neruis logicam: animæ autem, eam partem quæ pertinet ad mores. Cùm autem sint tres partes Philosophiæ, alii quidem statuunt primam partem eam quæ contemplatur naturā. Nam & tempore est antiquissima quæ in inuestiganda natura versatur contemplatio, adeò vt huc vsque qui primi sunt philosophati, vocentur Physici. Ordine autē, quoniam primùm oportet tractare de vniuersis, & tunc speciem & hominem considerare. Alii autem cœperunt ab iis quæ pertinent ad mores, vt quæ sint magis necessaria, & pertineant ad beatitudinem. Quamobrem præcipiebat quoque Socrates nihil aliud quærere, præterquam

Plato virtute ac potestate statuit, expreßè Xenocrates & Peripatetici.

Tres Philosophiæ partes

Philosophiæ tres sunt partes.

Philosophia aßimilatur areæ.

τοίχος.

Philosophia ouo similis.

Philosophia similis animali, vt vult Posidonius.

Philosophiæ trium partium quænam sit prima.

ἐπιστώταρ.

„ *Quod sit in ædibus, illud sítne bonúmne,*
„ *An'ne malum.*

Epicurei initium sumunt à logicis.

Èpicurei autem initiū sumunt à logicis. Nam considerant primùm regularia, & exponunt ea quæ sunt euidentia, & quæ sunt incerta & obscura.

obſcura. Stoici autem dicunt ipſi quoque primum locum tenere logica: ſecundum autem ea quæ pertinent ad mores: poſtremo autem collocata eſſe naturalia. Nam primùm oportet mentem eſſe munitam ad ea quæ traduntur ita cuſtodienda vt difficiliter excuti poſſint: locum autem dialecticum eſſe mentis firmamentum: ſecundo autẽ loco deſcribere morum contemplationem ad eos corrigendos. eà enim tutò ſuſcipitur, cùm prius ſubiecta fuerit vis logica. Inducere autem poſtremam naturæ contemplationem: eſt enim diuinior, & profundiori opus habet attentione. Atque hæc quidem iſti. Nos autem in præſentia rem quidem exactè & accuratè minimè conſideramus: illud autem dicimus, quòd ſi verũ quærendum eſt in omni parte Philoſophiæ, oportet ante omnia habere principia, & eius diſcernendi modos habere fide dignos. Locus autẽ logicus cõntinet contemplationem eorum per quæ poſſumus iudicare, & demonſtrationum. Ab eo ergo nobis ſumendum eſt initium. Et vt certa via procedat quæſtio aduerſus Dogmaticos, quoniam euidentia quidem videntur ex ſe cognoſci per aliquid quod iudicat, incerta autem & obſcura inueſtigari per ſigna & demonſtrationes: tranſeundo ab euidentibus, ordine conſideremus, Primùm an ſit aliquid quod iudicet, ex iis quæ cadunt ſub ſenſum aut cogitationem. Poſtea autem, an ſit modus aliquis qui ſignificet & demõſtret ea quæ ſunt incerta & obſcura. Exiſtimo enim quòd ſi hæc ſint ſublata, nulla amplius relinquetur quæſtio, oporteátne ſuſtinere aſſenſionem, cùm neq; in euidentibus, neque in incertis & obſcuris inueniatur veri aliquid. Incipiat ergo oratio de eo quod iudicat: quoniã videtur continere omnes modos comprehenſionis.

Stoici primũ locum dicunt tenere logica.

Logica eſt prima pars Philoſophiæ, quia oportet ante omnia habere principia.

An ſit aliquid quo iudicetur veritas.

De inquiſitione eius quod iudicat, apud omnes eſt magna decertatio: non ſolùm propterea quòd homo ſit animal natura amans veritatis, ſed etiam propterea quòd ſummas conſtituat ſectas Philoſophiæ de iis quæ ſunt præcipua. Aut enim magnificam Dogmaticorum gloriationem penitus tolli oportebit, ſi nulla inueniatur regula qua ſciatur ſínt ne res reuera: aut contrà, tãquam temerarios conuinci Scepticos, vt qui auſi ſint communi repugnare fidei, ſi appareat aliquid quod nos poſſit deducere ad comprehendẽdam veritatem. Eſt enim miſerum ſi omni ſtudio quæramus ea quæ extrui ſecus iudicãt, vt regulas, & circinos, lanceſque & trutinas: quod autem eſt in nobis,

bis, idque cùm ipsi probandi simus, prætermittamus. Ordine ergo, vtpote quòd de vniuersis sit consideratio, aggredientes, quoniam in propositionem ingrediūtur duæ partes, nempe & id quod iudicat, & veritas, vicissim de his vtrisque verba faciemus, aliquando quidē exponendo ostēdentes quot modis dicatur id quod iudicat & veritas, & quámnam ex Dogmaticorum sententia habeat naturam: aliquando autem etiam dubitantius considerantes, an possit esse horum aliquid. Iam enim id quod iudicat (est enim ab eo incipiendum) dicitur primum bifariam.

Indicatorium duplex.

Vno quidem modo, id quod attendentes alia quidem esse dicimus, alia autem non esse: & hæc quidem esse vera, illa verò falsa. Quorum prius quidem exposuimus in libris De ratione Sceptica. Necessariò enim oportebat eum qui dubitando philosophatur, cùm non sit absolutè remotus ab omni operatione, & otiosus in vitę actionibus, habere aliquid quo iudicet quid sit eligendum quid fugiēdum: nempe id quod apparet, seu visum: sicut Timon quoque testatus est dicens,

„ *Omni vi visum quocunque est venerit ipsum.*

Indicatorium de essentia dicitur tribus modis.

Alterum verò, dico autem de essentia, & de quo nunc consideramus, videtur dici tribus modis: nempe cōmuniter, & propriè, & maximè propriè. Nam communiter quidē dicitur quæuis mensura comprehensionis. In quo significato ea etiam quæ naturaliter iudicant, sortita sunt hanc appellationem, vt visus, auditus, gustus. Propriè autem quæuis artificiosa mensura comprehensionis. In quo cubitū quidem & stateram & regulam & circinum dixerimus esse quę iudicant, quatenus sunt artificiosa: visum autem & auditum, & vt semel dicam, reliqua communia instrumentorum sensuum, minimè. Magis propriè autem, quamuis mensuram comprehensionis rei incertæ & non euidentis. In quo significato, ea quæ ad vitam agendam pertinent, non amplius dicūtur ea quæ iudicant, sed sola logica, & quę ad inueniendam veritatem adducunt Philosophi dogmatici. Cùm autem multis modis dicatur id quod iudicat, rursus proponitur considerandum, in primis quidem de logico, & quod vulgò iactatur apud Philosophos: ex consequentia autem etiam de vnoquoque eorum quæ sunt in vita.

Indicatorium logicum tribus modis dicitur.

Licet autem hoc quoque logicum subdiuidere, dicendo ex iis quę iudicant aliud quidem esse vt à quo, aliud autem vt per quod, tertiū autem vt applicationem & habitudinem. A quo quidem, vt homo. Per quod autem, vt sensus. Tertium autem, vt phantasiæ seu visionis applicatio. Nam quomodo in examinandis grauibus & leuibus tria sunt

ſunt quæ iudicant,libripens,& libra,& libræ poſitura.Eorum autem, libripens quidem eſt iudex à quo: libra autem iudex per quem:libræ autem poſitura,tanquam habitudo.Et rurſus quomodo ad diſcernen dũ recta & obliqua, opus eſt artifice, & regula, & eius applicatione: eodem modo etiã in Philoſophia opus habemus tribus prius dictis iudicibus ad dignoſcenda vera & falſa. Et libripendi quidem aut fabro ſimilis eſt homo à quo fit iudicium: libræ autem & regulæ, ſenſus & cogitatio,per quam fit iudicium:habitudini autem prius dictorum inſtrumentorum, applicatio phantaſiæ per quam homo accedit ad iudicandum. Atque de eo quidem quod iudicat neceſſe erat hæc præmittere. Veritatem autem nonnulli opinantur, & maximè Stoici, à vero differre tribus modis:nempe eſſentia,conſtitutione,& virtute. Eſſentia quidem,quatenus veritas eſt corpus: verum autem eſt incorporeum. Et meritò,inquiunt.Nam hoc quidem eſt axioma,ſeu pronunciatum. axioma autem eſt id quod dicitur. quod dicitur autẽ eſt incorporeum.Contrà autem veritas eſt corpus,quatenus ſcientia videtur omnium verorum eſſe enũtiatiua. Omnis autem ſcientia eſt aliquo modo ſe habens pars tenens animæ principatum: quomodo etiam aliquo modo ſe habens manus intelligitur pugnus. Principatum autem tenens pars animæ, eſt corpus,ex iſtorum ſententia. Erit ergo veritas in genere corporea. Cõſtitutione autem, quatenus verum quidem intelligitur vt vniforme quidpiam & ſimplex natura: vt in præſentia illud, Dies eſt,&,Ego diſſero. Veritas autem quæ eſt vt ſcientia,exiſtimatur eſſe ex multis conſiſtens, & quędam ex pluribus congeries. Qua ergo ratione aliud eſt populus,& aliud ciuis: & populus quidem eſt multitudo collecta ex multis ciuibus, ciuis autem vnus:eadem ratione veritas differt à vero. Et aſſimilatur quidem veritas populo, verum autem ciui, propterea quòd veritas quidem eſt ex multis conſiſtens & collecta,verum autem fit ſimplex. Poteſtate autem ſunt hæc inter ſe ſeparata:quoniam verum quidem non omnino adhæret veritati. Nam ſtultus & infans & inſanus aliquando quidem dicit aliquid veri,non habet tamen veri ſcientiam. Veritas autẽ conſiderat ex ſcientia. Quo fit vt qui eam habeat,ſit ſapiens. Habet enim verorum ſcientiam, & nunquam fallit ac mentitur, etiamſi falſum dicat, eo quòd non ex mala ſed ex bona hoc proferat affectione.Quomodo enim Medicus qui aliquid falſi dicit de ægroti ſalute, & pollicetur ſe aliquid daturum,non dat tamen,aliquid quidem falſi dicit,non tamen fallit aut mentitur:(id enim refertur ad ſalutem eius

Tria indicatoria rerũ quæ ponderantur.

Recta et obliqua quomodo iudicentur.

Veritas in quo differat à vero.

Veritas eſt corpus.

Verum eſt incorporeum.

λεκτόν.

Verũ eſt vniforme & ſimplex natura.

Veritas eſt vt ſcientia, et conſtat ex multis.

Veritas aſſimilatur populo, verum ciui.

Verum dicere nõ ſemper adhæret veritati.

Veritas rem conſiderat ex ſcientia.

Sapiens nunquã fallit etiã ſi falſum dicat.

Medicus falſum dicit quandoque, non tamen fallit aut mentitur.

Imperator falsum dicit, nec tamen fallit aut mentitur.

cuius curam gerit.) Et quomodo præstantissimi imperatores, ad consolandos qui sub eis mœrent milites, sæpe ex sociis ciuitatibus confictis literis, falsum quidem dicunt, non autem fallunt ac mentiuntur, (propterea quòd hoc malo animo non faciât.) & quomodo Grammaticus ponens exemplum solœcismi, solœcismum profert, nec tamen solœcismum admittit, (non enim hoc ei vsuuenit ob ignorationem rectæ orationis: (ita etiã sapiens, hoc est qui veri habet scientiam, aliquando quidem dicet falsum, nunquam autem fallet & mentietur, propterea quòd non habeat mentem falso assentiẽtem. Nam quòd, inquiunt, ab affectione, & non à sola prolatione iudicandũ sit id quod falsò dicitur, intelligi potest ex subiiciendis exemplis. Dicitur enim τυμβώρυχος, id est effossor sepulchrorum, & qui hoc facit ad spoliandos mortuos, & qui mortuis fodit sepulchra. Sed prior quidem punitur, vt qui hoc agat mala affectione: secundus autem etiam mercedem accipit suæ operæ ac ministerij, propter causam quę alteri causæ aduersatur. Est ergo manifestum, quòd falsum quoque dicere, multum differt ab eo quod est esse fallacem ac mentiri: quandoquidem hoc fit bono animo: fallacem autẽ esse & mentiri, malo. His de veritate ex aliquorum sententia explicatis, consideremus dissidiũ quod est inter dogmaticos Philosophos de eo quod iudicat. Necesse est enim vt qui de eius considerant essentia, simul etiam contemplentur quòd sit. Atque multæ quidem & variæ ferũtur in modo diuisiones. Sed nobis in præsentia satis est dicere, quòd alij quidem sustulerunt id quod iudicat, alij verò reliquerunt. Et eorum qui reliquerunt tres sunt supremæ sectæ. Nam alij quidem id reliquerunt in ratione, alii verò in operationibus expertibus rationis, alii autem in vtrisque.

Grammaticus ponens exemplũ solœcismi, solœcismum nõ admittit.

Ex affectione non autẽ prolatione iudicãdum est quod falsò dicitur.

Falsum esse et fallere ac mentiri differunt.

De indicatorio sunt Philosophorum magnæ dissensiones.

Iudicatorium quinam Philosophi sustulerint.

Et sustulerunt quidem Xenophanes Colophonius, & Xeniades Corinthius, & Anacharsis Scytha, & Protagoras, & Dionysidorus, & præter eos Gorgias Leontinus, & Metrodorus Chius, & Anaxarchus Eudæmonicus, & Monimus Canis. In his autẽ sunt etiam Sceptici: ex quibus Xenophanes quidem, qui dixit ex aliquorum sententia esse omnia incomprehensibilia, est in hac opinione, cùm scribit,

Xenophanes sentit omnia esse incomprehẽsibilia.

„ *Nemo virorum illud conspexit quod sit apertum:*
„ *De diis nemo, aliis quæcunque & dico, videbit.*
„ *Nam sint facta licet quæ ab eo prædicta fuere,*
„ *Ille tamen nescit, cunctis & opinio in his est.*

Apertum, id est verum & notum.

Per hæc enim, apertum quidem videtur dicere verum & notum, sicut dicitur, Veritatis simplex est oratio. Virum autem, hominẽ, vtens

specie

ſpecie pro genere: eſt enim vir ſpecies hominis. Solet autem etiam Hippocrates vti hoc modo loquendi: vt cùm dicit, Mulier non eſt dextera, hoc eſt, Non conſiſtit fœmina in dexreris partibus matricis. De diis autem, exempli loco dixit de aliquo obſcuro. Opinionem autem pro exiſtimatione. Quo fit vt quod ab eo dicitur, ſi explicetur ſit eiuſmodi. Quod verum quidem eſt, & notum nullus homo nouit: quanto minus id quod eſt ex obſcuris? Nam etſi forte fortuna quiſpiam hoc aſſequatur, neſcit tamen ſe id eſſe aſſecutum, ſed putat & opinatur. Quomodo enim ſi in domo tenebricoſa, in qua multa ſunt pretioſa, poſuerimus aurum quærentes ab eo excidere, ptopterea quòd vnuſquiſque eorum, accepto aliquo ex iis quæ ſita ſunt in ædibus, exiſtimabit ſe aurum apprehendiſſe: nemo aurem eorum habebit perſuaſum quòd in aurum inciderit, etiamſi re vera incidat: ita etiam in hunc mundum veluti in quandam magnam domum, acceſſit multitudo Philoſophorum, ad quærendam veritatem: quam qui acceperit, eſt veriſimile eum non credere quòd rectè cōiecerit. Is quidē certè non dicit eſſe aliquid quo iudicetur veritas, proptetea quòd in eorum quæ ſunt natura nihil poſſit comprehēdi. Xeniades autem Corinrhius, cuius etiā meminit Democritus, cùm omnia dixerit eſſe falſa, & omne viſum & omnem opinionem eſſe fallacem: & ex eo quod nō eſt, fieri & oriri quidquid eſt; & quidquid interit, in id quod non eſt interire, eſt poteſtate in eodem ſtatu quo Xenocrates. Nam cùm non ſit aliquod verum ad diffetentiam falſi, ſed ſint omnia falſa, & ideo non poſſint comprehendi: nec erit aliquid iudicans quod ea diſcernat. Quòd autem omnia ſint falſa, & ideo non poſſint comprehendi, nec aliquid iudicans quod ea diſcernat, oſtenditut ex accuſatione ſenſuum. Nam ſi illud ſummū quod res omnes iudicat, eſt falſum, neceſſariò erunt res omnes falſæ. Summū autem quod res omnes iudicat, ſunt ſenſus: & omnes oſtenduntur fallaces. Omnes etgo res ſunt falſæ. Anacharſis quoque Scytha, vt aiunt, tollit comprehenſionem quæ omnem artem iudicet: & valde reprehēdit Græcos, qui
„ eam recipiunt. Quis eſt enim, inquit, qui aliquid iudicat artificioſè.
„ imperitus ne, an artifex? Sed imperitum quidem nō dicent: eſt enim
„ imperitus orbus ad cognitionem proprieratum artificialiū. & quo-
„ modo neque cæcus accipit videndi munus, neque ſurdus audiendi:
„ ita nec qui caret arte, acutè videt ad comprehendendum id quod eſt
„ effectum artificioſé. Nam ſi ei quoq; tribuamus artificioſæ alicuius
„ rei iudicium, ab arte non differet inertia. quod quidem eſt abſurdū.

Hippocratis modus loquendi.

Δόκος.

Philoſophorū nemo ſcit ſe veritatem apprehendiſſe.

Xeniades Corinthius dicebat omnia eſſe falſa, & omne viſum & omnem opinionē fallacem.

Senſus ſunt fallaces.

Anacharſis Scytha tollit omnem comprehenſionem.

Qui iudicat artificioſè, nec eſt imperitus, nec artifex.

» Quamobrem imperitus non est iudex proprietatum artificialium. » Restat ergo vt dicant artificem. quod rursus minimè est probabile. » Aut enim qui est eiusdem artis æmulator, alterum qui eandem artem » æmulatur, iudicat: aut qui non eandem æmulatur artem, alterum qui » diuersam. Sed qui est diuersæ artis, fieri non potest vt eũ iudicet qui » est diuersæ. Suam enim nouit artem, est autem imperitus alienæ. Sed » nec qui est æmulator eiusdem artis, potest probare eum qui eandem » æmulatur. Nam hoc ipsum quærebamus quisnam sit qui eos iudicet, » vt qui, quod ad artem attinet, eandem vim habeant & facultatem. Et » alioqui si iste illum iudicat, fiet idem & quod iudicat & quod iudica- » tur, & fide dignum & non fide dignum. Nam quatenus quidem al- » ter ex iis qui iudicantur, eandem artem æmulatur, cùm ipse quoque » iudicetur, non erit fide dignus. Quatenus autem iudicat, erit fide di- » gnus. Non potest autem fieri, vt idem sit id quod iudicat & id quod » iudicatur, & fide dignum & non fide dignum. Non est ergo vllus qui » artificiosè iudicet. Et propterea non est aliquid quod iudicet. Eorũ » enim quæ iudicant, alia quidem sunt artificiosa, alia verò sunt rudia » & imperita. Sed nec quæ sunt rudia & imperita iudicant, vt nec qui » est rudis & imperitus: nec artificiosa, vt nec artifex, propter prius di- ctas causas. Nihil est ergo quod iudicet.

Protagoras Abderitanus verum esse dicebat id quod cuilibet videbatur.

Protagoram quoque Abderitanum nonnulli retulerunt in numerum Philosophorum qui tollũt id quod iudicat. Dicit enim omnes visiones & opiniones esse veras, & veritatem esse ex iis quæ referũtur ad aliquid: propterea quòd quidquid alicui apparuerit aut visum fuerit, statim sit, relatum ad illum.

καταβαλλόντων.

Homo est mẽsura rerum omnium.

A fundamentis quidem certè incipiens, exclamauit, Mensura omnium rerum est homo: eorum quidem quę sunt, quòd sint: eorum verò quæ non sunt, quòd non sint. Videturque ei adstipulari quæ aduersatur oratio. Nam si quis dicat hominem nõ esse id quod res omnes iudicat: ipse quidem certè qui hoc dicit, homo est: & vt quod ad se refertur ponens visum, fatetur hoc ipsum quoq; vt quod ad se referatur esse visum. Quamobrem & furiosus est fide dignus iudex eorum quæ videntur in furore: & qui dormit, eorum quæ videntur in somnis: & infans, eorum quæ in infantia: & senex, eorum quæ occurrunt in senectute. Nec conuenit ex differentibus circunstantiis infirmare & abolere differentes circunstantias: nempe ex iis quidem quę occurrunt dum est aliquis sanæ mentis, ea quæ vidẽtur dum furit: ex iis autem quæ obuersantur vigilantibus, ea quæ videntur in somnis: ex iis autem quæ in senectute, ea quæ in infantia. Nã quomodo ea-

dem

dem illis non videntur, ita etiam contrà, ea quæ his videntur, illis minimè occurrunt. Quamobrem si quia furore percitus, aut dormiens in certa cernit affectione, non est verus ac certus iudex eorum quæ ipsi videntur: is quoque qui est sanæ mentis, & qui vigilat, in certa affectione rursus non erit fide dignus ad ea discernenda, quę illi occurrunt & obuersantur. Cùm ergo nihil sumatur absque circunstantia, credendum est vnicuiq; eorum quæ sumuntur ex propria circunstantia. Et hoc existimarunt quidam eum mouere id quod iudicat, quoniam eo vult probari ea quæ per se ponuntur, & verum & falsum distinguere. Vir autem ille de quo prius diximus, neque aliquid quod per se sit, neque falsum reliquit. Eiusmodi autẽ fuisse dicuntur & Euthydemus & Dionysidorus. Nam ii quoq; id quod est & verum reliquerunt ex iis quæ referuntur ad aliquid. Gorgias autem Leontinus fuit ipse quoque ex ordine eorum qui sustulerũt id quod iudicat, sed non ea ratione ac via qua Protagoras. Nam in libro qui inscribitur, De eo quod non est, aut De natura, tria ordine constituit capita. Vnũ quidem & primum, quòd nihil sit: secundum autem, quòd etsi sit, ab homine non possit comprehendi: tertium, quòd etsi possit comprehendi, enuntiari tamen & explicari non possit proximo. Atque quòd nihil quidem sit, hoc modo ratiocinatur. Nam si est, aut est id quod est, aut id quod non est, aut etiam id quod est, & id quod non est. Sed neque est id quod est, vt ostẽdet: neque id quod non est, vt exponet: neque quod est & non est, vt hoc quoque docebit. Non est ergo aliquid. Atq; id quidem quod non est, non est. Si enim est id quod non est, erit aliquid simul & non erit. Nam quatenus quidem non esse intelligitur, non erit. Quatenus autem non esse, rursus erit. Est autem planè absurdum, quòd aliquid simul sit & non sit. Non est ergo id quod non est. Et alioqui si est id quod non est, non erit id quod est. sunt enim hæc inter se contraria. Et si ei quod non est, vt sit accidit, ei quòd est, accidet vt non sit. Minimè autem non est id quod est: neque erit id quod non est. Porrò autem nec est id quod est. Nam si est id quod est, aut est æternum aut ortum: aut simul æternum & ortum. Sed neque est æternum nec ortum, neque vtrunque, vt ostendemus. Non est ergo id quod est. Nam si id quod est, est æternũ (hinc enim est incipiendum) non habet aliquod principiũ. Quidquid enim oritur, habet aliquod principium. Æternum autem cùm sit eiusmodi vt non sit ortum, non habuit principium. Non habens autem principium, est infinitum. Si est autem infinitum, nusquam est. Nam si est

Euthydemus et Dionysidorus id quod est verum dicunt esse ex iis quæ referuntur ad aliquid.

Gorgias Leontinus quomodo tollat iudicatorium.

Nil esse quomodo probetur.

alicubi, diuersum erit ab eo illud quod est in quo est. & sic non erit vtique infinitum id quod continetur in aliquo. Infinito autem nihil est maius. Quamobrem nusquam est infinitum. Sed neq; in ipso continetur. idem enim erit id in quo est, & quod in ipso est: & duo fient id quod est, nempe locus & corpus. Nam id quidem in quo est, est locus. Quod autem in ipso est, est corpus. hoc autem est absurdum. Ergo nec in ipso est id quod est. Quare si id quod est, est æternũ, est infinitum. Si est autem infinitũ, nusquam est. Si autem nusquam est, non est. Si ergo id quod est, est æternum, neque omnino est. Sed nec ortum esse potest id quod est. Si enim ortum est, aut ex eo quod est ortum est, aut ex eo quod non est. Sed neque ex eo quod est, ortũ est. Si enim est id quod est, non ortum est, sed iam est. Neq; ex eo quod non est. Nam quod non est, nec potest quidem aliquid gignere: propterea quòd id quod aliquid gignit, debet necessariò esse particeps essentiæ. Ergo nec ortum est id quod est. Itidem autem nec vtrunq; simul, æternum simul & ortum. ea enim se alterum alterum perimũt: & si id quod est, est æternum, non est ortum: & si ortum est, non est æternum. Si ergo neque est æternum id quod est, neque ortum, nec vtrunque, non est id quod est. Et alioqui si est, aut est vnum, aut plura. Sed nec est vnũ, neq; plura, vt ostendetur. Non est ergo id quod est. Nam si est, aut est quantum, aut continuũ, aut est magnitudo, aut corpus. Quodcunque autem horum fuerit, non est vnum. Sed si sit quidem quantum, diuidetur: si sit autem continuum, scindetur. Similiter autem si intelligatur magnitudo, non erit indiuiduum. Si sit autem corpus, erit triplex: habebit enim longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Absurdum est autem dicere id quod est nihil esse ex his. Non est ergo vnum id quod est. Sed nec est multa. Si enim non est vnum, nec est multa. Multa enim sunt, eorũ quæ sunt ex vno compositio. Quamobrem si vnum tollatur, tolluntur quoq; multa. Atq; quòd non sit quidem id quod est, neque sit id quod non est, ex his est perspicuum. Quòd autem nec vtraq; sint id quod est, & id quod non est, facilè potest ratione colligi. Si enim est id quod non est, & est id quod est, idem erit id quod est, & id quod nõ est: quod attinet ad essentiam: & propterea neutrũ est eorum. Quòd enim non sit id quod non est, constat: ostẽsum est autem hoc ipsum esse id quod est. Ergo ipsum quoque non erit. Verũenimuero si id quod est, idem est quod id quod non est, non possunt esse vtraque. Si enim vtraq;, non idem. Et si idem, non vtraque. Quibus est consequens vt nihil sit. Si enim

neque

neque est id quod est, neque id quod non est, neque vtraque: præter hæc autem nihil intelligitur, nihil est. Quòd autẽ etiamsi sit aliquid, hoc est homini ignotum & inexcogitabile, deinceps est ostendendum.

Si est aliquid, id ab homine non potest cogitari.

Si enim quæ cogitantur non sunt ea quæ sunt, inquit Gorgias, id quod est non cogitatur. idque est rationi consentaneũ. Quomodo enim si iis quæ cogitantur, accidit vt sint alba, acciderit etiam albis vt cogitentur: ita etiam si acciderit iis quæ cogitantur, vt non sint ea quæ sunt, necessariò accidet iis quę sunt, vt non cogitentur. Est ergo hoc rectum & seruans consequentiam, Si quę cogitantur, nõ sunt ea quæ sunt, id quod est nõ cogitatur. Quæ autem cogitantur (prius enim sumendum est) non sunt, vt ostendemus. Non ergo cogitatur id quod est.

Quæ cogitantur, non sunt ea quæ sunt.

Quòd autem quæ cogitantur non sint ea quæ sunt, est perspicuum. Si enim quæ cogitãtur sunt ea quæ sunt, sunt omnia quæ cogitantur, & quacunque ratione ea quispiam cogitauerit. quod quidem est absurdum. Si est autem, stultum. Neque enim si cogitauerit quisquam hominem volantem, aut currus currentes in mari, statim homo volat, aut currus currunt in mari. Quamobrem non ea quę cogitantur sunt ea quæ sunt. Præterea si quæ cogitantur sunt ea quæ sunt, quæ non sunt non cogitabuntur. Contrariis enim accidunt contraria. Ei autem quod est, contrariũ est id quod non est. Et ideo omnino si ei quod est accidit vt cogitetur, ei quod non est accidet vt nõ cogitetur. est autem hoc absurdum. Nam & Scylla, & Chimæra, & multa ex iis quæ non sunt, cogitantur. Et quomodo quæ spectantur, propterea dicuntur aspectabilia quoniã spectantur, & audibilia propterea sunt audibilia quòd audiantur, audibilia autem amandamus, quoniam non videntur (vnumquodque enim debet iudicari à proprio sensu, non autem ab alio) ita etiam quæ cogitantur, etiamsi non cernantur oculis, nec auribus audiantur, erunt, quoniam sumuntur ab eo quod illa propriè iudicat. Si ergo cogitat quispiam currus in mari currere, etiamsi eos non videat, debet credere quòd sint currus currentes in mari. est autem hoc absurdum. Non ergo cogitatur & comprehenditur id quod est.

Quæ comprehenduntur, nõ possunt alteri enuntiari.

Quod si etiam comprehendatur, alteri non potest proferri & enuntiari. Si enim quæ sunt, sunt aspectabilia, & audibilia, & communiter sensilia, quæ subiecta sunt extrinsecùs: & ex iis illa quidem quæ sunt aspectabilia, aspectu possunt comprehendi: audibilia autem auditu, & non cõtrà: quomodo ergo possunt ea alteri significari? Qua enim significamus est oratio. Oratio autem non est ea quæ sunt subiecta & quæ sunt. Non ergo ea quæ sunt pro-

ximis

ximis significamus, sed orationem, quæ est diuersa à subiectis. Quomodo ergo aspectabile non est audibile, nec contrà: ita quoniam id quod est subiicitur extrinsecus, id non erit nostra oratio. Si non sit autem oratio, non poterit alteri significari. Constat autem, inquit, oratio ex iis rebus quæ nobis incurrunt extrinsecus, hoc est, ex sensilibus. Ex chyli enim humorísve incursione nobis ingeneratur quæ de ea qualitate profertur oratio: & ex coloris incursione, quæ de colore dicitur. Quod si ita est, non adducit oratio id quod est extrinsecus, sed id quod est extrinsecus, significat & indicat orationē. Sed nec dici potest, quòd quomodo subiecta sunt aspectabilia & audibilia, ita etiam oratio, vt ex ipso subiecto & quod est, possint subiecta & quæ sunt significari. Nam etsi, inquit, subiecta est oratio, attamen differt à reliquis subiectis: & ab orationibus plurimùm differūt corpora aspectabilia. Nam per aliud instrumentum comprehenditur aspectabile, & per aliud oratio. Multa ergo ex subiectis non indicat oratio, quomodo nec illa inter se suam indicant naturam. Cùm hæc ergo sint à Gorgia addubitata, quod ad ea attinet, perit id quod iudicat veritatem. Nam cùm hoc nec sit, nec cognosci possit, nec alij adiici, non est quod iudicet. Non fuerunt autem pauci, vt prius dixi, qui & Metrodorum & Anaxarchum, & præterea Monimum dixerint sustulisse id quod iudicat. Et Metrodorum quidem, quoniam dixerit nos nihil scire, & nec hoc ipsum quidem scire quòd nihil sciamus. Anaxarchū autem & Monimum, quoniam ea quæ sunt assimilarunt σκιαγραφίᾳ, id est adumbratæ picturæ, & existimarunt ea esse similia iis quæ incurrunt in somno aut furore. Cæterum isti quidem certum aliquem habuere statum: Primi autem qui à Thalete prodiere Physici, visi sunt introducere σκέψιν, id est cōsiderationem De eo quod iudicat. Nam cùm sensum damnassent vt qui in multis non esset fide dignus, veritatis in rebus iudicem constituêre rationem. A qua incitati, statuerūt de principiis, & elementis, & aliis: quorum comprehensio accedit per eius virtutem. Hinc in Physicis quidem diligentissimus Anaxagoras, sensus tanquam imbecillos vituperās, » Propter eorum, inquit, » debilitatem, non possumus verum iudicare. » Quòd autem ii sint infideles, fidem facit ex eo quòd paulatim mutentur colores. Nā si duos acceperimus colores, nigrum & album: deinde ex altero in alterum guttatim effuderimus, nō poterit visus discernere quę paulatim fiunt mutationes, etiamsi sint ad naturam subiectæ. Hac autem ratione videtur vi quoque ac potestate visus esse Asclepiades in primo De vini

Oratio cōstat ex iis quæ nobis incurrunt, id est, ex sensilibus.

Monimus dicebat nos ne scire quidē nos nihil scire.

Anaxarchus & Monimus res quæ sunt assimilant adumbratæ picturæ.

Thales primus introduxit σκέψιν, id est considerationem in iudicatorio.

Anaxagoras in Physicis diligentissimus.

Sensus nō esse fide dignos quomodo probetur.

datione, vbi ſtat in fuluo & nigro. His enim miſtis, ſenſum dicit non poſſe diſcernere, ſítne ſubiectus vnus color & ſimplex, an non. Quare Anaxagoras quidem communiter dixit rationem eſſe id quod iudicat. Pythagorici autem rationem quidem dicunt, ſed non communiter, verùm eam quæ accedit à diſciplinis, quomodo dicebat etiam Philolaus: & cùm ſit vniuerſorum naturę contẽplatrix, habere quandam cum ea cognationem, cùm ſit natura comparatũ vt ſimile comprehendatur à ſimili.

,, *Nos certè terra terram conſpeximus, vnda*
,, *Vndam, diuino aëreque aëra: vidimus igne*
,, *Claro ignem. lis lite, amor eſt conſpectus amore.*

Et quomodo lux quidem, inquit Poſidonius Platonis Timeum explicans, comprehenditur à viſu, qui habet ſpeciem lucis: vox autem ab auditu, qui habet ſpeciem aëris: ita etiam vniuerſorum natura debet comprehendi à ratione quæ eſt ei coniuncta cognatione. eſt autem principium vniuerſorum ſubſtantiæ, numerus. Quamobrem ratio iudex vniuerſorum, cùm non ſit expers eius virtutis, vocari poſſet numerus. Et hoc ſignificantes Pythagorici aliquando quidem dicere conſueuerunt, SVNT autẽ numero omnia ſimilia. aliquando autem dicunt iuraſſe ſacramentum omnium maximè naturale,

,, *Non per eum à quo animæ datus ille quaternio noſtræ,*
,, *Naturæ æternæ à quo fons radixque profecta eſt.*

Eum enim in Deum referebant: quaternionẽ autem numerum quendam, qui conſtans ex primis numeris, perfectiſsimum efficiebat numerum, ſicut decem. Vnum enim & duo & tria & quatuor, ſunt decẽ. & eſt hic numerus primus quaternio. Dictus eſt autem fons æternæ naturę, quandoquidem ex eorum ſententia vniuerſus mundus adminiſtratur per harmoniam. Harmonia autem eſt ſyſtema, conſtans ex tribus conſonantiis, Dia teſſaron & Dia pente & Dia paſon. Harum autem trium conſonantiarũ proportiones inueniuntur in prius dictis quatuor numeris, nempe in vno & duobus, & in tribus & quatuor. Nam conſonantia quidẽ Dia teſſaron, ſita eſt in ratione ſeſquitertia: conſonantia autem Dia pente, in ſeſquialtero: conſonantia autẽ Dia paſon, in duplo. Vnde quatuor quidem numerus qui eſt trium ſeſquitertius, quoniam conſtat ex eo & tertia eius parte, continet conſonantiam Dia teſſaron. Tria autem cùm ſit numerus duorum ſeſquitertius, quandoquidem continet ipſum & eius dimidiũ, indicat conſonantiam Dia pente. Quatuor autem qui eſt duplus vnitatis duorũ,

Aſclepiades de fuluo et nigro quid dicat.

Rationẽ eſſe quæ iudicat, dicit Anaxagoras.

Rationẽ quæ accedit à diſciplinis, eſſe iudicatorium dicũt Pythagorei et Philolaus.

Ratio habet quandam cum natura cognationem.

Simile cõprehenditur à ſimili.

Viſus habet ſpeciem lucis.

Vox habet ſpeciem aëris.

Numerus principium ſubſtantiæ vniuerſorum.

Quaternio numerus perfectiſsimus.

Decem, primus quaternio.

Mundus adminiſtratur harmonia.

Harmonia quid ſit.

Conſonantiæ in quatuor numeris.

Quaternio cur dictus à Pythagora radix & fons æternæ naturæ.

Ex numerorũ quatuor rationibus intelligitur & corpus & incorporeum.

comprehendit consonantiam Dia pason. Quoniam ergo quaternio subministrat proportionem dictarum consonantiarum: consonantię autem complent perfectam harmoniam: perfecta autem harmonia administrantur omnia: ea de causa eum dixerunt esse fontem & radicem æternæ naturæ. Et alioqui, quoniam ex rationibus horum quatuor numerorum intelligitur & corpus & incorporeum, ex quibus sunt omnia. Nam si fluxerit punctus, visione lineam apprehẽdimus, quæ est longitudo carens latitudine. Si fluxerit autem linea, facimus latitudinem, quæ est quædam superficies carens profunditate. Si autem fluxerit superficies, fit corpus solidum. Sed in puncto quidẽ est vnitas, vt quæ sit indiuidua sicut punctus. In linea autem binarius. vnde adest linea, nempe à signo in signum. & rursus ab hoc ad aliud signum. In solido autem corpore quaternarius. Nam si super quatuor signa quartum in altum extulerimus, fit pyramis, quæ quidem est primum corpus solidæ figuræ. Rationi ergo conueniẽter quaternio est fons naturæ vniuersorum. Et alioqui quidquid, inquiunt, ab homine comprehẽditur, aut est corpus, aut incorporeum. Siue autem sit corpus, siue incorporeum, non comprehenditur absque numerorum notione. Corpus quidem quoniam trium interuallorum habet dimensiones, ternarium enuntiat numerum. Quoniam autem ex corporibus alia quidem sunt ex iis quæ coniunguntur ac committuntur, vt naues, & catenæ, & turriculæ. Alia autem ex vnitis, quæ ex vno habitu continentur, vt plantæ, & animalia. Alia autem ex distantibus ac discretis, vt chori, & exercitus, & greges. Sed siue constent ex iis quę committuntur, siue ex vnitis, siue ex discretis, habent numeros, quoniam constant ex pluribus. Præterea ex corporibus alia quidem in simplicibus sita sunt qualitatibus, alia autem in multis simul cõgestis: vt pomum. Nam & varium habet colorem ad visum: & succum ad gustum: & odorem ad odoratum: & lenitatem ad tactum. quæ quidẽ sunt naturæ numerorum. Eadem autem est ratio etiam in incorporeis. siquidem & tempus incorporeum, numero comprehenditur, vt est euidens ex annis & mensibus & diebus & horis. Similiter autem & punctus, & linea, & superficies, & alia, de quibus paulo antè disseruimus: eorum etiam intelligentias colligentes ad numeros. Iis autem quæ dicta sunt, dicunt congruere ea etiam quæ fiunt in vita, & præterea ea etiam quæ fiunt ex artibus. Nam & vita iudicat vnumquodque iis quæ iudicant, quæ quidem sunt mensuræ numeri. Si ergo numerum sustulerimus, tolletur cubitus constans ex duobus se-

De numeris plurima hic præclarè dicuntur.

Mensura, & quidquid iudicat, est ex numeris.

micubi-

micubitis, & ſex palmis, & vigintiquatuor digitis. Tolletur etiam modius,& trutina,& cætera quæ iudicant. Hæc enim omnia, vt quæ conſtent ex pluribus, ſunt ſtatim ſpecies numeri. Vnde etiam cætera ex iis continentur, fœnus, teſtimonia, ſententiæ, ſyngraphæ, tempora, periodi. & in ſumma, non poteſt inueniri aliquid in vita quod eius ſit expers. Omnis quidem certè ars non conſtat abſque proportione. Proportio autē ſita eſt in numero. Omnis ergo ars conſiſtit per numerum. Rhodij certè, vt aiunt, rogarunt Charetem Architectum, quantum impendetur pecuniæ ad conſtruendum Coloſſum: cùm is autem aliquid definiiſſet, rurſus rogarunt, Quantum autem ſi vellent eum duplo maiorem conſtruere. Cùm is autem duplum petiiſſet, illi quidem dederūt. Is autem cùm in initia & Coloſſi formę deſcriptionem impendiſſet quod datum fuerat, ſibi mortem conſciuit. Eo autem mortuo, intellexerunt artifices, quòd non oportebat eum petere duplum, ſed centuplum. Non ſolam enim longitudinem, ſed etiā omnem operis ſpatij dimenſionem debebat efficere maiorem magnitudine. Eſt ergo quædam proportio in arte ſtatuaria: ſimiliter autem etiam in pictura. Propter quam ſimilitudinem rectè ſe gerit ex eo quod nullam habeat diuerſitatem ac mutationem. Et communi ratione omnis ars eſt id quod conſtat & eſt collectū ex comprehenſionibus. Quod autem conſtat & eſt collectum, eſt numerus. Rectè ergo habet illud, Numero autem ſunt omnia ſimilia, hoc eſt, rationi iudicanti, & quæ eſt eiuſdem generis cuius numeri qui omnia conſtituerunt. Hæc quidem Pythagorici. Xenophanes autem ex eorum ſententia, qui eum tanquam aliter exponunt, quando dicit,

„ *Nemo virorum illud conſpexit quod ſit apertum:*
„ *De diis nemo, alii quæcunque & dico, videbit.*
„ *Nam ſint facta licet quæ ab eo prædicta fuere,*
„ *Ille tamen neſcit, cunctis & opinio in his eſt.*

videtur non omnem tollere comprehenſionem, ſed eam quæ eſt ex ſcientia, & quæ non poteſt aberrare & labi. Relinquit ergo opinabilem. Hoc enim indicat illud, Cunctis & opinio in his eſt. Quo fit vt ex eius ſentētia id quod iudicat, ſit ratio opinabilis, hoc eſt, ratio eius quod eſt probabile, non autem ea quæ ſequitur id quod eſt firmum ac ſtabile. Parmenides autem eius familiaris, damnauit quidem opinabilem, eam, inquam, quæ imbecillas habet exiſtimationes. Eam autem quæ eſt ex ſcientia, & quæ aberrarę & falli non poteſt, poſuit eſſe id quod iudicat, relicta etiam fide ſenſuum. Incipiens certè li-

τάλαντρμ.

Omnis ars cōſiſtit ex proportione.

Proportio eſt ex numero.

Chares Architectus cur ſibi mortē conſciuerit.

Coloſſus Rhodius.

προκείμενα.

Proportio in arte ſtatuaria.

κατ' ἀπαραλλαξίαν.

Xenophanes.

Ratio opinabilis, eſt iudicatorium, vt vult Xenocrates.

Parmenides poſuit indicatorium, rationem quæ eſt ex ſcientia.

brum De natura, scribit hoc modo,

Parmenides.

Me portant quoque equi, quantum tuleritque voluntas
Mittunt. namque viam in celebrem vexere ferentes
Dæmonis, atque via quæ fert per singula doctum
Insignes me ea equi, quorum est bona fama, tulerunt.
Quassantes iterisq; duces præiere puellæ.
Eius cum radiis immissus fistula & axis,
Orbibus in geminis tornatis fixus vtrinque est
Quando Heliades festinauere puellæ
Mittere, linquentes tenebrosa palatia noctis,
Ad lucem, manibus validis & vela mouentes.
Quod supra portam ex lapide est, ipsum quoque limen.
Illæ autem ætheræ veniunt, portisq; propinquant,
Quarum vltrix, meritas pœnas reddensq; vicissim
Dice clauigera est. mulcentes pectora verbis,
A porta vt vectem auferret, fecere puellæ.
Protinus hæ verò pandentes claustra, peringens
Expansis valuis fecerunt esset hiatus
Aptatus clauis ab eis dum voluitur axis.
Illis hinc facilè directa est orbita currus.
Ast alacris Dea me excepit, dextraq; prehendit,
His verbis vtens mecum, & sic ore locuta est:
Qui comitaris equos diuinos nate regentes
Currus, hæc qui nunc te ad nostra palatia portant,
Salue: non mala te duxit fortuna venires
Hoc vt iter: via non hominum vnquam hæc passibus vllis
Trita est, sed quæ opus est audacter cuncta rogare
Fas & iura sinunt, veri certissima corda
Quænam sint, hominum & quænam sit opinio; cui non
Certa adhibenda fides, via num sit mente petenda,
Hæc tibi tu caueas. Longa experientia morum
Ne te cogat in hanc vt tu tua lumina figas,
Aut aures patulas. à te ratione probetur,
Quam tibi dictaro, longa experientia morum.
Hæc ratio via qua prosit tibi sola relicta est.

Parmenidis de indicatorio versus aliquot exponuntur.

In his certè Parmenides equos quidem dicit eum ferre, rationis expertes animi impetus & appetitiones: ferri autem per celebrem & inclytam viam Dæmonis, nempe per contemplationem ex ratione philoso-

philoſophica. Nam ratio inſtar deducentis Dæmonis, ducit ad vniuerſorum cognitionem. Eius autem filias præire, nempe ſenſus. Ex quibus aures quidem innuit, cùm dicit, Orbibus in geminis fuerat defixus vtrinque Tornatis, nempe in orbibus aurium, per quos vocem accipiunt. Viſiones autem vocauit puellas Heliadas, relinquentes quidem palatia noctis, & vela mouentes ad lucem, propterea quòd abſque lucē nōn ſit earum vſus. Ad Dicen autem ſeu iuſtitiam veniſſe vltricem, pœnasque reddentemque viciſſim, quæ eſt clauigera, nempe mentem, quæ habet firmas ac certas rerum comprehenſiones. Quæ cùm eum excepiſſet, pollicetur ſe duo eſſe doctura, nempe quænam ſint veri certiſſima corda, nēpe ſcientiæ greſſum immobilem: alterum autem, quænam ſit hominum opinio, cui non certa adhibenda fides, hoc eſt, quidquid poſitum eſt opinabile, quod eſt infirmum & inſtabile. In fine autem apertè declarat non eſſe attendendos ſenſus, ſed rationem. Longa, inquit, experientia morum Ne te cogat in hanc vt tu tua lumina figas, Aut aures, aut linguam. A te ratione probetur, quam tibi dictaro, longa experientia rerum. Sed hic quoque, vt ex iis quæ dicta ſunt, eſt perſpicuum, cùm quæ eſt ex ſcientia rationem pronunciarit eſſe regulam rerum veritatis, receſſit à ſenſibus attendendis. Empedocles autē Agrigentinus, vt ii volunt qui exiſtimant eum exponere ſimplicius, tradit eſſe ſex à quibus iudicatur veritas. Nam cùm duo quæ vim habeant agendi, vniuerſorū poſuiſſet principia, nempe amicitiam & litem ſeu contentionem, & ſimul meminiſſet quatuor, tanquam materialium, nempe terræ, & aquæ, & aëris, & ignis, ea coniuncta dixit eſſe quæ iudicant. Nam vetus quædā & ex alto, vt prius dixi, petita apud Phyſicos verſatur opinio, quòd ſimilia ſimilibus cognoſcantur. Et eius quidem viſus eſt etiā Democritus aliquas probabiles & plauſibiles afferre rationes. Viſus eſt autem etiam Plato eam tetigiſſe in Timæo. Sed Democritus quidem in animatis & inanimis ea quæ dicit conſtituit. Animantia enim, inquit, ſimul congregantur cum animantibus, vt columbæ cum columbis, & grues cum gruibus, & in aliis brutis. Similiter autem & in inanimis, vt licet videre in ſeminibus quæ cribrantur, & in lapillis qui educūtur à fluctibus. cùm ex cribri quidem circumactione quę fit ad diſcernendum, lens cum lente collocetur, ordeum cum ordeo, & frumentum cum frumento. Ex vndarū autem motione oblongi quidem calculi pellantur ad eundem locum ad quem oblongi, teretes autem ad quem teretes, vtpote quòd rerum in his ſimilitudo

Empedocles dicit eſſe ſex à quibus veritas iudicatur.

Similia ſimilibus cognoſcū tur.

Democritus dicit ſimilia cō gregari cum ſimilibus, tā animata quàm inanima.

Sensus sensilia apprehendentes accedunt ad sensiliū speciem.

„ tudo habeat aliquid quod conciliet. Plato autem in Timæo ad pro-
„ bandum animam esse incorpoream, vsus est eodem genere demon-
„ strationis. Nam si visio, inquit, apprehendens lucem statim est lumi-
„ nosa: auditus autem aërem percussum iudicans, nempe vocem, pro-
„ tinus cernitur ad aëris accedens speciem. Odoratus autem cogno-
„ scens vapores, est omnino vaporis aliquam habens formam: & gu-
„ stus qui humores, humoris habens speciem: & anima ideas suscipiēs
„ incorporeas, vt quæ sunt in numeris & in finibus corporum, fit incorporea. Cùm sit eiusmodi opinio apud eos qui nos multis seculis præcesserunt, visus est in ea quoq; versari Empedocles, & ex iis quæ sunt principia quæ omnia constituunt, dicere esse totidem numero quæ iudicant, cùm scripsit,

Empedocles.

Principia cognosci iis quæ sunt similia principiis, totidē numero.

„ *Nos certè terra terram conspeximus, vnda*
„ *Vndam, diuino aëreque aëra: vidimus igne*
„ *Claro ignem. lis lite, amor est conspectus amore.*

ostendens quòd terram quidem comprehendimus terræ participatione, aquam autem participatione aquæ, aërem autem participatione aëris, & in igne conuenienter. Alij autem erant qui dicebant ex sententia Empedoclis, non à sensibus, sed à recta ratione iudicari veritatem. Rectam autem rationem, partim quidem esse diuinam, partim autem humanam. ex quibus diuinam quidem non posse proferri, humanam autem posse. Quòd autem in sensibus non sit veri iudicium, sic ait,

Sensus nō esse indicatoria cēset Empedocles.

Empedocles.

„ *Effusa angusta est nimium nam palma per artus.*
„ *Multa & lema quæ curam caligine cæcant,*
„ *Et cùm sit viuis vitæ pars parua coacta,*
„ *Morte cita ablatis fumi instar vita recedit*
„ *Vndique raptatis. Sic totum & iactat habere*
„ *Se inuentum, cùm homines nequaquam ea cernere posint,*
„ *Auribus aut audire, animo aut comprehendere.*

Veritas non comprehenditur, nisi quantum humana ratio consequitur.

Quòd autem nō possit perfectè comprehendi veritas, nisi quantum consequitur humana ratio, declarat subiūgens ad ea quæ sequuntur,

„ *Sic quoniam sed aberras,*
„ *Scitare. haud vltra nam hominis prudentia pergit.*

Et cùm per ea quæ deinceps sequuntur, increpasset eos qui se plus nosse profitentur, statuit quòd quidquid per vnumquemque accipitur, est fide dignum, si eis præsit ratio. Dicit enim,

„ *Verùm Dij illorum furias auertite linguæ,*

Atque

Atque ore ex sancto purum deducite fontem.
O Musa & celebris, cui brachia candida, Virgo,
Quæ fas est homini audire, ego te rogo supplex,
A pietate velis facilem vt tu mittere currum.
Gloria nec cogat flores te carpere honoris
A mortalibus, vt mouearis dicere plura.
Confide, & sophiæ tunc ad extrema feraris.
Quilibet in palma at residentem conspice clauum
Quemlibet, haud visus maiorq; fides habeatur,
Quàm auditus. non eius quàm quod lingua reuelat.
Nulliúsve ex aliis, quorum est perceptio mentis.
A membrisq; fidem arce: qua rationē q; apertum est
Vnumquodque intellige.

Hæc quidem Empedocles. Heraclitus autem quoniam rursus videbatur esse duobus instrumentis munitus ad cognoscendam veritatē, nempe sensu & ratione, ex iis sensum, sicut ii quos prius diximus, existimauit non esse fide dignum. Rationem autem ponit eam esse quæ iudicat. Sed sensum quidem refellit, dicens ad verbum, Mali sunt testes hominibus oculi, & aures barbaras habentium animas. Quod perinde est ac si dicas, Est barbararum animarum credere sensibus rationis expertibus. Rationem autem veritatis iudicem pronunciat, non quancunque, sed communem & diuinam. Quænā autem ea sit, breuiter est ostendendum. Placet enim Physico, id quod nos ambit, esse & rationis particeps, & prudentia præditum. Hoc longè ante indicauit Homerus, dicens,

Heraclitus sensum dicit nō fide dignū, rationem autem statuit esse iudicatoriam.

Aër ambiens est particeps rationis.

Terrenorum hominum est mens & prudentia talis,
Ad qualem ipse diem deducit Iuppiter illos.

Homerus.

Archilochus quoque dicit homines talia mente versare, ad qualem diem deducit eos Iupiter. Dictum est id ipsum quoque ab Euripide,

Haud facilè quis tu sis potest coniicier,
O Iuppiter, naturæne necessitas,
Mens ne hominum. te ego tamen rogauerim.

Euripides.

Hanc ergo diuinam rationem, cùm, vt vult Heraclitus, attraxerimus per inspirationem, efficimur intelligētes: & in somnis quidem obliuiosi, in vigilando autem rursus prudentia pręditi. Nam cùm in somnis obstructi sint sensuum meatus, separatur mens quæ est in nobis, à coniūctione quæ illi intercedit cum eo quod ambit, sola seruata quæ adhærescit adnata respiratione, veluti quadā radice: & separata amittit quam

Diuinam rationem per inspirationē attrahentes, efficimur intelligentes.

tit quam prius habebat vim recordandi. In vigilando autem rursus, cùm per sensuum meatus veluti per quasdam fenestras prospexerit, & cum eo quod ambit cōgressa fuerit, induit vim rationis. Quomodo enim carbones si igni appropinquarint, fiunt ignei per alterarionem, separati autem extinguūtur: ita etiam pars illa, quæ ab eo quod ambit in nostris corporibus est peregrinata, per separationem quidē fit propemodum expers rationis: per cōiunctionem autem cum plurimis meatibus, fit eiusdē generis & formæ cuius est totum seu vniuersitas. Hanc autem communem rationē & diuinam, & cuius participatione efficimur participes, dicit Heraclitus esse id quod iudicat. Quo fieri vt id quidem quod omnibus placet, sit fide dignum: comprehenditur enim communi & diuina ratione: quod autem vni soli occurrit, minimè fit fide dignū propter causam contrariam. Physica certè incipiens, & quodammodo ostendēs id quod ambit, dicit,

Quod placet omnibus, est fide dignum.

» CVM est autem hæc ratio, non intelligētes fiunt homines etiā prius-
» quam audierint, & cùm primum audierint. Nam cùm hęc fiant ex ra-
» tionibus, videntur imperiti experientes dicta & facta, qualia ego re-
» censeo, secundum naturam diuidens vnumquodque, & dicens quo-
» modo se habeat. Aliàs autem latent homines quæcunq; faciunt ex-
» perrecti, quomodo etiam obliuiscuntur quæcunq; faciunt dormien-
tes. Cùm enim per hæc disertis verbis ostendisset, quòd per diuinæ rationis participationem agimus & intelligimus, & pauca prius disseruisset, subiungit, Quamobrē oportet sequi eam quæ est commu-
» nis. Simul enim est communis. Cùm simul autem sit communis ra-
» tio, viuunt multi tanquam propriam habentes prudentiam. Illa au-
» tē nihil est aliud quàm expositio modi administrandæ vniuersitatis.
» Quamobrē in eo in quo fuerimus participes eius memoriæ, verum dicimus: in quibus autem priuatim ac separatim agimus, falsum. Nūc enim in his, verbis pronuntiat disertissimis, communem rationē esse id quod iudicat: & quæ communiter quidem apparent, dicit esse fide digna, vt quæ communi iudicentur ratione: quæ autem vnaquaque seorsum, falsa. Atque hęc erat quidem sententia Heracliti. Democritus autem ea quidem tollit, quæ apparent sensibus: & ex iis dicit nihil verè apparere, sed solùm ex opinione: verum autem esse in iis quę
» sunt: esse autem atomos & inane. Lege enim est; inquit, dulce, & le-
» ge amarum: lege calidum, & lege frigidum: lege color: causa autem
» atoma & inane. Quæ autem esse existimantur, & reputantur sensi-
» bia, ea nō sunt re vera. Sola autem sunt atoma & inane. In κρατυντηρίοις autem

Ratio communis est iudicatorium. κοινός. ξυνός.

Ex sensibus nihil apparere dicit Democritus.

Verum est in iis quæ sunt.

Esse atomos & inane.

autem quæ vocat, quamuis ſit pollicitus ſe ſenſibus vim attributurũ, nihilo minus inuenitur eos condemnare. Nos autem eo quidẽ quod eſt, nihil veri intelligimus, ſed tranſmutati ex affectione corporis, & eorum quæ ingrediuutur, & eorum quæ ex aduerſo obſiſtunt & obfirmantur. Et rurſus, Cauſa quidem quòd non intelligimus quòd nõ ſit vnumquodque quale eſt, multis modis eſt declarata. In libro autẽ de Ideis, dicit oportere hominem hac regula ſcire quòd liberatus ſit à cauſa. Et rurſus, Oſtendit quidem hæc quoque ratio, quòd per cauſam de nulla re quidquam ſcimus, ſed eſt ſingulis opinio, ἐπιρυσμίη, id eſt affluxus. Et rurſus, Quanquam erit euidens, quòd per cauſam ſcire quale ſit vnumquodque, ſit in dubio. Atque in hoc quidẽ ferè omnem mouet comprehenſionem, & præcipuè ſolos inſectatur ſenſus.

Per cauſam nihil ſciri ſed per opinionem vult Democritus.

In regulis autem duas dicit eſſe cognitiones: alteram quidẽ per ſenſus, alteram verò per cogitationem. Ex quibus cognitionem quidẽ per cogitationem deducit ad iudicium veritatis, ei tribuens quod ſit fide digna: cognitionem autem per ſenſus, nominat tenebricoſam, ei auferens quòd non aberret in vero diſcernendo. Dicit autem ad verbum, Cognitionis autem duæ ſunt ſpecies: altera quidem vera & germana, altera verò tenebricoſa. Et tenebricoſæ quidem ſunt hæc omnia, viſus, auditus, guſtus, tactus. Vera autem & germana eſt, quæ eſt ab ea ſecreta. Deinde tenebricoſæ veram præferens ac germanam, ſubiungit dicens, Quando tenebricoſa non poteſt amplius nec minimum videre, nec audire, nec odorari, nec guſtare, neque tactu ſentire, ſed ſubtilius. Eſt igitur ex eius quoq; ſententia, ratio id quod iudicat, quam appellat veram & germanam cognitionem. Diotimus autem dicebat ex eius ſententia eſſe tria quæ iudicãt. eorum quidem quæ non ſunt euidentia comprehenſionis, ea quæ apparent, vt dicit Anaxagoras, quem propterea laudat Democritus. Quæſtionis autẽ ſeu inquiſitionis notionem. De quolibet enim vnum cernitur principium, ſcire id de quo eſt quæſtio. Eligendi autem & fugiendi, animi motus. Id enim quod eſt nobis proprium ac familiare, eſt eligendum: id autem à quo ſumus alieni, eſt fugiendum. Atque talis quidẽ eſt hiſtoria veterum, de eo quo iudicatur veritas. Deinceps autem eas quoque attingamus hæreſes, quæ ſunt poſt Phyſicos. Plato ergo in Timæo cùm res diuiſiſſet in eas quæ cadunt ſub intelligentiam, & in eas quæ ſunt ſenſiles, dicens ratione quidem poſſe comprehendi ea quæ cadunt ſub intelligentiam, opinabilia autẽ eſſe ſenſilia, apertè definiit rationẽ eſſe id, quo rerum iudicatur cognitio, ſimul etiam

Cognitio per cogitationẽ ducit ad iudiciũ veritatis.

γνώμη.

Cognitionis duæ ſpecies, nẽpe altera vera & germana, altera autẽ tenebricoſa.

Tria iudicatoria ex Diotimi ſententia, ea quæ apparent, notio, & motus animi.

Plato rationẽ cenſet eſſe iudicatorium cum euidentia ſenſuum.

comprehendens eam quæ per sensum existit euidentiam. Sic autẽ dicit, Quid est quod semper est, & ortũ nõ habet. & quid est quod semper quidẽ fit & oritur, nunquam autẽ est. illud quidem quod intelligentia cum ratione est comprehensibile: hoc autem opinione cum sensu. Comprehensibilem autem dicunt apud eum vocari rationem Platonici, quæ est communis euidentiæ & veritatis. Oportet enim rationem in iudicanda veritate proficisci ab euidentia. Etsi autẽ per euidentiam verorum fit iudicium, non sufficit tamen euidẽtia ad verum cognoscendum. Nõ enim si quid apparet ex euidentia, hoc etiã verè est: sed oportet adesse id quod iudicat, quídnã solum appareat, & quídnam cum eo quod apparet, reuera etiam subiiciatur, nempe rationem. Oportet ergo vtraque conuenire, nempe & euidentiam, vt ex qua, tanquam è carceribus, emittatur ratio ad iudicandam veritatem: & ipsam rationem ad discernendam veritatem. Ad consequendam autem euidentiam, & discernendum quod in ea est verum, ratio rursus habet sensum adiutorem. Nam per eum accipiens phantasiam seu visionem, efficit intelligentiam & veri scientiam. Quo fit vt ea comprehendat euidentiam & veritatem. quod quidem perinde est ac comprehensibile. Sic quidem Plato. Speusippus autẽ, quoniam ex rebus aliæ quidem sunt sensiles, aliæ verò quæ cadũt sub intelligentiam, earum quidem quæ cadunt sub intelligẽtiam, dixit esse iudicem, rationem quæ est ex sciẽtia: sensilium autem, sensum qui est ex scientia. Sensum autem qui est ex sciẽtia, existimauit esse eum qui est particeps veritatis ex ratione. Quomodo enim tibicinis aut psaltæ digiti artificiosam quidem habent operationem, sed quæ non in ipsis primò perficiatur, sed absoluatur ex exercitatione profecta ex ratiocinatione. Et quomodo sensus Musici habet quidem euidẽtiam apprehendentem id quod est concinnum & inconcinnum, eam autẽ non ex se natam, sed quæ accessit ex ratione ac consideratione: ita etiam sensus qui est ex sciẽtia, naturaliter est particeps vsus qui est ex scientia, ad discernenda citra errorem ea quæ sunt subiecta. Xenocrates autem dicit tres esse essentias: aliam quidem sensilem, aliam verò quę cadit sub intelligentiam, aliam verò compositam & opinabilem. Ex quibus sensilem quidem esse, quæ est intra cœlum: sub intelligentiam autem cadentem, omnium quæ sunt extra cœlum: opinabilem autem & compositam, ipsius cœli. Nam sensui quidem est aspectabilis: sub intelligentiam autem cadit per Astrologiam. Cùm hæc autem ita se habeant, essentiæ quidem quæ est extra cœlum, & quæ

Ratio in iudicanda veritate proficiscitur ab euidentia.

Ad consequẽdam euidentiã ratio habet sensum adiutorẽ.

Ratio per sensum accipit phantasiam.

Ratio est iudicatorium intelligibilium, sensus qui est ex scientia sensilium, vt vult Speusippus.

Sensus quísnã sit ex scientia.

Tres essentiæ, nempe sensilis, intelligibilis, composita et opinabilis, secundum Xenocratem.

quæ cadit ſub intelligentiam, iudicem pronunciauit ſcientiam : eius autem quæ eſt intra cœlum,& ſenſilis, ſenſum:mixtæ autem,opinionem : & ex his communiter, id quidem quod iudicat per rationem quæ eſt ſcientia, eſſe firmum,ſtabile ac verum : quod autem per ſenſum,verum quidem,ſed non ita vt quod per ratione quæ eſt ex ſcientia : compoſitum autem eſſe commune veri & falſi. Nam ex opinionibus aliam quidem eſſe veram, aliam verò falſam. Vnde etiam traditas eſſe tres Parcas. Attopon quidem eſſe eorum quæ cadunt ſub intelligentiam,vt quæ non poſſit tranſmutari : Clotho autem, ſenſilium : Lacheſin autem, opinabilium. Arceſilaus autem ex propoſito quidem & conſulto nihil conſtituit quod iudicaret. Qui autem exiſtimant eum conſtituiſſe,tradiderunt eum id feciſſe,vt haberet quod obiiceret Stoicis. Illi enim dicunt eſſe tria inter ſe coniugata, ſcientiam, opinionem, & quæ eſt in eorum confinio collocata, comprehenſionem. Ex quibus ſcientiam quidem eſſe, firmam ac ſtabilem & immutabilem à ratione comprehenſionem : opinionem autem, imbecillam & falſam aſſenſionem:comprehẽſionem autem, quæ inter vtrunque intercedit,quæ eſt etiã aſſenſio phantaſiæ ſeu viſionis comprehendentis. Comprehendens autem phantaſia, ex eorum ſententia, eſt vera & eiuſmodi vt non poſſit eſſe falſa. Ex quibus ſcientiam quidem dicunt conſiſtere in ſolis ſapientibus : opinionem autem in ſolis ſtultis: comprehenſionem verò eſſe communem vtrorumque: & eam eſſe quò iudicatur veritas. Cùm hæc autem dicant Stoici, ſe oppoſuit Arceſilaus, oſtendens comprehenſionem non eſſe id quod iudicat inter ſcientiam & opinionem. Ea enim aſſenſio,quam dicunt comprehenſionem & comprehendentem viſionem,aut eſt in ſapiente,aut in ſtulto. Sed ſi ſit in ſapiente, eſt ſcientia : & ſi in ſtulto, opinio. & præter hæc nihil aliud ſumptum eſt quàm nomen. Si autem comprehenſio eſt aſſenſio phantaſiæ ſeu viſionis comprehendentis, non poteſt eſſe. Primum quidem,quia viſioni non fit aſſenſio,ſed rationi. Pronunciatorum enim ſunt aſſenſiones. Secundum autẽ, quoniam nulla inuenitur eiuſmodi vera phantaſia, vt non poſſit eſſe falſa,vt per multa & varia oſtenditur. Si non ſit autem comprehendens phantaſia,nec erit comprehenſio. eſt enim comprehendens phantaſia, aſſenſio. Si non ſit autem comprehenſio, omnia erunt eiuſmodi vt minimè comprehendantur. Quòd ſi ſint omnia eiuſmodi vt minimè poſſint comprehendi, ſequetur etiam, vt ex ſententia Stoicorũ aſſenſionem ſuſtineat ſapiens. Sic autem cõſideremus. Si ſint omnia

Tria indicatoria, ſcientia, ſenſus, opinio.

Tres Parcæ tria ſignificant indicatoria.

Tria indicatoria ponuntur à Stoicis, ſcientia, opinio, comprehenſio.

Arceſilaus negat comprehenſionem eſſe id quod indicat inter ſcientiam & opinionem.

Sapientem ſuſtinere aſſenſionem etiã ſecundum Stoicos probat Arceſilaus.

eiusmodi vt non possint comprehendi, propterea quòd non sit id quod apud Stoicos iudicare dicitur, opinabitur sapiens. Nam cùm nihil sit quod possit comprehendi, si alicui assentitur, assentietur ei quod non potest comprehendi. Assensio autem est ei quod non potest comprehendi, assensio. Quare si sapiens est ex iis qui assentiuntur, erit sapiens ex iis qui opinantur. Ex iis autem qui opinantur non est sapiens. hoc enim esset, vt est eorum sententia, insipientiæ & peccatorum causa. Non est ergo sapiens ex iis qui assentiuntur. Quòd si ita est, de omnibus oportebit eum minimè assentiri. non assentiri autem nihil est aliud quàm sustinere assensioné. De omnibus ergo assensionem sustinebit sapiens. Sed quoniam post hoc oportebat etiã quærere de vitæ traductione, quæ absque eo quod iudicat tradi non potest, à quo etiam felicitas, hoc est vitæ finis, pendenté habet probationem: dicit Arcesilaus quòd qui de omnibus sustinet assensioné, eligenda & fugienda & communiter quæ sunt agenda diriget per id quod est probabile: & id sequens tanquam iudicem, rectè se geret. accedere enim felicitatem per prudentiam: moueri autem prudentiam in rectè factis. Rectè autem factum esse, quod cur factum sit, rationi consentanea & probabilis potest reddi causa. Qui ergo attendit id quod est probabile, rectè se geret, & erit beatus. Hæc Arcesilaus.

In vita agẽda sequitur scepticus probabile.

Rectè factum quid sit.

Carneades autem non solùm Stoicis, sed etiam omnibus qui eũ præcesserunt, aduersabatur de eo quod iudicat. Et prima quidem & communis est ei aduersus omnes oratio, per quam ostendit absolutè nihil esse à quo iudicetur veritas, non rationem, non sensum, non phantasiam seu visionem, nec vllum aliud ex iis quæ sunt. hæc enim omnia, vt vno verbo complectamur, nos fallere. Secũda autem, qua ostendit, quòd etiãsi sit id quod iudicat, non posse id consistere absq; affectione quæ fit ab euidentia. Quoniam enim vi sentiendi differt animal ab inanimatis, omnino & se & externa per eum apprehẽdet. Sensus autem manens immobilis, & impatibilis, & immutabilis, nec est sensus, nec aliquid apprehendit. Mutatus autem & quodammodo affectus ab incursione euidentium, tunc res indicat. In affectione ergo animæ quæ oritur ex euidentia, quærendum est id quod iudicat. Hæc autem affectio debet indicari, cùm id appareat quod ipsam immisit. quæ quidem affectio non est alia quàm phantasia. Quamobrẽ dicendum est etiam phantasiam esse quandam in animali affectioné, quæ & se & aliud ostendat: vt cùm aliquid aspexerimus, ait Antiochus, visu quodammodo afficimur: nec eum sic habemus affectum,

Nullum est iudicatorium, nõ ratio, non sensus, non phantasia, nec vllũ aliud, vt vult Carneades.

Phãtasia quenã sit affectio in animali.

vt habe-

vt habebamus priusquam aspiceremus. Per eam autem alterationem duo apprehendimus: vnum, ipsam alterationem, hoc est phantasiam: secundum autem, id quod indidit alterationem, nempe aspectabile. Et similiter in aliis sensibus. Quomodo ergo lux & seipsam indicat, & omnia quæ sunt in ipsa: ita etiam phantasia cùm sit dux princeps cognitionis quæ est in animali, debet instar lucis & seipsam ostendere, & indicare euidens illud quod eam effecit. Sed quoniã non quod verè est, semper indicat: sæpe autem fallit, & discrepat à rebus quæ eam immiserunt, vt mali nuncij: necessariò sequitur, quòd non omnis phantasia potest relinquere iudicium veritatis, sed solùm esse vera. Rursus, quoniam nulla est adeò vera vt non possit esse falsa, & in qualibet quæ videtur esse vera, inuenitur aliqua falsa quę minimè ab ea differt, erit id quod iudicat, in cõmuni phantasia seu visione, nempe veri & falsi. Communis autem horum phantasia non comprehendit. Si autem non comprehendit, nec erit quod iudicat. Si nulla autẽ phantasia vim habet iudicandi, nec ratio erit id quod iudicat. ea enim deducitur à phantasia. & meritò. Nam primum quidem ei debet apparere id quod iudicatur. Nihil autem potest apparere absque sensu experte rationis. Neque ergo sensus expers rationis, neque ratio est id quod iudicat. Atque hæc quidem aliis resistens Philosophis disserebat Carneades, vt ostenderet non esse quod iudicat. Rogatus autẽ ipse quoque quidnam esset quod iudicaret ad vitam traducendam, & ad acquirendã beatitudinẽ, vi cogitur per se aliquid de eo decernere, assumens & probabilem phantasiam, & probabilem simul & indiuulsam, & discurrentem seu circumeuntem. Quænam sit autem harum differentia, breuiter est ostendendum. Phantasia ergo seu visio, est alicuius phantasia, nempe & eius ex quo fit, & eius in quo fit. Et ex quo quidem fit, vt externi subiecti sensilis. In quo autem fit, vtpote hominis. Cùm autem sit eiusmodi, duas habet habitudines: vnã quidem, vt ad id quod phantasia apprehenditur: alteram autem, vt ad id quod visione apprehẽdit. Et ex habitudine quidem ad id quod visione apprehenditur, fit vera vel falsa. Et vera quidem, quando consonat cum eo quod phantasia apprehẽditur: falsa autem, quando dissonat. Ex habitudine autem ad id quod apprehendit, alia quidem est quæ videtur vera, alia verò quæ videtur falsa. Ex quibus, quæ videtur quidem vera, appellatur emphasis apud Academicos, & probabilitas, & probabilis phantasia. Quæ autem non videtur vera, appellatur apemphasis, & improbabilitas, & non probabilis phantasia.

Ratio deducitur à phantasia.

Phãtasia alia est probabilis, alia probabilis simul & indiuulsa & transiens.

Phãtasia vera quæ sit.

Phãtasia falsa quæ sit.

Emphasis probabilitas apud Academicos.

Apemphasis, improbabilitas.

Neque enim quod ex ſe videtur falſum, neque quod eſt quidem verum non autem videtur, à natura habet inſitum vt nobis perſuadeat. Ex his autem phantaſiis, ea quidem quæ eſt apertè falſa & non videtur vera, circumſcribit quidem, nec eſt id quod iudicat, ſi ſit quidem ex eo quod eſt, ab eo autem diſcrepet & ei non congruat: cuiuſmodi erat vna ex furiis quæ ab Electra incurrit in Oreſtem. Eius autem quæ videtur vera, alia quidem eſt exilis, vt quæ eſt in eo quod minimum abeſt vt cernatur: aut quòd non ſit ſatis ſpatii, aut propter imbecillitatem viſus, qui confusè aliquid accipit & non expreſsè. Alia autem eſt quæ cum eo quòd apparet vera, hoc quoque habet, vt valde videatur eſſe vera. Ex quibus rurſus, quæ eſt quidem exilis & ſoluta remiſſaque phantaſia, non poteſt eſſe id quod iudicat. Quòd enim neque ipſum, neque quod eam effecit, apertè poteſt indicare, non poteſt nobis perſuadere, neque ad aſſenſum attrahere. Quæ autem videtur vera & ſatis apparet, eſt ea quidē iudex veritatis, vt vult Carneades. Cùm autem ea ſit quæ iudicet, ſatis magnam habet latitudinem: & cùm ea intenditur, alia in alterius ſpecie probabiliorem & quæ vehemētius pulſat, habet viſionem. Probabile autem in præſentia dicitur tripliciter. Vno quidem modo id quod eſt verū, & videtur verum. Altero autem, id quidem quod eſt falſum, videtur autē verum. Tertiò autem, verum commune vtriuſque. Vnde id quod iudicat, erit phantaſia quæ videtur vera, quam etiam probabilem appellabant Academici. Incurrit autem nonnunquam etiam falſa, vt neceſſe habeat aliquando vti communi phantaſia falſi & veri. Non tamen propterea quòd ea rarius incurrit, ea, inquam, quæ verum imitatur, fides non eſt habenda ei quæ magna ex parte eſt vera, cui euenit vt per eam magna ex parte dirigantur iudicia & actiones. Atque id quidem quod primò & communiter iudicat, ex Carneadis ſententia eſt huiuſmodi. Quoniam autē aliquando non vnius generis conſiſtit phantaſia, ſed catenæ inſtar altera pendet ex altera, aderit ſecundum quod iudicet, nempe ſimul probabilis & indiuulſa phantaſia. vt qui hominis attrahit viſionem, neceſſariò etiam accipit viſionem eorum quæ ſunt circa ipſum, & eorum quæ ſunt extra. Eorum quidem quæ ſunt circa ipſum, coloris, magnitudinis, figuræ, motus, ſermonis, veſtitus, calceaturæ. Eorum autē quæ ſunt extrà, vt aëris, lucis, diei, cœli, terræ, amicorum, & aliorum omnium. Quando ergo nulla ex his phantaſiis nos traxerit, vt videatur falſa, ſed omnes eodem concentu videntur veræ, magis credimus. Nam quòd iſte ſit Socrates credi-

Probabile dicitur tripliciter.

Phātaſia probabilis et indiuulſa.

credimus,ex eo quòd omnia ei adſint quæ conſueuerunt, color, magnitudo,figura,geſtus,pallium,quòd hic ſit,& nulla in re à ſeipſa diſſideat. Et quomodo nonnulli Medici eum qui verè febricitat,ſumūt non ex vno ſymptomate, vtpote ex vehementia pulſus, aut ex abundantia caloris,ſed veluti ex concurſu caloris ſimul & pulſus,& ex vlceroſo tactu,& ex rubore & ſiti,& iis quę in ſimili proportione conueniunt : ita etiam Academicus ex viſorum concurſu facit iudicium veritatis. & cùm nullum ex iis quæ ſunt in concurſu viſis, tanquā falſum eum attrahit, dicit verum eſſe quod incurrit. Quod autem fidei faciendæ ſit quæ diuelli non poteſt concurſio, patet ex Menelaō. In naui enim relicto Helenæ ſimulachro,quod Troia abduxerat tanquā Helenam,cùm in Pharum inſulam aſcēdiſſet,videt veram Helenam: & ab ea veram attrahens phantaſiam,non tamen credit ei phantaſię, propterea quòd abſtraheretur ab alia, qua ſciebat ſe in naui reliquiſſe Helenā. Talis eſt ergo indiuulſa phantaſia,quæ videtur ipſa quoq; habere errorē,propterea quòd inueniatur alia magis indiuulſa quàm alia. Indiuulſæ autem phantaſiæ ea eſt fide dignior & perfectior,quę cum eo quòd ſit indiuulſa,facit iudicium.Eſt prętérea quæ circuitione vtitur. Quænam autem ſit eius forma,proximè eſt oſtēdendum. Nam in indiuulſa quidem tantùm quæritur, vt nulla ex iis quę ſunt in concurſu,phantaſiis tanquā falſa nos attrahat, omnes autem videantur eſſe veræ & non improbabiles. In ea autem quæ fit ex concurſu qui vtitur circuitione, attentè examinamus vnamquanque earū quæ ſunt in concurſu. Quod quidem fit etiam in concionibus, quando populus examinat vnumquenque eorum qui vel ſunt geſturi magiſtratū, vel iudicaturi,ſítne dignus cui mandetur magiſtratus aut munus iudicandi. Nempe cùm in loco iudicij ſit id quod iudicat & id quod iudicatur, & id per quod fit iudicium, receſſusque & interuallum, figura, tempus, modus, affectio, operatio : vnumquodque eorum quale ſit diſcernimus. Id quidem quod iudicat,num viſus ſit hebetatus.Nam ſi ſit eiuſmodi,eſt imbecillus ad iudicandum.Id autem quod iudicatur, num non ſit nimis paruum. Id autem per quod fit iudicium,num aër ſit obſcurus. Receſſus, num ſubiiciatur nimis magnus. Interuallum, num ſit confuſum. Locus, num ſit hians & vaſtus. Tempus, num ſit citum. Affectionem, num ſit furioſa. Operationem, num non ſit admittenda. Nam ſi hæc in vnō ſint omnia, id quod iudicat eſt probabilis phantaſia, & quæ eſt ſimul probabilis & indiuulſa, & præterea quæ vtitur circuitione. Quamobrem quomodo

Vt ex multis ſymptomatibus indicant Medici, ita ex multorum viſorum cōcurſu ſceptici.

Helena verâ & eius ſimulachrum.

Phantaſia diſcurrens ſeu vtens circumitione.

modo in vita quando de parua quidem re quęrimus, vnũ testem examinamus: quando autem de re maioris momenti, plures: quando autem de re magis necessaria, examinamus vnumquenque eorum qui testificantur ex eorum præsentium confessione: ita, inquit Carneades, in rebus quidem leuibus & non magni ponderis, sola probabili phantasia vtimur ad iudicandum: in rebus autem quæ sunt alicuius momenti, indiuulsa: in iis autem quæ pertinẽt ad bene beateq; viuendum, ea quæ vtitur circuitione. Verumenimuero quomodo in rebus quæ sunt magni momenti, dicunt se diuersam assumere phantasiam: ita etiam in diuersis circunstantiis nequaquam sequi eandẽ. Nam si quidem solùm probabilem dicunt attendere phantasiam, in iis in quibus non dat nobis circunstantia satis temporis ad rem accuratè considerandam. Vt, exempli causa, hostes persequuntur quempiam, & cùm venisset ad quoddam antrum, visione apprehẽdit quòd illic sint hostes in insidiis. Deinde ab illa arreptus visione, vt quæ sit probabilis, declinat & fugit antrum, visi sequens probabilitatem, priusquam accuratè & diligenter attenderet, re verá ne essent in eo loco hostium insidiæ, an non. Probabilem autem sequitur etiam ea quæ circuitione vtitur, in iis in quibus datur tempus ad attentè singula persequendo ac tractando vtendum rei incurrentis iudicio. vt cùm quispiam in domo obscura aspexisset funem circumuolutum, statim quidem suspicatus esse serpentem, transiliit. Postea autem conuersus, verum examinat: cumque inuenisset immobilem, iam quidem eo propendet cogitatio, quòd non sit serpens. Considerãs autem quòd aliquando serpentes sunt immobiles hiberno gelu concreti, spiram illam seu inuolucrum percutit baculo: & cum tunc circuitione sic indagasset visum quòd incurrebat, assentitur esse falsum quòd sit serpens corpus illud quod visione apprehẽderat. & rursus, vt prius dixi, apertè videntes assentimur quòd hoc sit verum, cum prius cogitando percurrerimus quòd sensus habemus integros, vigilantes autem & non in somnis videmus: simul etiã adest aër perspicuus, & proportione conueniens interuallum, & eius quod incurrit immobilitas. Quo fit vt per hæc sit nobis fide digna phantasia, cùm habuerimus satis temporis ad persequendum cogitatione ea quæ cernũtur in loco. Eadem est etiam ratio de indiuulsa phantasia. eam enim admittunt, cùm nihil est quod possit retrahere, vt prius dictum est de Menelao. Sed cùm sit à nobis explicata historia Academica quæ ab alto à Platone duxit originem, non est vtique alienum persequi sectam

Circunstãtiæ efficiunt vt nõ semper iisdem vtamur phantasiis.

Cyrenai-

Cyrenaicorum. Videtur enim eorum quoq; hæresis orta esse à conuersatione cum Socrate, à qua etiam orta est successio Platonis. Dicunt ergo Cyrenaici iudices esse affectiones, solasque comprehendi & non esse fallaces. eorum autem quæ procreãt & efficiunt affectiones, nihil esse quod possit comprehendi, neque quod possit non fallere. Nam quod, inquiunt, dealbamur & dulcedine afficimur, dicere possumus asseueranter, neque quòd falsum dicamus conuincemur. Quòd autem id quod procreat & efficit affectionem, sit album aut dulce, non possumus enuntiare. Nam est probabile quòd etiã à non albo albi afficiamur, & dulces à non dulci. quandoquidem is quidẽ cui caligant oculi, & qui morbo laborat regio, ita mouetur ab omnibus, vt fuluescat: qui autem ophthalmia laborat, fit ruber: qui verò compressit oculum, mouetur tanquam à duobus: qui verò est furore correptus, geminas videt Thebas, & visione Solem apprehendit geminum. In his autem omnibus, quòd sic quidem afficiantur, nempe fului fiant aut rubri aut duplices, verum est. Quòd autem sit fuluum quod eos mouet, aut rubrum, aut duplex, falsum esse est existimatũ: Ita nos quoque est consentaneum nihil amplius accipere quàm nostras ipsorum affectiones. Vnde aut ponẽdum est affectiones esse ea quæ videntur, aut ea quæ sunt efficientia affectionum. Et si dicamus quidem esse affectiones ea quæ videntur, omnia quæ videntur dicendum est esse vera & eiusmodi vt possint comprehendi. Si autem efficientia affectionum appellamus ea quæ videntur, omnia quæ videntur dicendum est esse falsa, nec posse comprehendi. Quod enim nobis accidit, suam nobis ostendit affectionem, & nihil amplius. Vnde si oportet verum dicere, sola affectio est quæ nobis videtur. Quod est autem extrinsecus, & est efficiẽs affectionis, fortè quidem est, nobis autem non videtur. Et ea ratione in propriis quidem affectionibus nos omnes minimè erramus. In subiecto autẽ externo erramus omnes. & illę quidem possunt comprehendi, hoc autem non potest, cùm ad id discernẽdum anima sit valde imbecilla, propter loca, propter interualla, propter motus, propter mutationes, propter alias plurimas causas. Vnde nec in hominibus dicũt esse aliquid commune quod iudicet, poni autem nomina communia iudiciis. Nam albũ quidem & dulce vocant omnes communiter. commune autem aliquid album aut dulce non habent. Vnusquisque enim apprehendit propriam affectionem. an autem hæc ei & proximo ex albo ingeneretur affectio, neque ipse potest dicere, vt qui proximi non suscipiat

Cyrenaicorũ secta sunt & Platonicorum secta à Socrate orta est.

Affectiones sunt indices, et vera.

Efficientia affectionum non indicant, & possunt esse falsa.

παρεκστάσει.

In affectionibus nostrìs non erramus.

In subiecto externo erramus omnes.

Indicatorium commune nullum est in hominibus.

Affectio nulla est cōmunis, sed est cuiuslibet propria affectio.

affectionem: neque proximus affectionem illius nō suscipiens. Cùm autem nulla sit in nobis communis affectio, temerarium est dicere, quòd id quod mihi videtur, tale etiam videtur adsistenti. Nam fortè quidem ego ita sum cōcretus, vt dealber ab eo quod incurrit extrinsecus: alter autem sic constitutum habet sensum, vt aliter sit affectus. Non est ergo omnino commune id quod nobis videtur. Quòd autē re vera propter diuersas sensus constitutiones, non similiter & eodē modo moueamur, perspicuum est & in iis qui regio morbo laborāt, & in iis qui ophthalmia, & in iis qui affecti sunt secundum naturam.

Propter sensus diuersas cōstitutiones diuersè afficimur ab iisdem sensilibus.

Quomodo enim ex eodem alij quidem ita sunt affecti vt fului fiant, alij verò rubri, alij autem albi: ita etiam est consentaneum, eos qui secundum naturam sunt affecti, propter diuersam sensuum constitutionem, ab iisdem nō moueri similiter: sed aliter quidem album, aliter verò nigrum: & aliter quidem eum qui cęruleis, aliter verò eum qui nigris est oculis. Quo fit, vt rebus quidē communia nomina imponamus, proprias autem habeamus affectiones. Iis autem quæ dicuntur de illis quæ iudicant ex horum virorum sententia, conuenire videntur & quæ dicuntur de finibus.

Affectiones peruadunt ad fines.

Nam etiam ad fines peruadunt affectiones. Ex affectionibus enim aliæ quidem sunt iucundæ, aliæ verò asperæ & molestæ, aliæ verò intermediæ.

Affectionum aliæ iucundæ, aliæ asperæ, aliæ intermediæ.

Et asperas quidem ac molestas dicunt esse malas, quarum finis est dolor: iucundas autem, bonas, quarum finis, qui falli non potest, est voluptas.

Voluptas falli non potest.

Quæ autem sunt intermediæ, nec sunt bonæ nec malæ, quarū finis nec est bonus nec malus, qui quidem est affectio inter voluptatem & dolorem.

Affectiones sunt omniū iudices & fines.

Affectiones ergo sunt omnium iudices & fines: & viuimus, inquiunt, ea sequentes, attendentes euidentiam & iucunditatem.

Affectiones sequimur, attendentes euidētiā & finē.

Euidentiam quidem in aliis affectionibus: iucunditatem autem in voluptate. Hęc quidem Cyrenaici, magis contrahentes id quod iudicat, quàm Platonici.

Platonici statuebant iudicatoriū in euidentia & ratione.

Nam illi quidem ipsum faciebant compositum ex euidentia & ratione: isti autem id sola circunscribunt euidētia & affectionibus. Non procul autem ab eorū sententia videntur esse, qui pronunciant veritatem iudicari à sensibus. Nam quòd fuerint qui hoc censerent, planum fecit Antiochus Academicus in secundo regularium, disertis & expressis verbis scribens,

Indicatoriū veritatis sensus.

„ Quidam autem alius, in Medicina quidem nulli secundus, & qui attigerat etiam Philosophiam, persuasum „ habebat, sensus quidem re ipsa & verè esse apprehensiones: ratione „ autem nihil nos omnino comprehendere. Videtur autem per hæc Antiochus prius dictam sectam ponere, & Asclepiadē innuere Medicum,

dicum, qui animæ quidem tollebat partem quæ principatum obtinet, fuit autem eisdem temporibus. Sed de eius quidẽ opinione variè & seorsum tractauimus in medicis commentariis, vt non sit necessa eandem canere cantilenam. Epicurus autem, cùm sint duæ res inter se coniugatę, nempe phantasia & opinio, ex iis phantasiam quã etiam appellat euidentiam, perpetuò dicit esse veram. Quomodo enim primæ affectiones, nempe voluptas & dolor, constant ex efficientibus, & ideo sunt efficientes: & neque id quod efficiens voluptatis vnquam contingit non esse iucundum: neque id quod præbet dolorem, non esse asperum & molestum: sed necesse est & quod delectat esse iucundum, & quod dolore afficit esse molestum & asperum: ita etiam in visionibus affectionum quæ sunt in nobis, id quod est vniuscuiusque eorum efficiens, est omni ratione & omnino eiusmodi vt cadat sub phantasiam. Quod quidem cùm cadat sub phantasiam, non contingit re vera id non esse eiusmodi cuiusmodi videtur, nempe efficiens phantasiæ. Simile cogitandum est etiam in singularibus. Nam quod est aspectabile, non solùm videtur aspectabile, sed est etiam tale quale videtur. Et audibile non solùm videtur audibile, sed est etiã re vera tale. & in aliis similiter. Sunt ergo omnia visa vera, & rationi conuenientia. Si enim vera videtur phantasia, aiunt Epicurei, quando fuerit ex eo quod est, & conuenienter ei quod est: omnis autem phantasia est ex eo quod cadit sub phantasiam, quod quidem est, & ei conuenienter consistit quod cadit sub phantasiam, necessariò vera est omnis phantasia. Nonnullos autem decipit differentia eorum visorum quę videtur incurrere ab ipso sensili, vtpote aspectabili, quo videtur subiectum alterius coloris, aut alterius figurę, aut aliquo alio modo mutatum. Existimarunt enim, ex his visis quæ sic differunt & inter se pugnãt, aliquod quidem esse verum: quod est autem ex contrariis, falsum. quod quidem est stultum, & hominum qui non considerãt rerum naturam. Non enim totum cernitur solidum, vt verba faciamus in aspectabilibus, sed color solidi, sicut in iis quæ ex propinquo cernuntur & ex mediocri interuallo. Quod est autem extra solidum, & in iis locis quæ sunt deinceps subiectum, sicut in iis quæ ex longo cernuntur interuallo, id in eo quod intercedit mutatũ, & propriam suscipiẽs figuram, tale reddit visum, quale ipsum quoq; re vera subiicitur. Quomodo ergo neque vox exauditur quæ est in ære quod pulsatur: neque quæ in ore eius qui est vociferatus, sed quę in nostrum sensum incurrit: & quomodo nemo dicit eum qui paruã

Asclepiades medicus tollebat principem animæ partẽ.

Sextus scripsit commentarios medicos.

Phantasiam, quã etiã appellat euidentiã, dicit Epicurus esse perpetuò veram.

στερέμνιον.

Color cernitur, non ipsum solidum.

Quod videtur extra solidum, mutatur in spatio quod intercedit.

Vox quænam audiatur, nempe quæ nostrũ sensum incurrit.

ex interuallo audit vocem, falsò audire, quoniam cùm propè venerit, eam apprehendit tanquam maiorem: ita nec visum falli dixerim, quòd ex longo interuallo paruam videat turrim & rotũdam, ex propinquo autem maiorem & quadratam, sed potius esse verum, quoniam & aliquando paruum videtur sensile & huiusmodi figuræ, motu per aërem confractis finibus qui sunt in simulachris: & aliquando rursus similiter magnum & alterius figuræ, cùm iam vtrunque non sit idem. hoc enim est de cætero peruersæ opinionis, existimare quòd idem sit quod ex propinquo, & quod procul cernitur. Proprium autem sensus est visus, id solum apprehẽdere quod est præsens & quod ipsum mouet, vtpote colorem: non autem discernere quòd aliud est quod hic, aliud verò quod hic est subiectum. Quamobrem phantasię quidem propterea sunt omnes veræ. sed opiniones habent aliquam differentiam. Ex iis enim aliæ quidem sunt veræ, aliæ verò falsæ, quandoquidem nostra iudicia sunt in visis. iudicamus autem alia quidem rectè, alia verò prauè, aut quòd visis aliquid addamus & attribuamus: aut quòd iis aliquid adimamus, & communiter mentiamur de sensu experte rationis. Ex Epicuri ergo sententia, opinionum alię quidem sunt veræ, aliæ verò falsæ. Veræ quidem, quibus adtestatur euidentia: falsæ verò, aduersus quas fertur testimonium, & non adtestatur euidentia. Est autem adtestatio quidem, comprehensio per euidentiam, quòd id quod opinamur, tale sit quale opinamur: vt Platone procul accedente, coniicio quidẽ & opinor ex interuallo quòd sit Plato. Cùm autẽ ipse appropinquarit, fit adtestatio quòd sit Plato, sublato interuallo: tulit autem testimonium ipsa euidẽtia. Aduersus aliquid autem non ferre testimonium, est consequẽtia eius quod constituitur & quod venit in opinionem, quod est incertum & non euidens, per id quod apparet: vt Epicurus dicẽs esse inane, quod quidem est incertum & non euidens, hoc probat per rem euidentem, nempe per motum. Nam si non sit inane, nec debet esse motus, cùm corpus quod mouetur, non habeat locum in quo se sistet, cùm omnia sint plena & solida. Quo fit vt aduersus id quod opinione conceptũ est incertum & non euidẽs, non ferat testimonium id quod videtur, cùm sit motus. Quod autem aduersus aliquid fert testimonium, pugnat cum eo quod aduersus aliquid non fert testimonium. est enim confutatio eius quod videtur, per id quod est cõstitutum incertum & non euidens: vt, Stoicus dicit non esse inane, censens id esse aliquid incertum & non euidens. Cum eo autem sic constituto, debet simul refelli

Visus non fallitur, sed fallitur opinio.

Visus quid sit proprium.

Opinionũ aliæ veræ, aliæ falsæ.

Euidentia quænã sit adtestatio.

Inane probat Epicurus per rẽ euidentem, nempe per motum.

refelli id quod videtur, nempe motus. Nam si non sit inane, necessariò ne erit quidem motus, eo modo qui nobis fuit prius declaratus. Similiter autem & quod pro aliquo non fert testimonium, aduersatur attestationi. In id enim cadit, vt per euidentiam non sit id quod opinione concipitur tale quale cōcipiebatur opinione: vt, quopiam procul accedente, coniicimus propter interuallum eum esse Platonem. sed ablato interuallo, cognouimus per euidentiam quòd nō sit Plato. Fuit autem hoc quod non fert testimonium. Non enim quod concipiebatur opinione, tulit testimonium ab eo quod videbatur. Quamobrem attestatio quidem, & quod aduersus aliquid non fert testimonium, est id quo iudicatur aliquid esse verum. Pro aliquo autem non ferre testimonium, & aduersus aliquid ferre testimonium, est per quod iudicatur esse falsum. Omnium autem basis & fundamentū est euidentia. Ex Epicuri ergo sententia est eiusmodi id quod iudicat. Aristoteles autem & Theophrastus, & communiter Peripatetici, cùm sit duplex in summo rerum natura, quoniam alia quidem, sicut prius dixi, sunt sensilia, alia autem quæ mente percipiuntur, ipsi quoque duplex relinquunt id quod iudicat, nempe sensum quidem sensilium, intelligentiam autē, eorum quæ mente percipiuntur. Amborum autem, vt dicebat Theophrastus, commune est id quod est euidens. Atque ordine quidem primum est id quod iudicat, quod est quidem rationis expers & non demonstrabile, nempe sensus. Potestate autem mens, siquidem secundum ordine locum videtur tenere à sensu. Nam à sensilibus quidem mouetur sensus. ab eo autem motu qui fit ex euidentia & sensu, accedit aliqua motio in anima melioribus & præstātioribus & quæ ex se moueri possunt animalibus: quę quidem apud ipsos appellatur memoria & phantasia. Memoria quidem, affectionis quæ est in sensu. Phantasia autem, sensilis quod affectionem sensui ingenerat. Quamobrem dicunt eiusmodi motionem habere proportionem & conuenientiam cum vestigio: & quomodo illud, vestigium inquam, fit ex aliquo & ab aliquo. Ex aliquo quidem, vt ex pedis impressione: ab aliquo autem, vt à Dione. ita etiam prædicta animæ motio, fit quidem ex aliquo, nempe ex affectione in sensu: ab aliquo autem, nempe à sensili, ad quod etiam conseruat quandam similitudinem. Hæc autem rursus motio, quæ vocatur memoria & phantasia, habet in se tertiam aliam accedentem motionem phantasiæ ratione præditæ, quæ accidit ex iudicio & nostra electione. quæ quidē motio appellatur cogitatio: vt quando quispiā,

Euidentia est basis et fundamentū omniū.

Iudicatorium sensiliū est sensus, intelligibilium intelligentia, vt vult Aristoteles & Theophrastus.

Euidens est cōmune sensus & intellectus.

Sensus est ordine primū iudicatoriū, mēs autē potestate.

Memoria est affectionis in sensu.

Phantasia est sensilis, quod affectionē sensui ingenerat.

Memoria & phantasia habet proportionem cum vestigio.

Cogitatio quomodo fiat in anima.

cùm ex euidentia incurrerit Dion, ſenſu quodammodo fuerit affectus & mutatus: ab affectione autem quæ eſt in ſenſu, eius animę fuerit aliqua ingenerata phantaſia. quam etiam prius dicebamus memoriam, & eſſe veſtigio ſimilem. Ex hac autem phantaſia ſibi voluntariè depingit & effingit phantaſma ſeu viſum, vt hominem in genere. Hanc enim animæ motionem, ex diuerſis applicationibus Peripatetici Philoſophi nominant cogitationem & mentem ſeu intelligentiam. ex opinione quidem cogitationem, ex euidentia autem mentem ſeu intelligentiam. Nam quando poteſt quidem anima hanc efficere effictionem, hoc eſt quando in ea fuerit, appellatur cogitatio. Quando autem experrecta iam agit, appellatur intelligentia. Ex in-

Notio, ſcientia, ars, quomodo ſint ex cogitatione.

telligentia autem & cogitatione conſiſtit notio, & ſciētia, & ars. Eſt enim cogitatio aliquando quidem formarum ſingularium, aliquando autem formarum in genere. Sed eiuſmodi viſorum intelligentiæ congeries, & ſingularium in ſummā redactio ad id quod eſt vniuersè

Notio quid ſit.

& in genere, appellatur notio. In hac autem cōgerie & ad ſummam redactione, poſtremum conſiſtit ſciētia & ars. Scientia quidem, quæ

Scientia cuiuſmodi ſit.

habet quòd ſit accurata & perfecta, & quòd labi non poſſit. Ars au-

Ars cuiuſmodi ſit.

tem, quæ non eſt omnino eiuſmodi. Quomodo autem natura ſcientiarum & artium eſt natu poſterior, ita etiam quæ vocatur opinio.

Opinio quid ſit.

Quando enim ceſſerit anima phantaſiæ ex ſenſu ingeneratæ, & viſo acceſſerit & aſſenſa fuerit, dicitur opinio. Cernuntur ergo ex iis quæ dicta ſunt, prima quæ rerum iudicant cognitionem, ſenſus & intelli-

Senſus locum tenet inſtrumenti.

gentia. Ille quidē locum tenens inſtrumenti, hęc verò artificis. Quomodo enim nos non poſſumus abſque trutina examinare grauia & leuia: neq; abſque regula accipere differentiam rectorum & peruer-

Intelligentia artificis.

ſorum: ita nec intelligentia poteſt res probare abſque ſenſu. Atque tales quidem ſunt, vt in ſumma dicam, Peripatetici. Cùm autem reſtet opinio Stoicorum, de ea deinceps dicamus. Dicunt ergo Stoici id quod iudicat veritatem, eſſe comprehendentem phantaſiam. Eam autem ſciemus, cùm prius nouerimus quídnam ſit phantaſia ex eorū

Phantaſia quid ſit apud Stoicos.

ſententia: & quænam ſint in eius forma differentiæ. Phantaſia ergo, vt ipſi volunt, eſt impreſſio in anima. de qua ſtatim diſſident. Nam

κατ᾽ εἰσοχήν τε καὶ ἐξοχήν.

Cleanthes quidem audiit impreſſionem per depreſſionem & eminentiam, quomodo etiam quæ per annulos ceræ fit impreſſionem. Chryſippus autem exiſtimabat hoc eſſe abſurdum. Nam primùm, inquit, cùm cogitatio aliquando ſimul apprehendat triangulum & quadratum, oportebit idem corpus eodem tempore diuerſas in ſe habere

habere figuras. quod quidem est absurdum. Deinde cùm simul in nobis multæ consistant phantasiæ, animam quoque habere complures effigies. quod quidẽ est priori deterius. Ipse ergo existimabat à Zenone dictam esse impressionem pro alteratione. Quo fit vt quod dicit sit eiusmodi. Phantasia est animæ alteratio, adeò vt non sit amplius absurdum idem corpus simul & eodem tempore multis in nobis consistentibus visionibus, cõplures suscipere alterationes. Quomodo enim aër simul innumerabiles & differentes suscipiens percussiones, statim multas habet alterationes: ita etiã ea pars quę principatum tenet animæ, variis visis acceptis, faciet aliquid quod cum eo proportionem habet & conuenientiam. Alij autem dicunt, nec id quod ad illum corrigendum ab eo est adductum, rectè habere. Nam si est aliqua phantasia, ipsa est impressio & alteratio animæ. Si est autem aliqua animæ impressio, illa non est omnino phantasia. Nam si fuerit aliqua in digito offensio, aut pruritus ac frictio acciderit in manu, efficitur quidem impressio & alteratio animæ, non autem phantasia ac visio: quoniam non euenit vt fiat in qualibet parte animę, sed solùm in cogitatione, & in ea parte animæ quæ tenet principatum. Quibus occurrentes Stoici, dicunt simul cum impressione animæ ostendi illud, vt in anima, adeò vt hoc sit plenum. Phantasia est impressio in anima, vt in anima. Quomodo enim ἐφηλότης dicitur albugo in oculo, nobis simul ostendentibus illud, vt in oculo, hoc est, in certa parte oculi esse albuginem, ne omnes homines habeamus ἐφηλότητα in oculo, vt quòd omnes à natura habeant albuginem in oculo: ita quando dicimus phantasiã in anima impressionem, simul ostẽdimus in certa parte animæ fieri impressionem, nempe in ea parte quæ tenet principatum. Quo fit vt si explicetur, fiat hæc definitio: Phantasia est alteratio eius partis animæ quę tenet principatum. Alij autem eadem vi moti, respondeerũt elegantius. Dicunt enim duobus modis dici animam, & quod totam continet concretionem, & seorsum eam partẽ quæ tenet principatum. Quando enim dicimus constitui hominem ex anima & corpore: aut mortem esse separationem animæ à corpore, propriè appellamus eam partem quæ tenet principatum. Similiter etiam quando diuidentes dicimus, ex bonis alia quidem esse in anima, alia autem in corpore, alia autem extra, non totam significamus animam, sed illam eius partem quę tenet principatum. in ea enim consistunt animi motus & bona. Quamobrem cùm dicit Zeno phantasiam esse in anima impressionem, audiendum est animam

Phantasia animæ alteratio.

Anima simul multas recipit alterationes, vt aer percussiones.

Phantasia est impressio et alteratio animæ, vt in anima.

Phãtasiæ definitio.

Anima dicitur duobus modis, nempe & tota, & pars quæ tenet principatum.

animam non totam, sed eius partẽ: adeò vt quod dicitur, ita habeat: Phantasia est alteratio in parte quæ tenet animæ principatum. Sed etiamsi ita habeat, dicunt nonnulli rursus esse peccatum. Nam & appetitio & assensio & comprehensio, sunt alterationes partis quæ tenet animæ principatum: differunt autem à phantasiâ. Nam illa quidem est quædam nostra persuasio & affectio: hæ autem sunt multo magis operationes quàm appetitiones. est ergo vitiosa definitio, multis & diuersis rebus congruens. Et quomodo qui hominem definiit & dixit, Homo est animal ratione præditum, non rectè descripsit notionem hominis, propterea quòd Deus quoq; sit animal præditum ratione: ita etiam qui pronunciauit phantasiam esse alterationem partis quæ tenet animæ principatum, lapsus est. Non enim magis huius quàm vniuscuiusque ex enumeratis motibus est definitio.

Phãtasiæ definitio Stoicorũ reprehẽditur.

Definitio est vitiosa, quæ multis rebus congruit.

Cùm autem tale sit argumentum quo vrgentur, rursus ad synemphases, id est simul ostensiones confugiunt Stoici, dicentes oportere in phantasiæ definitione simul audire illud, In omnibus. Quomodo enim qui dicit amorem esse applicationem animi ad conciliandam amicitiam, simul etiam ostendit illud, AEtate florentium iuuenum, etiamsi disertis verbis id non efferat (nullus enim amat ex senibus & qui non sunt in flore ætatis) ita quando dicimus, inquiunt, phãtasiam esse alterationem partis quæ tenet animæ principatum, simul ostendimus ex persuasione, non autem ex operatione fieri alterationem. Videntur autem ne sic quidem effugisse reprehensionem. Quando enim nutritur atque adeò augetur pars quæ tenet animæ principatũ, alteratur quidem ex persuasione, non est autem eiusmodi eius alteratio, etiamsi sit ex persuasione & affectione, phantasia. præterquam si rursus dicunt phantasiam esse aliquam proprietatem persuasionis, quæ differt ab eiusmodi affectionibus. aut illud, Quoniam phantasia est aut externarum affectionum, aut earum quæ sunt in nobis, quod quidem propriè apud eos appellatur, διάκενος ἑλκυσμός, id est inanis tractio, omnino in ratione phantasiæ simul ostendi, quòd fiat persuasio vel ex rerum externarũ applicatione, vel ex iis quæ sunt in nobis affectionibus. Quæ quidẽ non simul possunt audiri in alteratione quæ fit per incrementa & nutritiones. Atque est quidẽ phantasia ex Stoicorum sententia adeò difficilis ad definiendum.

Synemphases, quæ simul cum aliquo aliud ostendunt.

Phãtasiæ definitio Stoicorũ defenditur.

Amor quid sit.

Phãtasiæ definitio Stoicorũ oppugnatur rursus & defenditur.

πᾶσι.

Phantasiarum autẽ sunt etiam multæ aliæ differentiæ. sufficient autem nobis quæ sunt dicendæ. Earum enim aliæ quidem sunt probabiles, aliæ verò non probabiles, aliæ autem neque probabiles neque improbabiles. Et sunt

Phãtasiarum multæ differentiæ.

Phātaſia probabilis quænā ſit.

ſunt quidem probabiles,quę leuem & æquabilem motum faciunt in animſa:vt nunc eſſe diem,& me diſſerere,& quidquid eſt eiuſmodi vt appareat ſimiliter.

Phantaſiæ improbabiles.

Improbabiles autem ſunt, quæ non ſunt huiuſmodi,ſed nos auertunt ab aſſenſione:vt,Si eſt dies,Sol non eſt ſuper terram:Si ſunt tenebræ, eſt dies.

Phātaſiæ probabiles et improbabiles.

Probabiles autem ſunr & improbabiles,quæ ex habitudine ad aliquid aliquando ſunt tales,aliquando verò tales,vt in dubiis orationibus.

Phātaſiæ nec probabiles,nec improbabiles.

Nec probabiles autem nec improbabiles, quales ſunt huiuſmodi rerum, Stellæ ſunt pares, ſtellæ ſunr impares. Probabilium autem aut improbabilium phantaſiarum,aliæ quidem ſunt veræ,aliæ verò falſæ,aliæ aurem neque veræ neque falſæ.

Phātaſiæ veræ quænā ſint.

Atque veræ quidem ſunt, quarum poteſt vera fieri prædicatio: vt huius, Dies eſt in præſentia, & lux eſt.

Phantaſiæ falſæ.

Falſæ autem, quando poteſt falſa fieri prædicario:vr fractum eſſe remum in profundo, aut mutilā ac mancam eſſe porticum.

μείυρον.

Phātaſiæ veræ & falſæ.

Veræ aurem & falſæ:cuiuſmodi Oreſti in furore incurrit ab Electra.Nam quatenus quidem incurrebat tanquā ab aliquo quod erat, erat vera. erat enim Electra. Quatenus autem tanquam à furia, erar falſa. non erat enim à furia. Et rurſus ſi quis à Dione viuente, in ſomnis conuenitur tanquam à præſente, ſomniat falſam & inanem viſi attractionem.

ἕλκυσμα.

Phātaſiæ neque veræ nec falſæ.

Neque autem veræ neque falſæ ſunt quæ ſunt in genere. Quorum enim ſpecies ſunt tales aur tales, eorum genera non ſunt talia aut talia: vt, ex hominibus alij quidem ſunt Græci,alij verò barbari.ſed homo in genere nec eſt Græcus,nā omnes in ſpecie homines eſſenr Gręci:neque barbarus propter eandem cauſam.

Phantaſiæ cōprehendentes.

Phantaſiæ nō comprehendentes.

Ex veris autem aliæ quidem ſunt comprehendentes, aliæ verò non.Non cōprehendentes quidem,quæ incurrunt ex morbo aut animi perturbatione. Nam innumerabiles quidem phreneſi & atra bile perciti,veram quidem attrahunt phantaſiam,ſed non cōprehendentem,imò quæ ita extrinſecus occurrit & fortuitó.Quamobrem neque de ea ſæpe adſeuerant,neque ei aſſentiuntur.

Phantaſia cōprehēdēs quænam ſit.

Comprehendens autem eſt,quæ eſt impreſſa & obſignata ex eo quod eſt, & congruenter ei quod eſt: cuiuſmodi non fuerit ex eo quod non eſt. Facientes enim hanc phantaſiam eſſe ſubiectorum ſummopere apprehendentem,& quæ omnes quæ ſunt in ipſis artificioſè impreſſas habeat proprietates,dicunt eam habere vnamquanque ex iis ſibi accidentem.Primum quidem quod oriatur ex eo quod eſt. Nam multæ phantaſiæ incurrunt ex eo quod non eſt, vt in furioſis: quæ quidē minimè ſunr comprehendentes. Secundum autem,quòd & ſit ex eo quod eſt,& conuenienter ei quod eſt.Nonnullæ enim rurſus quidę

sunt ex eo quod est, sed eius quod est non repręsentant similitudinẽ: vt in furente Oreste paulò antè ostendimus. Nam visum quidem trahebat ab eo quod erat, nempe Electra: sed non id quod erat. existimabat enim eam esse vnam ex Furiis. Quamobrem eam accedẽtem & eius volentem curam gerere repellit, dicens,

Eurip. in Orest. „ *Relinque me, ex meis es vna Furiis.*

Et Hercules mouetur quidem ab eo quod erat, nempe à Thebis, sed non congruenter ei quod erat. Comprehendentem enim phantasiã oportet ei quod est esse congruentem: quinetiam esse impressam & obsignatam: vt artificiosè imprimat omnes phantasiarum proprietates. Quomodo enim sculptores attingunt omnes partes eorum quæ *Signacula annulorum assimilantur phantasiæ comprehendentes.* fiunt: & quomodo quæ per annulos fiunt signacula, cerę accuratè ac perfectè omnes imprimunt characteres: ita etiam qui subiectorum faciunt comprehensionem, debent assequi omnes eorum proprietates. Illud autem, Qualis non fuerit ab eo quod non est, addiderunt: quoniam non sicut Stoici existimant fieri nõ posse vt inueniatur aliquid quod in omnibus ab omnibus differat: ita etiã Academici. Nã illi quidem dicunt, quòd qui habet comprehendẽtem phãtasiam, artificiosè accedit ad assequendam rerum differentiam: quoniam eiusmodi phantasia habet aliquam eiusmodi proprietatem præter cæteras phantasias, quomodo Cerastæ præter alios serpentes. Academici autem dicunt contrà comprehendente phãtasia posse inueniri fal- *Stoici veteres.* sum quod nihil differat. Cæterùm veteres quidem Stoici id quo iudicatur veritas, dicunt esse hanc comprehendentem phantasiam. Re- *ἔνστημα.* centiores autem addiderunt, Et quę nihil habet quod obsistat. Non- *Stoici recẽtes.* nunquam enim incurrit quidem comprehendens phantasia, sed non *Comprehendẽs phantasia non est semper fide digna.* fide digna propter aduenientem extrinsecus circunstantiam: vt quando Hercules Alcestin è terra eductam adduxit ad Admetum, tunc Admetus traxit quidem ex Alcestide comprehendentem phantasiã, sed ei non fidebat. & quando Menelaus Troia reuectus, apud Proteum vidit verã Helenam, in naui relicto illius simulachro, pro quo conflatum fuit bellum decem annorum, ex eo quidem quod erat, & congruenter ei quod erat, & impressam & obsignatam accipiebat phantasiam: sed eam non habebat. Quamobrẽ comprehendens quidem phantasia, est iudex nihil habẽs obstaculi. Ipsi autem habebant quidem vim comprehendendi, sed erant eis obstacula. Animo enim *ἐπιστάσεις.* agitabat Admetus, quòd mortua esset Alcestis, & quòd qui est mortuus non amplius resurgat, sed aliquãdo aliqua adueniunt dæmonia.

& Me-

& Menelaus quidem cōſpiciebat quòd in naue reliquiſſet Helenam quæ cuſtodiebatur. & non eſt quidem improbabile, non eſſe Helenam quæ inuenta eſt in Pharo, ſed viſum aliquod ſeu ſpectrum ac dæmonium. Hinc autem comprehendens phantaſia non eſt abſolutè id quod iudicat veritatem, ſed tunc cùm nullum habet obſtaculū. Ipſa enim cuius ſit euidens & pellēs, propemodum à tribus, inquiunt, accipitur, nos attrahens ad aſſenſionem, & nullo alio opus eſt ad hoc vt talis incurrat, quàm vt ſuggerat eam quæ eſt ab aliis differentiam. Quamobrem omnis homo, quando ſtudet vt huiuſmodi phantaſiam accuratè & perfectè comprehendat, eam ex ſe cernitur perſequi. vt in aſpectabilibus, quando rei ſubiectæ obſcuram & exilem accipit phantaſiam. Viſum enim intendit, & accedit prope id quod cernitur vt omnino non aberret. Terit enim oculos, & vt ſemel dicam, facit omnia, donec certam & pellentem eius quod cernitur attraxerit viſionem, vt qui in ea contempletur fidem comprehenſionis. Alioqui enim dici non poteſt contrarium neceſſariò, quòd qui ab eo recedit vt cenſeat quòd phantaſia ſit id quod iudicat, ex alterius phantaſiæ ſubſtantia ita affectus confirmet quòd phantaſia ſit id quod iudicat, natura ad agnoſcendam veritatem nobis emittente tanquam lucem vim ſentiendi, & quæ per ipſam fit, phantaſiam. Eſt ergo abſurdum tantā vim abolere, & id quod eſt eorum veluti lumen, auferre. Quomodo enim qui colores quidem relinquit & eorum differentias, tollit autem viſum vt qui non ſit, vel non ſit fide dignus: & voces quidē eſſe dicit, non cenſet autem eſſe auditum, eſt ſtolidus. Nam ſi illa abſint per quæ colores & voces intelleximus, nec poterimus quidem vti coloribus aut vocibus: ita qui res quidem confitetur, ſenſus autem reprehendit phantaſiam, per quam res apprehēdit, eſt planè ſtupidus & attonitus, ſeque reddit parē inanimis. Tale eſt dogma Stoicorum. Vniuerſo autem de eo quod iudicat diſſidio propemodum oculis ſubiecto, tempus eſt vt aggrediamur contradicere, & redire ad id quod iudicat. Vt ergo dixi antea, alii quidem id reliquerunt in ratione, alij verò in ſenſibus rationis expertibus, alij verò in vtriſq;. Alij verò id à quo, vt hominem: alij verò per quod, vt ſenſum & cogitationem. Alij autem id quod eſt tanquam applicatio, ſicut phantaſiam. Tentabimus ergo, quoad eius fieri poterit, vnicuique conſtitutæ opinioni adiungere dubitationes, ne ſi viritim omnes quos enumerauimus Philoſophos, perſequamur, cogamur eadem dicere. Ordine ergo primum ponamus illud à quo, nempe hominem. Exiſtimo

enim quòd si de eo prius fuerit dubitatum, nihil amplius oportebit dicere de aliis quæ iudicat. ea enim sunt vel partes hominis, vel operationes, vel affectiones. Si ergo comprehendi potest hoc quod iudicat, longè prius debet haberi eius notio, quandoquidem omnem comprehẽsionem præcedit notio. Huc vsque autem vsuuenit vt hominis non possit haberi notio, vt ostendemus. Non est enim omnino homo eiusmodi vt possit comprehendi. Cui est consequens, veritatis cognitionem non posse inueniri, cùm id quod eam cognoscit, sit eiusmodi vt non possit comprehendi. Iam enim ex iis qui quæsierunt de notione, dubitauit quidem Socrates manens in consultatione, & dicens se ignorare quídnam ipse sit, & quemadmodum se habeat ad vniuersitatem. Ego enim, inquit, nescio an sim homo, an aliqua alia fera Typhone magis multiplex ac varia. Democritus autem qui Iouis voci assimilatur, & hæc dicit de vniuersis, conatus quidem est exponere notionem, sed de ea nihil amplius potuit pronuntiare quàm rudis & imperitus, dicens, Homo est quod omnes scimus. Nã primùm quidem canem quoque omnes scimus. sed canis non est homo. & equum omnes scimus, & plantam. sed nihil ex iis est homo. Deinde arripuit id de quo quærebatur. Nemo enim in promptu concedet cognosci qualis sit homo, siquidem Pythius ei tanquam maximam proposuit quæstionem, Nosce teipsum. Quod si etiam concesserit, non omnibus, sed iis solùm qui habent perfectam Philosophiæ cognitionem, concedet eum scire. Epicurei autem existimarunt se posse vel indicando statuere hominis notionem, dicẽtes, Homo est, id quod est tali forma præditum cum animatione. Non nouerunt autem quòd si id quod ostenditur, est homo, id quod non ostenditur, non est homo. Et rursus huiusmodi ostensio aut fit in viro, aut muliere, aut sene, aut adolescente, in simo, aut in eo qui est naso aquilino, aut in eo qui est extensis capillis, aut in eo qui crispis, & aliis differẽtiis. Et si in viro quidem indicando proferatur mulier, non erit homo. Sin autem in muliere, circunscribetur masculus, & in adolescente, reliquæ ætates excident ab humanitate. Fuerunt autem aliqui Philosophi, qui per rationem docebãt hominem in genere, & hinc existimabant existere posse notionem hominum singularium. Ex his autem, alij quidem sic definierũt: Homo est animal particeps rationis, mortale, capax intelligentiæ & scientiæ. qui ipsi quoque definierunt non hominem, sed quæ homini accidunt. Differt autem id quod alicui accidit, ab illo cui accidit. Nã si non differret, non esset accidens, sed

Hominis non potest haberi notio.

Socrates dubitabat quidnã esset, & quẽadmodum se haberet ad vniuersitatem.

Democritus quid hominem esse dixerit.

Democritus voci Iouis assimilatus.

Nosse seipsum, propositũ fuit ab Apolline Pythio.

Homo quid sit secundum Epicureos.

Hominis definitio, animal rationale, mortale, capax sciẽtiæ, est definitio non hominis sed accidentium.

ſed eſſet illud ipſum. Ex iis quidem certè quæ accidunt, alia quidem ſunt inſeparabilia ab iis quibus accidunt, vt longitudo, latitudo, & profunditas à corporibus. Nam ſi ea non adſint, ne poteſt quidẽ cogitari corpus. Alia autem ſeparantur ab eo cui accidunt: & iis recedentibus illa manent: vt currere, diſſerere, dormire, vigilare, quæ accidunt homini. hæc enim omnia nobis accidunt, ſed non ſemper. Nã & non currentes & quieſcentes manemus iidem. & in aliis ſimiliter. Cùm ergo eorum quæ accidunt duplex ſit differentia, in neutris inueniemus eandem quæ res ſubiecta, ſed ſemper differentem. Deſipiunt ergo qui hominem dicunt eſſe animal rationis particeps, mortale, & quæ ſequuntur. non enim hominem definiunt, ſed ea quæ illi accidunt enumerant. Ex quibus animal quidẽ eſt ex iis quæ illi perpetuò accidunt. Fieri enim non poteſt vt ſit homo ſi non ſit animal. Mortuum autẽ ne accidit quidem, ſed accedit homini. Quãdo enim ſumus homines, viuimus & non ſumus mortui. Ratiocinari autem & ſcientia eſſe præditum, accidunt quidem, ſed nõ ſemper. Nam & non ratiocinantes quidam ſunt homines, vt qui dulci tenentur ſomno, & qui ſcientia non ſunt præditi, humanitatem minimè amiſerunt: vt furioſi. Nobis ergo alterum quærentibus, alterum tradiderunt. Præterea animal quidem non eſt homo: alioqui omne animal eſſet homo. Rationis autem eſſe particeps, ſi ponatur pro eo quod eſt ratiocinari, Dij quoque ratiocinantes erunt homines. forte autẽ alia quoque animantia. Si autem pro eo quod eſt, voces proferre ſignificantes, coruos & pſittacos, & quæ ſunt huiuſmodi, dicemus eſſe homines. quod quidem eſt abſurdum. Præterea ſi mortale dixeris eſſe hominem, ſequetur quòd etiã bruta animantia quæ ſunt mortalia, erunt homines. Idem eſt cenſendum & de eo quod eſt raciocinari, & eſſe capax ſcientiæ. Nam primùm quidem ea etiam in Deos cadunt. Præterea ſi homo eſt eorum capax, ea non ſunt homo. Sed ille eſt eorum capax, cuius ea naturam non oſtendunt. Quanquàm nonnulli ex iis qui videntur eſſe intelligentes in hæreſi dogmatica, ad hoc occurrentes, dicunt, quòd vnumquodque quidem ex iis quæ ſunt enumerata, non eſt homo, omnia autem ſimul collecta eum faciunt. vt videmus fieri in partibus & in toto. Quomodo enim manus ſeparatim nõ eſt homo, neque caput, neque pes, neque vllum aliud ex iis: ſed quod eſt ex iis compoſitum eſt totum: ita etiam homo, neque eſt animal ſolummodo: neque ſeparatim rationis particeps: neque mortale ex circumſcriptione, ſed id quod eſt accumulatum ex omnibus. nempe animal

Accidentium alia inſeparabilia, alia ſeparabilia.

Animal eſt accidẽs homini.

Mortuum eſſe non accidit, ſed accedit homini.

Ratiocinari et ſcientia eſſe præditum homini accidunt, ſed nõ ſemper.

Animal non eſt homo.

λόγος rationẽ ſignificat et orationem, λογικὸς & eum qui ratiocinatur, & cũ qui loquitur.

Ratiocinari et eſſe capax ſciẽtiæ etiã in Deo cadunt.

In definitione hominis collectá ne omnia faciant hominem, cùm ſingula non faciant.

mal ſimul & mortale & rationis particeps. Facile autem eſt ad ea occurrere. Nam primùm quidem ſi ſeparatim vnumquodque ex iis nõ eſt homo, quemadmodum poſſunt ea ſimul collecta hominem efficere, ſi neque quatenus ſunt, ſunt ampliora, neque quatenus ſubiiciuntur, ſunt defecta, neque vllo alio modo mutata? Deinde neque omnino poſſunt omnia ſimul concurrere, vt quod conſtat ex omnibus, fiat homo. Nam mortale quidem certè quãdo ſumus homines, nobis non accidit: ſed id ſumitur ex recordatione. Cernentes enim Dionem & Theonem & Socratem, & communiter eos qui nobis erãt ſimiles, ſigillatim è viuis exceſſiſſe, ratiocinamur quòd nos quoque ſumus mortales, etiamſi nondum nobis adſit mori. nam vtique viuimus. Præterea ratiocinari aliquando quidem nobis adeſt, aliquãdo verò non. Et rurſus ſcientia eſſe præditum, non eſt ex iis quæ ſemper accidunt homini, vt iam oſtendimus. Dicendum eſt ergo neque communẽ eorum coitionem eſſe hominem. Plato autẽ peius quàm alij definit hominem, dicens: Homo eſt animal implume, bipes, latis vnguibus, capax ciuilis ſcientiæ. Vnde etiam oculis ſe offerunt quæ debent aduerſum illum dici. Rurſus enim non expoſuit hominem, ſed ea quæ illi accidunt & non accidunt. Nam animal & bipes & latis eſſe vnguibus accidunt. Ciuilis autem ſcientiæ eſſe capax, aliquãdo quidem accidit, aliquando verò non accidit. Quamobrem nobis quærentibus aliquid aliud diſcere, ipſe aliquid aliud oſtendit. Atque ſic quidem oſtenſum ſit non eſſe in promptu hominem intelligentia conſequi. Deinceps autem dicendum eſt, quòd ex dubiis quoque eſt eorum compreheñſio. & maximè quoniam ad id iam ex parte deuentum eſt. Id enim cuius notionem non aſſequimur, nec poteſt comprehendi. Hominis autẽ non poſſe haberi notionem, quod ad dogmaticorum notiones attinet, oſtenſum eſt. Homo ergo non poteſt comprehendi. Similiter autem alio quoque modo licet hæc probare. Si homo eſt eiuſmodi yt poſſit comprehendi, aut totus per totum ſeipſum quærit & comprehendit, aut eſt totus id quod quæritur & quod cadit ſub compreheñſionem. Quomodo ſi quis poſuerit viſum ſeipſum videre. aut enim erit totus videns, aut totus qui videtur: aut parte quidem ſeipſum videns, aut qui parte à ſeipſo videtur. Sed ſi totus per totum homo ſeipſum quærat & cum eo intelligatur: cum eo quòd totus per totum ſeipſum intelligit, nihil erit quod comprehenditur. quod quidem eſt abſurdum. Si autem totus ſit quod quæritur, & totus cum eo intelligatur, cum eo quod quæritur, nihil rurſus relinquetur

Ad definitionẽ non poſſunt omnia concurrere.

Mortale eſſe ſumitur ex recordatione.

Hominis definitio Platonica.

Homo non poteſt cõprehendi.

Homo non poteſt comprehẽdi, ſeu totus per totum ſe ipſum quærat, ſeu totus eſt id quod quæritur.

linquetur quod quærat,& quod ſit facturum comprehẽſionem.Præterea autem nec fieri poteſt vt in parte aliquando quidẽ ponatur totum id quod quærit,aliquando autem totum quod quæritur. Quando enim totus ponitur quærens,& cum eo totus intelligitur cum eo quod quærit,nihil omnino relinquetur quod quærat.Et cõtrà,quando totus per totum eſt id quod quæritur,non eſt id quod quærit.Reſtat ergo vt non totum ſeipſum ad ſeipſum applicet, ſed aliqua parte ſeipſum comprehendat. quod rurſus eſt ex his quæ ſunt dubia, & in quibus non eſt euadendi locus. Homo enim nihil eſt præter molem corporeã & ſenſus & cogitationem.Vnde ſi eſt aliqua parte ſeipſum comprehẽſurus, aut corpore cognoſcet ſenſus & cogitationem, aut viciſſim ſenſibus & cogitatione comprehendet corpus. Atque fieri quidem non poteſt vt corpore comprehendamus ſenſus & cogitationem. eſt enim expers rationis, & ſurdum,& non aptum natura ad huiuſmodi inquirenda. Alioqui ſi corpus vim habet apprehendendi ſenſus & cogitationem,ea apprehẽdens debet eis aſſimilari,hoc eſt, ſimiliter affici, & fieri ſenſus & cogitatio. Viſum enim apprehendens,quatenus videt, erit viſus:& ſi vim habeat comprehẽdendi guſtus, fiet guſtus. & in aliis conuenienter. Quomodo enim quod calidum apprehendit vt calidum, calefactum apprehendit: calefactum autem ſtatim eſt calidum, & quomodo quod frigidi vt frigidi efficit cognitionem, frigefactum ſtatim fit frigidum:ita etiam ſi moles carnis apprehẽdit ſenſus,eos ſentit tanquam ſenſus: ſentiens autem omnino fiet ſenſus. & ea ratione non amplius ponetur id quod quærit, ſed erit quod quęritur.& ſimul etiam planè erit ridiculum, quòd moles carnis non differat à ſenſibus & cogitatione,cùm omnes ferè qui conſtitutis dogmatibus ſunt philoſophati, in eis ſtatuerint eſſe differentiam. Eadem eſt ratio etiam in cogitatione. Nam ſi eam apprehendit carnis moles tanquam cogitationem,hoc eſt cogitantem,carnis moles erit cogitatio. Cùm autem ſit cogitatio, non erit id quod quærit,ſed id quod quæritur. Non habet ergo corpus vim comprehendendi hominis. Sed neque ſenſus. ipſi enim ſolùm patiuntur, & inſtar ceræ figuram ſuſcipiũt,nihil autem aliud ſciunt. Nam ſi eis tribuerimus alicuius rei inquiſitionem, non erunt vtique expertes rationis,ſed participes,vt quæ naturam habeãt cogitationis. quod quidem non ita habet. Si enim album & nigrum fieri,dulceque & amarum, & odore affici, & communiter pati eſt eorum proprium, quærere agendo & operando non erit eorum proprium. Deinde quomodo

Corpus non comprehendit ſenſus et cogitationem.

Senſus hominem non comprehendunt.

Senſus ſolùm patiuntur, & inſtar ceræ figurã ſuſcipiũt.

modo fieri poteſt vt per eos cōprehendatur moles carnis, cùm eius non habeat naturam, vt iam viſus quidem habet vim apprehendēdi figuram & magnitudinem & colorem? non eſt autem moles carnis, nec figura, nec magnitudo, neque color. Sed etſi videt id cui hæc accidunt, non propterea poteſt carnis molem viſus comprehēdere: ſed ſolum videt id cui hæc accidunt, nempe figuram, magnitudinem, colorem. Certè ita eſt, dicet aliquis: ſed id quod ex eis eſt collectum, eſt moles carnis. quod quidem dicere eſt planè delirātis.

Senſus molem corpoream non apprehendunt.

Figura, magnitudo, & color non conſtituūt molē corporis.

Nam primùm quidem oſtendimus, quòd nec communis quidem coitio eorum quę alicui accidunt, eſt illud cui accidunt. Deinde etiamſi hoc ita habeat, rurſus planè fieri non poteſt vt corpus cōprehendatur à viſu. Si enim corpus nec eſt ſola longitudo, neque ſeorſum figura, neq; color ſeparatim, ſed quod eſt ex his cōpoſitum, oportebit viſum apprehendentem corpus ea apud ſe ſingulatim componere: & ita cōmunem omnium congeriem corpus vocare. Sed aliquid cum aliquo componere, & cum tali figura talem accipere magnitudinē, eſt ratiocinantis facultatis, viſus autem eſt expers rationis.

Ratiocinantis facultatis eſt aliquid cum aliquo componere.

Non eſt ergo eius munus corpus apprehendere. Quanquam non ſolùm non eſt aptus ad communem coitionem intelligendam, vtpote corpus, ſed etiam eſt mancus ac mutilus ad cōprehendendum vnumquodque eorum quæ ei accidunt: vt iam longitudinē. Nam per tranſpoſitionē partium ſecundū naturam hoc ſumitur, nobis ab aliquo incipiētibus, & per aliquid, & ad aliquid deſinentibus. quod quidē non poteſt facere natura expers rationis. Deinde profunditatē. errat enim viſus circa ipſam ſuperficiem: profundum autem non ingreditur. eum quidem certè fallunt aurea ſumpta pro æneis.

Viſus errat in ſuperficie.

Dictum eſt autem etiam quòd non eſt aptus ad cognoſcendos colores, quando ſectam euertebamus Cyrenaicam. Quamobrem ſi nec ea quæ corpori accidunt viſus apprehendit, multo magis nec contēplabitur ipſum corpus. Sed neque hoc eſt munus auditus, aut odoratus, aut guſtus, aut tactus. Vnuſquiſque enim id ſolum apprehendit quod eſt ſibi ſenſile. hoc autem non eſt moles carnis. Auditus enim apprehendit ſolùm vocem. vox autē nō eſt moles carnis. Et odoratus iudicat ſolùm bene aut male olens. Sed nemo eſt adeò inſipiens, vt noſtri corporis ſubſtātiam relinquat in bene aut male olentibus.

Senſus quilibet ſuum ſenſile apprehēdit, ſenſile autē nō eſt moles corporis.

Idem dicendum eſt etiam de aliis ſenſibus, ne nimis prolixa noſtra ſit oratio. Quamobrem ipſi quidem molem carnis non apprehendunt. Sed nec ſeipſos. Quis enim viſu vidit viſum? aut quis auditu audiuit auditum? Quis autem guſtu guſtauit guſtum?

Senſus ſeipſos non apprehendunt.

guſtum? aut odoratu odoratus eſt odoratum? aut tactu tetigit tactū? hæc enim cadunt ſub cogitationem. Nec ergo dicendum eſt, ſenſus ſeipſos apprehendere. Sic ergo nec ſe inter ſe. Viſus enim audiēs auditum non poteſt videre. & contrà, auditus videns non poteſt audire viſum. & in aliis idem eſt modus argumentãdi. Nam ſi dicamus poſſe viſu comprehendi auditum vt auditum, hoc eſt vt audientem, dabimus viſum ſimiliter atque ille affici, adeò vt non ſit vtique viſus, ſed auditus. Quomodo enim poteſt ipſe auditum audientem iudicare, cùm audiendi non habeat naturam? & contrà, vt auditus viſum tanquam videntem apprehendat, oportet eum longè prius fieri viſum. hoc autem nihil poteſt eſſe abſurdius. Dicendum eſt ergo ſenſus nec corpus apprehendere, nec ſeipſos, nec ſe inter ſe. Verum eſt, inquiunt Dogmatici: ſed cogitatio & carnis molem, & ſenſus, & ſeipſam cognoſcit. quod quidem eſt ipſum quoque ex iis, in quibus non licet exitum inuenire. Quando enim cenſebunt cogitationem apprehendere totum corpus, & quæ ſunt in ipſo, rogabimus vtrum ſimul in totam incurrens carnis molem facit comprehenſionem, an partibus ſuis eaſque componens, totum comprehendit. Et in totam quidem nolent dicere, vt erit perſpicuum ex iis quæ inferuntur. Partes autem ſi dicant ipſum componere, & hinc totum cognoſcere, implicabuntur maiori dubitatione. Nam ex partibus rationis aliquæ erunt rationis expertes. Quæ ſunt autem expertes rationis, mouent citra rationem. Cogitatio ergo citra rationem ab iis mota, erit expers rationis. Si ſit autem expers rationis, non erit cogitatio. Molem ergo carnis non comprehendet cogitatio. Præterea nec ſenſus poteſt eodem modo dignoſcere. Quomodo enim non poteſt corpus comprehendere, eo quòd ipſa quidem ſit particeps rationis, illud autem careat ratione, ita rurſus non poterit ſenſus comprehendere, quandoquidem ſunt expertes rationis, & ideo ſine ratione mouebãt id quod ipſos comprehendit. Deinde ſenſus comprehēdens erit ipſa quoque omnino ſenſus. Nam vt ſenſus apprehendat tanquam ſenſus, hoc eſt ſentientes, ipſa quoque erit eiuſdem formæ cuius illi. Videntem enim viſum comprehendens, longè prius erit viſus. & auditum audientem iudicans, non erit diuerſa ab auditu. Eadem autem eſt ratio etiam in odoratu, guſtu & tactu. Sed ſi ſenſus cognoſcens cogitatio inuenitur tranſiiſſe in eandem in quos illi naturam, nullum erit amplius ſubiectum quod quærat ſenſus. Id enim quod poſuimus quærere, apparuit idem eſſe quod ij qui quæruntur. & ideo opus

Senſus ſe inter ſe non apprehendunt.

Cogitatio nec corporis molē, nec ſenſus, nec ſeipſam cognoſcit.

Cogitatio nō apprehēdit totum corpus.

Cogitatio nō comprehendit partes corporis.

Cogitatio nō comprehendit ſenſus.

Cogitatio sitne idem quod sensus, sed non eadem ratione.

Concauum et conuexum idẽ, sed non eadem ratione.

Accliue & decliue idem, sed diuersa ratione.

quoque habens eo quod ſit comprehenſurum. At verò, dicunt illi, idem eſt cogitatio quod ſenſus, ſed non eadem ratione. Nam alia quidem ratione cogitatio, alia verò ſenſus. & quomodo idem poculum & concauum dicitur & conuexum, ſed alia quidem ratione concauum, nempe intrinſecus, alia verò conuexum, nempe extrinſecus: & vt eadem via accliuis dicitur & decliuis: accliuis quidem iis qui per ipſam aſcendunt, decliuis verò iis qui deſcendunt: ita vis eadem ſeu facultas, alia quidem ratione eſt intelligẽtia, alia verò ſenſus. nec cùm ſit eadem, arcetur à prius dicta ſenſuum comprehenſione. Sunt autem admodum ſtulti ac ſimplices, & inanem edunt ſonitum aduerſus expoſitas dubitationes. Dicimus enim quòd etſi conceſſæ fuerint hæ diuerſæ vires ſeu facultates ſubiici in eadẽ eſſentia, rurſus manet eadem dubitatio quæ à nobis paulò antè fuit mota. Quæro enim id quod alia ratione dicitur eſſe intelligentia, alia verò ſenſus, quemadmodum poteſt id quod eſt quatenus intelligentia, comprehendere id quod eſt quatenus ſenſus? Nam cùm ſit rationis particeps, & eius quod eſt expers rationis faciat comprehenſionem, mouebitur citra rationem: Si moueatur autem citra rationẽ, eſt expers rationis. Cùm ſit autem eiuſmodi, non erit comprehendens, ſed comprehendetur. quod quidem rurſus eſt abſurdum. Atque per hæc quidem ſit oſtenſum, quòd homo neque per corpus poteſt ſenſus apprehendere, neque contrà per eos corpus, neque in ſe ipſos, aut ſe inter ſe. Deinceps

Cogitatio ſeipſam non cognoſcit totam.

autem eſt oſtendendum, quòd nec ſeipſam quidem agnoſcit cogitatio, vt cenſent dogmatici Philoſophi. Nam ſi mens ſeu intelligentia ſeipſam comprehendit, aut tota ſe totam comprehendet, aut non omnino quidem, ſed aliqua ſui parte ad hoc vtens. Et tota quidem ſeipſam non poſſet comprehendere. Nam ſi tota ſeipſam comprehendit, tota erit comprehenſio & comprehendens. Si totum autem ſit quod comprehendit, nihil erit amplius quod comprehẽdatur. eſt autem à ratione longè alieniſſimum, eſſe quidem eam quæ comprehendat, non eſſe autem id cuius ſit comprehenſio.

Cogitatio nec parte nec per partem cognoſcit ſeipſam.

Sed neque parte aliqua poteſt ad id vti intelligẽtia. Ipſa enim pars quomodo ſeipſam comprehendit? Nam ſi tota quidem, nihil erit quod quæritur. Sin autem parte aliqua, illa rurſus quodammodo ſeipſam cognoſcet. & ita in infinitum. Quo fit vt principio careat comprehenſio, cùm aut nihil inueniatur quod ſit primum facturum comprehenſionem: aut nihil ſit quod ſit comprehendendum. Nam ſi ſeipſam comprehendit intelligentia, ſimul etiam locum in quo eſt, comprehẽdet. Quidquid

enim

enim comprehendit, cum aliquo loco comprehēdit. Quòd si etiam locum in quo est simul comprehendit intelligentia, oporteret de eo inter se minimè dissidere Philosophos, cùm alii quidem dicant esse caput, alii verò pectus: & in forma, alii quidem cerebrum, alii verò membranam, alii autem cor, alii autem portas iecoris, aut aliquam eiusmodi partem corporis. De his autem dissident dogmatici Philosophi. Non ergo seipsam comprehēdit intelligentia. Atque sic quidem communiter in vniuerso homine dubitatum sit de eius quod iudicat inquisitione. Quoniam autē Dogmaticis est tantus sui amor, vt aliis quidem non concedant iudicium veritatis, sed se solos eam dicant inuenisse, agè in ipsis sistentes orationem, doceamus quòd ne sic quidem possit inueniri aliquid quod iudicet veritatem. Vnusquisque ergo eorum qui censent se verum inuenisse, aut dictione seu affirmatione solùm pronunciat, aut assumit demonstrationem. Sed dictione aut affirmatione non dicet. Aliquis enim ex iis qui ipsis aduersantur, proferet dictionem seu affirmationem quæ censeat contrarium: & sic non erit ille magis fide dignus quàm iste. Nudæ enim affirmationi parem vim habet nuda affirmatio. Sin autē cum demonstratione, hoc pronunciat id quod iudicat, rectè sané. Sed vt sciamus rectam esse demonstrationem, qua vtens id quod iudicat se pronunciat, debemus habere id quod iudicat, & oportet prius nobis de ea constare. Non habemus autem certum, & de quo constet id quod iudicat. Rursus quoniam qui seipsos dicunt esse à quibus iudicetur veritas, proficiscuntur à diuersis hæresibus, & ideo inter se dissentiunt, oportet nobis adesse aliquid quod iudicet, quo vtentes iudicabimus dissensionem, ad hoc vt aliquibus quidem assentiamur, aliquibus verò minimé. De eo ergo quod est iudicaturum, aut dissentiunt omnes qui dissentiunt, aut de eo solo inter eos conuenit. Et si de eo quidem omnes dissentiunt, erit id quoque pars dissensionis. pars autem eius nō potest esse id quod iudicat, sed ipsa quoque opus habet vt iudicetur non secus atque tota dissensio. Neque enim fieri potest vt idem probet & probetur. Sin autem de omnibus non dissentitur, sed in vno consentitur, in dissensionē minimè opus est eo, quod sit probaturum: & propterea id quod iudicat de quo consentitur, cùm præter illud non sit aliud, opus habebit vt iudicetur. Cùm autem opus habeat vt iudicetur, non erit id quod iudicat. Quod autem est inter omnia præcipuum, si aliquem ex Dogmaticis dicimus esse iudicem veritatis, & eam esse apud illū solum, aut hoc dicemus

Quod cōprehendit, cum loco comprehendit.

De cogitationis & intelligentiæ loco dissident Philosophi.

Φάσις.

Dogmatici sensu solo vtātur affirmatione seu etiam demonstratione, apud eos non inuenietur iudicatorium veritatis.

Iudicatorium veritatis nō potest esse inter philosophos qui inter se dissentiunt.

Index veritatis nō potest esse vllus dogmaticus.

aſpicientes ad ætatem: aut minimè quidem ad ætatem, ſed ad laborem: aut ne ad eum quidem, ſed ad intelligentiam & ingenij acumē: aut nequaquam quidem ad intelligentiam ingeniique acumen, ſed ad multorum teſtimonium. Sed nec ætas, neque labor ac diligentia, nec aliquid ex iis quæ dicta ſunt, attendendum eſt in veri inquiſitione. Non ergo dicendum eſt, vllum eſſe Philoſophum à quo de veritate feratur iudicium, vt oſtendemus.

Aetas non eſt attendenda in iudicio veritatis.

Atque ætas quidem non eſt attendenda, quandoquidem plures ex Dogmaticis erant ferè ætate æquales, quando ſeipſos dicebāt eſſe iudices veritatis. Omnes enim ætate prouecti, vt exempli gratia, Plato, & Democritus, & Epicurus, & Zeno, ſibi attribuerunt inuentionem veritatis. Deinde minimè eſt alienum, ſicut cernimus in cōmuni vitæ conſuetudine, quòd adoleſcentes ſint ſæpe ſenibus intelligentiores, eodem modo ad conſequēdam quoque Philoſophiam aptiores fuiſſe iuuenes quàm ſenes.

Adoleſcentes ſunt ſæpe ſenibus intelligentiores.

Aſclepiades Medicus dicebat iuuenes ſenibus præſtare ingenij acumine.

Nam nonnulli quidem, ex quorum numero eſt Aſclepiades Medicus, diſertis verbis dixerunt longè abeſſe ſenes à iuuenum intelligentia & ingenij ſolertia. multorum autem eorumque minus prudentũ falſa opinione res contrà ſe habere eſt exiſtimata. Nam propter diuturnam ſenum experientiam, viſi ſunt iuuenes longè abeſſe ab eorũ intelligētia, cùm res longè aliter ſe habeat. Nam longè quidē maiorem, vt dixi, experientiam habent ſenes, non tamen iuuenibus ſunt intelligentiores.

Senes experientia antecellunt iuuenibus non ingenio.

Non ergo propter ætatem dicendum eſt vllum ex Dogmaticis eſſe iudicem. Sed neque propter laborem & diligentiã. Omnes enim ſunt ex æquo laborioſi ac diligentes: nec eſt vllus, qui cùm ad certamen deſcenderit veritatis, & ſe eam dixerit inueniſſe, euerſus ſit propter ſocordiam. Cùm ergo omnium hac in re teſtata ſit æqualitas, eſt iniquum declinare ad vnum ſolũ.

Labor & diligētia par eſt eorum qui quærunt veritatē.

Similiter nec propter intelligentiam eſt alter alteri præferendus. Nam primùm quidē fuerunt omnes intelligentes, & non alij quidem hebetes, alij verò ingenioſi. Deinde ſæpe qui videntur eſſe intelligentes, defendunt non veritatem ſed falſum. Ex Oratoribus quidem certè, eos qui falſi ſunt patroni, & efficiunt vt non minus eis fides habeatur quàm vero, dicimus eſſe & vi dicendi præditos & ingenioſos: contrà autem qui non ſunt tales, tardos, indoctos, & non intelligentes. Fortaſſe ergo in Philoſophia quoque, ex iis qui quæſierunt veritatē, ij qui ſunt quidem maximè intelligentes, eo quòd valeant ingenio, videntur eſſe apti ad perſuadendum fidemque faciendam, etiam ſi falſum defendant. Qui autem minus valent ingenio, non ſunt apti ad fidem faciendam,

Ingenioſiores ſæpe non veritatem defendunt, ſed falſum.

ciendam, etiam si sint veri propugnatores. Neque ergo propter ætatem, neque propter laborem ac diligentiam, neque propter intelligentiam, par est alterum alteri præponere, & dicere illum quidem dixisse verum, hunc verò minimè. Restat ergo vt attendamus multitudinem eorum qui sunt in eadem sentētia. Fortè enim dixerit quispiam eum esse optimum iudicem veritatis, cui plures communi sententia ferunt testimonium. quod quidem est delyrum, & iis deterius quæ prius reprehendentes ostendimus non habere vim iudicandi. Nam vt alia prætermittamus, pares sunt iis qui de re aliqua in eadem sunt sententia, ij qui contrà sentiunt: vt Aristotelicis Epicurei, & Epicureis Stoici, & in aliis similiter. Si ergo est optimus ac præstantissimus is qui verum perspexit, quoniam idem censent omnes ab eodē profecti, cur magis hunc quàm illum dicemus esse optimum ac præstātissimum, & qui de veritate iudicet? vt Epicurum, propterea quòd multi vno consensu de eo dicant quòd verum inuenerit. Cur magis Epicurum quàm Aristotelem? An quoniam non sunt pauciores qui eum protegunt? Verumenimuero sicut rursus in vsu vitæ fieri potest vt vnus intelligens sit melior multis insipientibus, ita etiam in Philosophia non est alienum, vt vnus sit prudens & ideo fide dignus, multi autem nugatores & ideo minimè fide digni, etiam si communi consensu alicui ferant testimonium. Nam rarus quidem est intelligens, multi autem sunt imprudentes & temerarij. Deinde etiam si attendamus consensum & plurium testimonium, rursus reducimur ad id quod est proposito contrarium. Necessariò enim iis qui de re aliqua consentiunt, plures sunt qui de ea dissentiunt. Quod autem dico fiet manifestius, si nobis proprium positum fuerit exemplum. Esto ergo, ita enim ponamus, iis qui in vnaquaque philosophantur hæresi, esse plures qui in Philosophia Stoicam sectantur hæresim. Dicant ergo ij vno consensu, Zenonem inuenisse verum, alium autem nullum. Aduersus eos ergo loquentur Epicurei: falsum autem dicere dicent Peripatetici: contradicent autem Epicurei, & vt semel dicam, omnes qui sunt ex aliis sectis. Quo fit rursus, vt ij qui cōmuni consensu prætulerunt Zenonem, cum iis collati qui communi cōsensu dicunt non esse Zenonem qui iudicet, inueniantur longè pauciores. Nam hoc ipso si oportet ferre sententiam pro iis qui communi consensu de re aliqua pronunciant, quando fuerint multi, nullum dicendum est inuenisse verum. Nam cuilibet qui laudatur ab aliquo, multi sunt ex aliis sectis qui repugnant. Quod autem omnia maximè cōplectitur,

Iudex veritatis non est dicendus, cui plures cōmuni sententia ferunt testimonium.

qui de aliquo conſentiunt vt qui vera dixerit, aut differentem habent affectionem in qua cōſentiunt, aut nequaquam differentem, ſed vnā & eandem. Sed differētem quidem minimè habere poſſunt, alioqui oportebit eos omnino diſſentire. Si autem vnam habeant, in pari erunt loco quo is qui contrarium pronunciat. Quomodo enim ille vnam habet affectionem per quam eis reſtitit, ita iſti quoque habent illi parem. adeò vt ad fidem faciendam ſit decætero ſuperuacanea & redundans multitudo. Nam ſi, vt ita ponamus, eſſet vnus ex ipſis qui hoc diceret, tantundem poſſet atque omnes. Sed ſi qui veritatē inuenit in Philoſophia, aut propter ætatem, aut propter laborem & diligentiam, aut propter intelligentiam, aut quòd multos haberet teſtificantes, rectè dicitur id aſſecutus: nos autem oſtendimus, quòd propter nullum eorum dicendum ſit per eum iudicari veritatem, dicendum eſt quòd inueniri non poteſt id quod in Philoſophia habet vim iudicandi. Nam ſi is qui dicit eum eſſe per quem iudicatur veritas, dicit quod ſibi videtur, & cōtrarium ei quod prius eſt prolatum, dicendum eſt quòd cùm id quod eſt huiuſmodi, eſt ex æquo omnibus, non poterimus definitè dicere aliquem eſſe per quē iudicatur. Nam ſi iſte eſt fide dignus, quòd ipſi videatur eum eſſe per quem iudicatur, fide dignus erit etiam ſecundus, quoniam ipſi quoque videtur eum eſſe per quem iudicatur: & ſic tertius, & cæteri. Cum quo ſimul infertur, neminem eſſe definitè à quo iudicetur veritas. Praeterea aut dictione ſeu affirmatione dicit quiſpiam ſe eſſe à quo iudicatur, aut vtens eo quod iudicat. Sed dictio quidem ſeu affirmatio dictione ſeu affirmatione cohibebitur. vtens autem eo quod iudicat, euertetur. Aut enim ab eo diſſentit id quod iudicat, aut cum eo conſentit. Et ſi quidem diſſentit, non eſt fide dignum, quoniam diſſentit ab eo qui ſeipſum exiſtimat eſſe id quod iudicat. Sin autem conſentit, opus habet iudice. Quomodo enim is qui pronunciat ſeipſum eſſe id quod iudicat, non eſt fide dignus, ita etiam qui dicit id quod iudicat cum ipſo conſentire (habet enim quodammodo vim eandē) opus habebit alio quod iudicet. Quidquid enim opus habet vt iudicetur, ex ſe non erit fide dignum. Rurſus qui dicit ſe eſſe id quod iudicat, aut dictione ſeu affirmatione hoc cenſet, aut demonſtratione. Et dictione quidem ſeu affirmatione nō poteſt propter eas quas dixi cauſas. Si autem demonſtratione, omnino quoniam plus quàm par ſit recta eſt hæc demonſtratio, aut dictione ſeu affirmatione dicitur, aut demonſtratione, idque in infinitum. Propterea ergò dicendum

Indicatorium non habet, qui dicit ſe iudicare veritatem.

eſt

eſt fieri non poſſe vt inueniatur id quod iudicat veritatem. Sic quoq; rogatur. Qui verum iudicare profitentur, debent habere id à quo iudicetur veritas. Hoc ergo à quo ea iudicatur, aut eſt eiuſmodi vt nō iudicetur, aut eſt iudicatum. Et ſi eſt quidem eiuſmodi vt non iudicetur, vnde habebit quòd ſit fide dignum? Nihil enim ex iis de quibus dubitatur, eſt fide dignum niſi iudicetur. Sin autē eſt iudicatum, rurſus id quod ipſum iudicat, iudicatum eſt, an non? & ſic in infinitum. Rurſus id quod iudicat, ſi de eo dubitetur, opus habet aliqua demonſtratione. Sed quoniam ex demonſtrationibus aliæ quidem ſunt veræ, aliæ verò falſæ: debet etiam quæ aſſumitur ad probandū id quod iudicat demonſtratio, confirmari per aliquod quod iudicat. Quo fit vt incurratur in eum modum qui eſt alter per alterum, cùm id quidē quod iudicat, expectet vt probetur per demonſtrationem: demonſtratio autem expectet vt confirmetur ab eo quod iudicat: neutrum autem eorum poſſit probari per alterum: & alioqui idem eſt & fide dignum & non fide dignum. Fide quidem dignum id quod iudicat, quoniam iudicat demonſtrationem: & demonſtratio, quoniam demonſtrat id quod iudicat. Non fide autem dignum, id quidem quod iudicat, quoniam demonſtratur ante demonſtrationem. Demonſtratio autem, quoniam iudicatur ante id quod iudicat. Atque ignoratio quidem eius quod eſt primum iudicans, nempe illius à quo, per hæc apud Scepticos vocatur in dubium. Poteſt autem facilè quoque explicari de ſecundo ratio. Illius inquam per quod. Si enim homo inuenit verum, aut hoc inuenit ſolùm vtens ſenſibus, aut cogitatione, aut vtroque ſimul, nempe & ſenſibus & cogitatione. Sed neque vtens ſolis ſenſibus poteſt verum inuenire, neque cogitatione per ſe, neq; communiter ſenſibus & cogitatione, vt oſtendemus. Non ergo poteſt homo ſua natura verum inuenire. Atque ſolis quidem ſenſibus non poteſt verum apprehēdere, ſicut prius oſtendimus, & nunc etiā nonnihil dabimus adminiculi. ſunt enim natura expertes rationis, & cùm nihil aliud poſſint quàm imprimi ab iis quæ cadunt ſub phantaſiam, ſunt omnino minimè appoſiti ad verum inueniendum. Non ſolùm enim eo quod album, aut eo quod dulce reddit, moueri oportet id quod ſumpturum eſt veritatem in ſubiectis, ſed etiam duci ad eius rei viſionem, nempe hoc eſt album, & hoc eſt dulce: & in aliis ſimiliter. Non eſt autem munus ſenſus ad eam rem applicari. Colorem enim ſolùm & ſaporem & vocem poteſt ſua natura apprehendere. Hoc autem eſt album, aut hoc eſt dulce, cùm neque ſit color neque

Per quod verum inueniatur nihil eſt.

Solis ſenſibus verum non poteſt apprehendi.

Senſus ſenſilia tantùm apprehendunt, nō ſubiecta ſenſilium.

Sensus sunt fallaces.

neque sapor, sensu non potest apprehendi. Falluntur autem in multis sensus, & inter se dissident, vt ostendimus per sequentes decem modos qui sunt apud AEnesidemum. Quod autem dissentit & dissidet, non est id quod iudicat, sed opus habet eo quod ipsum iudicet. Non possunt ergo sensus verum per se iudicare : & opus est intelligentia & memoria ad apprehendenda subiecta, nempe hominem, plantam,& similia. Coloris enim cum magnitudine & figura & aliquibus aliis proprietatibus compositio est homo. Componere autē aliquid memoriter non potest sensus, propterea quòd neque color, neque sapor,neque vox sit additio,quæ quidem sola potest sensus apprehendere. Sed neque cogitatio. Nam si verum cognoscit cogitatio,debet prius seipsam cognoscere. & vt architectus cognoscit rectum & obliquum, etiam absque probatione eorum quæ iudicant, nempe regulæ & circini : ita etiam cogitationem,si quidem est prædita vi diiudicandi veri & falsi, oporteret prius suam coniectare naturam,habitum præterea,& locum in quo est,& alia omnia. Minimè autem potest hæc perspicere: siquidem nōnulli putant eam nihil esse aliud quàm aliquo modo affectum corpus,sicut Dicæarchus : alij autem dicebant quidem esse, sed non in eodem loco contineri: sed alij quidem extra corpus, vt AEnesidemus ex sententia Heracliti : alij autem in toto corpore ex sententia Democriti : alij autem in parte corporis. quorum rursus sunt multiplices variæque sententiæ. Et alij quidem eam differre à sensibus, vt plures : alij autem eam esse sensus, & per sensuum instrumenta tanquam per quædam loca prospicere & se exerere. Cuius sectæ auctor fuit Strato Physicus & AEnesidemus. Non est ergo cogitatio id quod iudicat:& plures sunt cogitationes. Cùm sint autem plures, discrepant. Cùm autem discrepent, opus habent eo quod sit eas iudicaturum. Hoc ergo aut rursus est cogitatio, aut aliquid præter eam. Et non est quidem cogitatio. Nam cùm fuerit pars dissensionis ac discrepantiæ, opus habebit vt iudicetur, & non erit vtique id quod iudicat. Cùm autem sit aliud præter ipsam, id ostendit cogitationem non esse id quod iudicat. Licebit autem nobis in præsentia vti rationibus quæ ab illis dictæ sunt. Nobis enim non necesse est eadem dicere. Ad hæc accedit, quòd quoniam non solùm est nobis vis cogitandi, vt volunt plurimi Philosophi, sed etiam vis sentiendi, quæ sita est ante vim cogitandi, necessariò hoc ipsum propositum non sinet cogitationem externa apprehendere. Quomodo enim corpus quod incurrit inter visum & aspectabile, nequa-

Sensus opus habent intelligentia & memoria ad apprehendenda subiecta.

Sensus non potest cum alio componere.

Cogitatio verum non cognoscit.

Cogitatio se ipsam non cognoscit.

De cogitatione, & vbi ea sita, sunt variæ Philosophorū sententiæ.

Sensus non sinit cogitationē externa apprehendere.

nequaquam ſinit aſpectabile à viſu apprehendi: ita ſi inter cogitationem & externum aſpectabile ſitus eſt viſus, cùm ſit expers rationis, non ſinet viſus cogitationem apprehendere externum aſpectabile: & oportet inter cogitationem & externum audibile eſſe qui cognoſcat: & in aliis ſenſibus ſimiliter. Intus ergo incluſa cogitatio & obſcurata ſenſibus, nihil apprehendet externum. Nec ergo dicendum eſt eam eſſe id quod iudicat. Reſtat ergo vt dicamus vtrunque; nempe cogitationem ſenſu tanquam miniſtro vtentem, externa apprehendere. quod rurſus non poteſt fieri. Senſus enim non oſtendit externa cogitationi, ſed ſuam oſtendit affectionem: vt tactus igne fotus non reddit cogitationi externum ignem ardentem, ſed quod ab eo efficitur fomentum, hoc eſt propriam ſuam affectionem. Imò ne hoc quidem. Nam ſi mentis agitatio apprehendat affectionem ſenſus, erit ſenſus. Nam quod eſt capax videndi affectionis, mouetur ad videndum. Quod autem mouetur ad videndum, eſt viſus: & quod eſt capax audiendi affectionis, mouetur ad audiendum. Quod autẽ mouetur ad audiendum, eſt auditus. & in aliis ſenſibus ſimiliter. Quãobrem cogitatio quoque ſi vniuſcuiuſque ſenſus ſuſcipit affectionem, mouetur ad ſentiendum. Si autem ad ſentiendum mouetur, eſt ſenſus. Si ſit autem ſenſus, eſt expers rationis. Si ſit autem expers rationis, eò redibit vt amittat eſſentiam intelligentiæ. Si non ſit autem intelligentia, non accipiat affectionem ſenſus vt intelligentia. Quòd ſi etiam acceperit affectionem ſenſuum, non cognoſcet externa. externa enim ſunt diſſimilia iis quæ ſunt in nobis affectionibus: & multum differt phantaſia ab eo quòd cadit ſub phantaſiam: vt quod ex igne exiſtit viſum, ab igne. nam ignis quidem vrit: phantaſia autem non habet vim vrendi. Et alioqui etiam ſi dederimus externa eſſe ſimilia iis quę ſunt in nobis affectionibus, non omnino quę ſunt in nobis affectiones ſuſcipiens cogitatio, comprehendet externa. Nam quæ ſunt aliquibus ſimilia, ſunt alia ab illis quibus ſunt ſimilia. Quãobrem ſi quæ ſunt externis ſimilia cognoſcit, non cognoſcit externa, ſed quæ ſunt illis ſimilia. & quomodo qui ignorat Socratem, Socratis autem aſpicit imaginem, neſcit an Socrates ſit ſimilis ei quæ cernitur imagini: ita cogitatio ad affectiones ſe applicans, cùm externa non viderit, nec ea quidem qualia ſint cognoſcet, nec quòd ea ſint ſimilia affectionibus. Non cognoſcens autem ea quæ videntur, nec obſcura incertaque cognoſcet quæ ſunt cognoſcẽda ex tranſitu ab eis. Ita nihil erit à quo iudicetur veritas. Sed nonnulli ex Dogma-

Cogitatio ſenſus miniſterio externa nõ apprehendit.

Senſus non poteſt cogitationi ſuã oſtendere affectionem.

ὁρατικῶς.

Cogitatio licet accipiat ſenſuum affectionem, non cognoſcit externa.

Phantaſia differt ab eo quod cadit ſub phantaſiam.

Similia ſunt alia ab iis quibus ſunt ſimilia.

ticis, eam quæ ſuperius dicta eſt coniunctionem, adhuc in præſentia iactant, dicentes, non eſſe ſeparatas differẽtes has partes animæ, nempe rationis participem, & expertem rationis : ſed vt mel totum per totum ſimul eſt humidum & dulce, ita etiam animam totam per ſe totam ſibi inter ſe aduerſantes habere facultates, quarum alia quidẽ eſt particeps rationis, alia verò rationis expers. & moueri quidem rationis participem ab iis quę cadunt ſub intelligentiam: rationis autem expertem apprehendere ſenſilia. Stultum itaque eſſe dicere, cogitationem aut communiter animam non poſſe apprehendere alteram harum rerum differentiam. Nam cùm differentem habeat conſtitutionem, ſtatim etiam vtrunque apprehendet. Sunt autem admodum inſipientes: eæ enim facultates etſi maximè videantur in eadẽ conſiſtere eſſentia, & ſibi inter ſe aduerſari, & per totam peruadere animam, nihilo ſecius inter ſe differunt quatenus ſunt diuerſorum generum. & hæc quidem eſt aliud, illa verò aliud. idque licet diſcere ex iis quæ videntur eſſe euidentiora. Multa enim ſunt quæ in eadem cernuntur materia, non habent autem eandem naturam. Nam grauitas quidem & color, ambo ſunt in eodem corpore, inter ſe autem differunt. Et rurſus figura & magnitudo accidunt quidem eidem eſſentiæ, habent autem ſeparatam naturam, cùm aliud quidem intelligatur magnitudo, aliud verò figura. ita etiam prius dicta rationis facultas, etiam ſi ſit permiſta cum ea quæ eſt expers rationis, poteſtate tamen rurſus ab ea differet. Cui deinceps ſimul erit conſequens, non poſſe alteram ſimiliter moueri atque alteram, & ſimiliter affici, propter eas cauſas quæ ſunt prius enumeratæ. alioqui oportebit ambas eſſe vnam, ratiocinantem quidem eſſe expertem rationis ſi afficiatur citra rationem: rationis autem expertem eſſe ratiocinantem, ſi mota ſit ratiocinando. Quòd ſi etiam poſuerimus cogitationem, per ſenſuum meatus tanquam per aliqua foramina proſpicere, & abſq; ſenſibus qui ante eam ſiti ſunt ad res externas ſe applicare, dubia nihilo minus inuenietur etiam hac ratione poſitio. Oportebit enim eam ſic ſubiecta apprehendere. Nihil autẽ eſt euidens, vt oſtendemus. Non poteſt ergo fieri vt apprehendatur verum quod eſt in ſubiectis: cenſetur enim ab aduerſariis id eſſe euidens, quod ex ſe ſumitur, & nullo alio eget ad probationem. Nihil autem habet à natura vt à ſe ſumatur, ſed ſumuntur omnia ex affectione, quæ quidẽ eſt alia ab eo quod cadit ſub phantaſiã, quod eam efficit. Dulcedine enim affectus melle adhibito, coniicio quòd ſit dulce mel extrà ſitum. & igne admoto calefa-

Partes animæ, nempe rationis particeps & expers rationis, ſintne ſeparatæ, an non.

Quæ ſunt in eadem materia, non eandẽ habent naturam.

Permiſtæ facultates diuerſæ diuerſas habẽt motiones.

Euidens nihil eſt.

Sumi natura nihil ex ſe poteſt, ſed ſumuntur omnia ex affectione.

calefactus, noto ex ea quæ in me exiſtit affectione, quòd ignis extrà poſitus eſt calidus. Et in aliis ſenſilibus eadem eſt ratio. Quoniã ergo quod ex alio ſumendum eſt, conſtat in omnibus eſſe incertum: omnia autem ſumuntur ex noſtris affectionibus, cùm ſint ab eis diuerſa, omnia quæ ſunt extrà, ſunt incerta, & ideo nobis ignota. Ad ea enim cognoſcenda quę ſunt incerta & non euidentia, oportet adeſſe aliquid euidens. Quòd ſi id non adſit, perit etiam illorum comprehenſio. Neque enim licet dicere, quòd illa quidem, quod ad hoc attinet, ſunt incerta & obſcura, à nobis autem cõprehenduntur, propterea quòd ſit firma ac ſtabilis quæ ex affectionibus fit adnotatio.

Ex affectionibus non fit certa & ſtabilis adnotatio.

Non enim ſi dulcedine afficior melle guſtui adhibito, omnino eſt mel dulce: neque ſi amarore adhibito abſinthio, amarum eſt abſinthium, tanquam hæ affectiones nobis neceſſariò accidant, & debeãt accedere cauſis quæ eas efficiunt.

Affectiones non accedunt cauſis quæ eas efficiunt.

Quomodo enim flagrum quod in carnem incurrit, dolore quidem carnem afficit, non eſt tamen dolor: & quomodo cibus aut potus voluptate afficit eum qui comedit aut bibit, non eſt autem voluptas: ita etiam ignis poteſt quidem calefacere, non autem neceſſariò eſſe calidus: & mel dulcedine quidem afficere, non autem etiam eſſe dulce. In aliis quoque ſenſilibus eadem eſt ratio. Sed quomodo vt cognoſcamus verum, oportet aliquid eſſe euidens: oſtenſum eſt autem omnia eſſe incerta & obſcura, confitendum eſt ignotum eſſe verum. Quomodo autem non etiam de rebus ſummis diſſenſio apud Philoſophos, aufert notitiã veritatis?

Diſſenſio Philoſophorum aufert notitiam veritatis.

Si enim ex Phyſicis alij quidem ſuſtulerunt omnia quæ videntur, vt Democritus: alii autem omnia poſuerunt, vt Epicurus & Protagoras: alij autem nonnulla quidem ſuſtulerunt, nonnulla verò poſuerunt, vt Stoici & Peripatetici, omnino autem ſeu cogitationem, ſeu ſenſum, ſeu vtrunque ſimul poſuerit quiſpiam id quod iudicat, oportet primum ad ea iudicanda aut aſſumi aliquid quod apparet, aut quod eſt incertum & obſcurum: ſed vt quod ſit quidem id quod apparet, minimè poteſt fieri. Nam cùm ſit ex ea de qua dubitatur materia, erit dubitabile, & ideo non erit id quod iudicat. Quod ſi ſit incertum & obſcurum, res ſunt euerſæ. ſiquidem ex eo quod non cognoſcitur, confirmatur id quod videtur cognoſci. quod quidem eſt abſurdum. Sed conceſſa ſit ſubſtãtia hominis & ſenſuum & cogitationis, ad hoc vt procedat quod volunt Dogmatici. Sed vt etiam per hæc cognoſcatur aliquid, oportet fateri tertium quod iudicat, nempe phantaſiã. Neque enim ſenſus neque intelligẽtia poteſt ad aliqua ſe applicare,

Nec ſenſus nec intelligẽtia ad aliquid ſe

applicat, nisi id phantasticè alteretur.

nisi phantasticè seu per visionem alterentur. Hoc autem iudicans est plenum multa dubitatione, vt licet considerare iis qui ex alto duxerint initium orationis. Quoniam enim ex iis qui in rebus diiudicandis phantasia vtuntur tanquam regula, alii quidem attenderunt comprehendentem, alii verò probabilem, nos commune vtriusque, nempe phantasiam ipsam, tollamus de medio. Ea enim sublata, tolluntur etiam phantasiarum quæ sunt in specie differentiæ: & quomodo si non sit animal, nec est homo: ita si non sit phantasia, nec comprehendens aut probabilis consistit phantasia. Si enim impressio in anima est phantasia, aut est per eminentiam vel internam depressionem, vt existimat Cleanthes: aut per nudam alterationem, vt opinatus est Chrysippus. Et si consistit quidem per eminentiam & internam depressionem, ea sequentur absurda quæ dicit Chrysippus. Si enim instar ceræ imprimitur anima, phantasticè seu per visionē patiens, semper vltima motio obscurat priorem phantasiam, quomodo etiam typus prioris signaculi delet priorē. Sed si ita est, tollitur quidem memoria, quæ tanquam thesaurum recondit visiones. Tollitur autem omnis ars, est enim conuentus & collectio comprehensionum. Plures autem & diuersæ phantasiæ seu visiones fieri non potest vt consistant in principe animæ facultate, cùm aliter & aliter in ea intelligantur typi. Non est ergo phantasia quæ propriè intelligitur impressio. Sed quomodo si quæ apparent sunt visio eorum quæ sunt incerta & non apparentia: cernimus autem corpora eorum quæ apparent, longè crassiora spiritu, quæ nullum typum posse in se conseruare, consentaneum est nec ipsum quidem spiritum posse custodire vnam solam phantasiæ impressionem. Atqui aqua est crassior spiritu: sed si in eam firmiter immissus fuerit digitus, nunquā visa est custodiens quæ ex firma illa immissione fit impressionē. Quanquam quid dico aquā, cùm etiam mollissima cera, cùm iam sit solida ex concretione, ab aliquo quidem simul ac cogitarit imprimitur propter humorem: sed non continet figuram. Si ergo ipsum corpus, quod si comparetur cū aqua, est concretum, est admodum impotens in se aliquas conseruare figuras, est euidēs quòd nec spiritus aptam ad hoc habet naturam, cùm sit subtilior & magis fluidus quàm hæc corpora. At, inquient, phantasia non est propriè impressio, sed sola mentis alteratio. quod rursus est longè peius priore. Nam ex alterationibus alia quidem est ex affectione, alia autem vt subiecti mutatio. Et ex affectione quidē, vt si eadem & essentia & forma subiecta statua, vicissim aliquando

Phantasia nihil est, si ea sit impreßio.

ἐξοχὴν ἢ εἰσοχήν.

Cleanthes dicebat phantasiam esse in anima impressionem.

Chrysippus dicebat phantasiam esse per mentis alterationem.

Phantasia nihil est, si sit mētis alteratio.

Alterationum alia est ex affectione, alia ex subiecti mutatione.

quidem

quidem caleſcat ſole illucente, aliquando autem frigeſcat noctu rore decidente. Vt mutatio autem ſubiecti, vt ſi hæc fuſa ſtatua fiat globus æneus. Si ergo phantaſia eſt alteratio animę, aut ex ſola affectione eſt alteratio, aut ex mutatione ſubiecti. Et ſi ex affectione quidẽ: quoniam ex viſionum diuerſitate diuerſa eſt affectio, noua affectio mutat veterem: & ita nõ detinebitur res aliqua in cogitatione. quod quidem eſt abſurdum. Sin autem ſubiecti mutatio, ſimul atque anima alicuius rei viſum acceperit, alterata deſinet eſſe anima, & interibit. quomodo fuſa ſtatua & ad globum redacta tunc deſinit eſſe ſtatua. Phantaſia ergo nõ eſt animæ alteratio. ad quod accedit etiam, quòd eos premit de mutatione dubitatio. Nam ſi mutatur aliquid & alteratur, aut id quod manet mutatur & alteratur, aut id quod nõ manet. Sed nec id quod manet alteratur & mutatur. manet enim in ea in qua erat eſſentia. Neque id quod non manet. interiit enim & eſt mutatum, non autem mutatur: vt ſi mutatur album, aut manens album mutatur, aut non manens. Sed neque manens albũ mutatur. manet enim album, & quatenus eſt album non mutatur. Neque non manens. interiit enim & eſt mutatum, non autem mutatur. Non ergo mutatur album. Quamobrem phantaſia quoque, ſi eſt aliqua mutatio & alteratio animæ, non poteſt conſiſtere. Et ſi detur alteratio, non ſtatim etiam concedetur phantaſiam conſiſtere. Dicebatur enim eſſe impreſſio principis animæ facultatis. Nondum autem conſtat an ſit princeps facultas animæ, & in quo loco ſita ſit: cùm alii quidem dicant non eſſe omnino principem animæ facultatem, vt Aſclepiades: alii autem eſſe quidem putent, non conſentiant autem de loco qui eam continet. Quamobrem quoniam non poteſt diiudicari hæc diſſenſio, ſuſtinenda eſt aſſenſio: quo fit vt non ſit concedendum phantaſiam eſſe impreſſionem principis animæ facultatis. Cõcedatur autem eam eſſe impreſſionem principis animæ facultatis. Sed quoniã eiuſmodi impreſſio non aliter enũtiatur principi animæ facultati niſi per ſenſum, vt viſum, auditum, aut aliquam aliam eiuſmodi facultatẽ, quæro, cuiuſmodi eſt in ſenſu alteratio, an etiam ſit eiuſmodi in principe animi facultate, an diuerſa. Et ſi eſt quidem eadem, quoniam vnuſquiſque ſenſus eſt expers rationis, id quoque quod alteratur, carebit ratione, & non differet à ſenſu. Sin autem diuerſa, non tale ſumetur id quod cadit ſub phantaſiam, quale ponitur: ſed alterum quidem erit ſubiectum, differens autem quæ conſiſtit in principe animę facultate phantaſia. quod rurſus eſt abſurdum. Non ergo dicendum

Mutatio nulla eſt.

Aſclepiades negabat principem animæ facultatem.

est phantasiam esse hanc impressionem & alteratione͂ principis animæ facultatis. Ad hęc accedit, quòd si phãtasia est effectus eius quod cadit sub phantasiam, id quoque quod cadit sub phantasiam, est causa phantasiæ, & habet vim imprimendi sentienrem facultarem, & differr effectus à causa quæ ipsum efficit. Vnde quoniam mens ad visa applicatur, visorum accipiet effectus, non autem ea quæ extrinsecus eadunt sub phantasiam. Quod si quispiam dicat eam se applicare ad ea quæ sunt extrinsecus ex iis quæ in ipsis sunt effectionibus & affectionibus, aggrediemur easdem quas prius dubitariones. aut enim ea quæ sunt extrà, eadem sunr quæ nostra visa ac phantasiæ: aut non sunt eadem, sed similia. Quomodo enim potest mente concipi idem esse eausam, & sui effectum? Sinautem similia: quoniam quod alicui est simile, est diuersum ab illo cui est simile, sciet mens ea quæ sunt similia iis quæ veniunt sub phanrasiam: ad quod accedit quòd hoc quoque sit dubium. Quemadmodum enim sciėr cogitatio, quòd quę cadunr sub phantasiam, sunt similia phantasiæ? Nam aut hoc ipsum cognoscet absque phantasia, aut aliqua phantasia. Et vt sine phantasia quidem cognoscat, fieri non potest. Nihil enim sua natura potest accipere cogitatio cuius non apprehendat visum seu phantasiam. Sin autem phantasia: omnino hęc phantasia vt cognoscatur an sit similis ei quod cadit sub phantasiam quod illam efficit, debet illam accipere, & subiectum quod cadit sub phanrasiam. Sed subiectum quidem quod cadit sub phantasiam, fortasse poterit phantasia apprehendere, cùm sit illius: se ipsam autem quomodo apprehendet? Et quoniam alterum quidem est quod cadit sub phantasiam, est enim alterum à phantasia, phanrasia autem est alterum, est enim effectus, erit idem à seipso alterum, causa simul & effectus. quorum vtrunque est alienũ à ratione. His autem motis dubitationibus, trãseuntes etiam ad concessionem quòd sit phantasia eiusmodi qualem eã volunt esse Dogmatici, aliter dubitemus. Si enim accipiẽda sit phantasia vt quæ iudicandi vim habeat, aut omnem veram dicendum est esse phantasiã, vt dicebat Protagoras: aut omnem falsam, vt dicebat Xeniades Corinthius: aut aliquam quidem veram, aliquam verò falsam, vt Stoici & Academici, & pręterea Peripatetici. Sed nec omne͂ dicendum esse veram, neque falsam, neque aliquam quidem veram, aliquam verò falsam, vt ostendemus. Non ergo dicendum est phantasiam esse quę iudicet. Atque omnem quidem phantasiam non dixeris esse veram propter conuersione͂, vt Democritus & Plato Protagoræ repugnantes

Phantasia neque omnis vera, neque omnis falsa, nec aliqua vera nec falsa.

Omnis phantasia non est vera propter conuersionem.

tes docebant. Si enim omnis phantaſia eſt vera, etiam non omnem phantaſiam eſſe veram, vt quod ex phantaſia conſiſtat, erit verum. & ita omnem eſſe veram phantaſiam, erit falſum. Quinetiam abſque hac conuerſione, eſt præter ea quæ cernuntur, & præter euidentiam dicere omnem phãtaſiam eſſe veram, cùm multæ ſint admodum falſæ. Non enim ſimiliter mouemur ad hoc, Dies eſt in præſentia: & ad illud, Nox eſt: & ad hoc quòd Socrates viuit, & quòd ſit mortuus: neque ea parem afferunt euidentiã. Sed quòd dies quidem nunc ſit, & quòd Socrates ſit mortuus, videtur eſſe credibile. Quòd autem ſit nox & viuat Socrates, non eſt æquè credibile, ſed videntur eſſe ex iis quæ non ſunt. Eadem quoque oratio ex rerum conſequentia & repugnantia eſt vera & falſa. Ei enim quòd dies eſt, eſt apertè conſequens quòd ſit lux: & ad id quòd tu ambulas, ſequitur quòd tu mouearis. Cum eo autem quòd eſt dies, euidenter pugnat quòd ſit nox: & cum eo quòd tu ambulas, pugnat quòd tu non mouearis. & poſitio vnius eſt ſublatio alterius, ſi aliquid conſequitur, & pugnat omnino alterum cum altero. Si eſt autem aliquid pugnans cum altero, non omnis phantaſia eſt vera. Quod enim pugnat cum aliquo, pugnat tanquam verum cum falſo, aut tanquam falſum cum vero. Et ſi omnia viſa contingit eſſe vera, nihil eſt nobis incertum aut obſcurũ. Nam ſi cùm aliquid ſit verum & falſum, deinde ignoretur quid ſit verum & falſum, conſiſtit quod nobis eſt incertum & non euidens. Et qui dicit, Eſt mihi incertum, ſtellas eſſe pares aut impares, perinde eſt ac ſi dicat ſe neſcire vtrum ſit verum & vtrũ falſum ſtellas eſſe pares aut impares. Quamobrem ſi omnia ſunt vera, & omnes phantaſiæ ſunt veræ, nihil eſt nobis incertum & non euidens. Si autem nihil eſt nobis incertum & non euidens, omnia ſunt certa & euidentia. Si ſunt autem omnia euidentia, nihil licebit quærere, nec de aliquo dubitare. Quæritur enim & dubitatur de re incerta & non aperta, non autem de euidenti. Eſt autem abſurdum tollere inquiſitionem & dubitationem. Non eſt ergo vera omnis phantaſia. nec ſunt omnia vera. Pręterea ſi omnis phantaſia eſt vèra, & omnia ſunt vera: neque verum licet dicere, neque non errare, neque vlla eſt doctrina, nec error, nec ars, nec demonſtratio, nec virtus, neque aliquid aliud ex iis quæ ſunt. Conſideremus autem id quod dicitur. Si enim omnis phantaſia eſt vera, nihil eſt falſi. Si autem nihil eſt falſum, neque falſum dicere licebit, neque errare, nec eſſe expertem artis, neque malum. Vnumquodque enim eorum adhæret falſo, & in eo accipit ſubſtan-

Omnem phantaſiam eſſe veram eſt præter euidentiam.

Omnem phantaſiam veram eſſe, falſum eſſe oſtenditur ex eo quòd oratio eſt vera et falſa ex rerum conſequentia & repugnantia.

Omnis phantaſia ſi ſit vera, nihil eſt incertum et non euidens.

Si omnis phantaſia eſt vera, tollitur omnis doctrina, & ars, et virtus, et demonſtratio.

ſubſtantiam. Si autem nemo ſit qui falſum dicat, nec erit aliquis qui verum dicat:& ſi nemo ſit qui erret, nec erit aliquis non errans. Similiter & ſi non ſit expers artis, ſimul etiam perimitur artifex:& ſi non ſit ſtulrus, ſapiens. ea enim intelliguntur ex comparatione. Et quomodo ſi non ſit aliquod dextrum, nec eſt ſiniſtrum: & ſi non ſit quod eſt infrà, non eſt quod eſt ſupra:ita ſi non ſit alterum ex iis quæ aduerſanrur,nec conſiſtit reliquum. Peribit autem etiam demonſtratio & ſignum. Nam hæc quidem eſt demonſtratio quòd ſit verum, non autem falſum. Nam ſi nihil ſit falſum,non opus erit eo quod ſit doc̃turum quòd non ſit falſum. Signum autem & indicium profitetur ſe vim habere aperiendi eius quod eſt incertum & non obſcurũ. Si ſunt autẽ omnia vera & per ſe aperta,non opus habemus eo quod indicet id quod non cognoſcitur,ſítne verum an falſum. Quanquam quid ea perſequimur, cùm neque animal,neque mundus communiter ponetur, ſi conceſſum fuerit omnes phantaſias ſeu viſa eſſe falſa. Nam ſi omnia ſunt vera, omnia erunt nobis euidentia. Et ſi hoc ita ſit, erit etiam hoc rec̃tum & verum, omnia nobis eſſe incerta & non euidentia, cùm ſit vnum ex omnibus. Cùm ſit autem verum quòd omnia ſunt incerta & non euidentia, neque animal, neque plantam admittemus nobis videri. quod quidem eſt abſurdum. Propter hæc ergo omnia dicẽdum eſt, non omnia viſa eſſe vera & credibilia, ſed nec omnia falſa propter cauſas quæ proportionem habent & conuenientiam. Nam omnia eſſe falſa habet eandem vim quam omnia eſſe vera. Quamobrem poterunt etiam omnia quæ à nobis prius dic̃ta ſunt,ad eandem transferri conditionem. Nam ſi omnia viſa ſunt falſa,nullum etiam erit verum. & ita reducetur ad contrarium ſui propoſiti Xeniades,dicens omnia viſa eſſe falſa,& nihil omnino eſſe veri in rebus. Quomodo enim fieri non poteſt,vt qui in parte dicit eſſe aliquid veri, non etiam verum definiat: vt quando dicimus primum eſſe falſum,de primo quidem dicimus ipſum eſſe falſum: falſum autẽ primum ponimus. Quamobrem enuntiare,aliquid eſt verum,tãtum poteſt ac ſi dicas primum eſſe falſum. Igitur ſimul atque dicimus aliquid falſum,neceſſariò definimus etiam eſſe verum. Licet autem hic rec̃tè quoque docere,quòd viſorum euidenres ferè ſunt differentiæ, quòd aliæ quidem noſtram attrahunt aſſenſionem, aliæ verò repellunr. & nec omnia communiter attrahunt, nec omnia ſimul repellunt. Nam ſi nulla eſſet differentia,ſed omnia ex æquo eſſent incredibilia aut credibilia,neque eſſet ars,neque inertia:non laus, non reprehen-

Signum et indicium quidnã profitentur.

Si omnis phãtaſia eſt vera, nõ eſt animal, neq; mundus.

Xeniades dicebat omnia viſa eſſe falſa.

Viſorum ſunt differentiæ.

prehensio, non deceptio. Nam ars quidem intelligitur & approbatio, & non posse decipi, in veris visis. Deceptio autem & reprehensio in falsis. Neque ergo dicendum est omnia esse vera & credibilia: neque omnia falsa & incredibilia. Restat ergo vt alia quidem censeant esse credibilia, alia verò incredibilia. quod quidem dicebant Stoici & Academici. Stoici quidem admittentes visa comprehendentia: Academici autem ea quæ videntur probabilia.* Hoc autem nobis accuratè & exactè considerantibus, magis optandum videtur esse quàm verum. est enim comprehendens phantasia, vt ab ea incipiamus, quæ ab eo quod est, & congruenter ei quod est, est insculpta & impressa, cuiusmodi non potest esse ex eo quod non est. Ex his alia quidem se Stoicis esse concessurum dicit Carneades. Illud autē, Cuiusmodi esse non potest ex eo quod non est, minimè posse concedi. existunt enim visa etiam ex iis quæ non sunt, tāquam ex iis quæ sunt. Quòd nullum sit autem discrimē, signum est, quòd eæ ex æquo inueniantur euidentes ac pellentes. Quòd sint autem ex æquo pellentes & euidentes, signum est, quòd adiungantur consequentes actiones. Quomodo enim in iis qui vigilant, is quidem qui sitit, potū hauriens voluptate afficitur: qui autem feram, aut aliquid aliud horribile fugit, clamat & vociferatur: ita etiam in somnis diffunduntur sitientes, & è fonte sibi videntur bibere. Conuenit quoque timor iis qui terrentur.

Visorum alia credibilia, alia incredibilia cēsent Stoici & Academici.

Phantasia cōprehendens quænam sit.

In phantasiæ comprehendentis definitione quidnam reprehēdat Carneades.

Nanque exiliit stupefactus Achilles,
Complositque manus, verbum & miserabile dixit.

Homerus.

Et quomodo cùm sumus sanæ mentis, iis quæ videntur credimus & assentimur: vt cum Dione quidem tanquam cum Dione congredimur, & cum Theone tanquam cum Theone: ita etiam nōnullis vsu-uenit in furore. Hercules quidem certè furore percitus, cùm suorum filiorum, tanquam filiorum Eurysthei visum apprehendisset, huic viso consequentem coniunxit actionem. consequens autem erat vt inimici filios interimeret, quod etiam fecit. Si sunt ergo quædam comprehendentes phantasiæ, quatenus nos adducunt ad consensum, & ad eis consequentem coniungendum actionem: quoniam falsę quoque apparent eiusmodi, dicemus phantasias quę comprehendere nō possunt, non differre ab iis quæ comprehendunt. Præterea quomodo Heros visum apprehendit ex arcu, ita etiam ex suis filiis quòd essent filij Eurysthei. vnum enim & idē visum, & similiter affecto obiiciebatur. Sed quod ex arcu quidem apprehendebatur, erat verum:

Visa furentiū et somniantiū eadē quæ eorū qui sunt sanæ mentis, & vigilantium.

quod autem ex filiis, falsum. Cùm ergo vtraque ex æquo inclinent, fatendum est alterum ab altero non dissidere. & si phantasia quæ ex arcu apprehenditur, dicitur comprehendens, quoniam eius arcui adiuncta est actio consequens, vt qui arcu sit vsus: dicatur etiam quæ ex filiis comprehensa est phantasia, ab ea non differre, quoniam ei quoque adiunctum est opus consequens, nempe oportere inimici filios interimere. Atque quòd visorum quidem comprehendentium, & visorum quæ non comprehenduntur nullum sit discrimen, ex euidenti & intensa ostenditur proprietate: nihilominus autem ostenditur Academicis etiam ea quæ est ex forma & figura. Vocant autem vt Stoici τὰ ἐπιφαινόμενα, id est quæ in superficie apparent. Quoniam enim eorum quidem quæ sunt in forma similia, in subiecto autem differunt, fieri non potest vt comprehendens distinguatur phantasia à falsa & quæ comprehendi non potest: vt si duo sint oua summè inter se similia, de ea Stoico inter se vicissim discernenda, si sapiēs coniiciens poterit dicere citra errorem, vtrum sit vnum ouum quod ostenditur, an aliud & aliud. Eadem ratio est etiam in geminis. falsum enim visum apprehendet vir bonus, & tanquam ab eo quod est, & conuenienter ei quod est, qui insculptum & impressum habet visum, si ex Castore tanquam ex Polluce visum fuerit apprehensum. Hinc certè consistit etiam quæ tecta est oratio. Si enim cùm prospexerit Draco, volumus subiectum attendere, in maiorem incidemus dubitationem: nec poterimus dicere vtrum sit idem Draco qui prius prospexit, an alius, cùm in antro multi dispersi sint Dracones. Non habet ergo comprehendens phantasia vllam proprietatem, qua differat à falsis visis & quæ non possunt comprehendi. Præterea si quid aliud aliud comprehendit, comprehendit etiam visus. Is verò non aliquid comprehendit, vt ostendemus. Non est ergo aliquid quod aliquid comprehendat. Nam visus videtur quidem apprehendere colores & magnitudines & figuras & motus. nihil autem eorum apprehendit: vt statim nobis apparebit si inceperimus à coloribus. Si ergo visus vllum comprehendit colorem, aiunt Academici, etiam colorem hominis comprehendet. Is autem non comprehenditur. Nec vllus ergo alius comprehendetur color. Quòd autem non comprehendatur, est perspicuum. mutatur enim temporibus, operationibus, naturis, circunstantiis, morbis, sanitate, somno, vigilia: adeò vt quòd sic varietur quidē sciamus, quídnam autem sit re vera, ignoremus. Ea autem ratione si is non possit comprehendi, nec vllus alius erit cognitus. Porrò autē

Visa forma & figura, similia non sunt comprehendentia.

Tecta oratio.

Visus nō comprehendit aliquid.

Visus nō comprehendit colorē hominis.

in fi-

in figura quoque inueniemus id genus dubitationem. ipsa enim lenis & aspera subiicitur, vt in picturis: rotunda autem & quadrata, vt in turribus: rectaque & fracta, vt in remo qui ex alia in aliam mutatur.

Visus nō comprehendit figuram.

Et in motu id quod mouetur & quod quiescit, vt in iis qui sedent in naui, aut stant in littore. Sed quoniam comprehendenti phantasiæ adaptatur phantasia quæ non potest comprehendi, non est comprehendens phantasia id quo iudicatur veritas. Quomodo enim quod obliquo adaptatur, eo non iudicatur rectum: ita si falsis phantasiis & quæ non possunt comprehendi, adaptatur comprehendens phantasia, vt ostendemus. A comprehendente ergo phantasia non iudicantur vera & falsa. In sorite enim vltimæ comprehendentis phantasiæ sitæ iuxta primam quæ non potest comprehendi, & quæ est ad distinguendum difficilis, dicit Chrysippus, quod in quibus quidem visis est adeò parua differentia, se sustinebit sapiens & quiescet: in quibus autem plura occurrunt, in his alteri assentietur vt vero. Si ergo nos ostenderimus multa falsa & quæ comprehendi non possunt esse sita iuxta visum comprehendens, perspicuum est nos esse probaturos, comprehendenti phantasiæ non esse assentiendum: ne si ei consenserimus, incidamus propter propinquitatē in assensionem eorum quæ sunt falsa & comprehendi nequeunt: & quòd in visis videatur maxima occurrere differentia. Quod autem dicimus, exemplo erit clarius. Ponatur enim comprehendens quidem phantasia, Quinquaginta sunt pauca, quæ videntur etiam multū separata ab hac altera, Mille sunt pauca. Quoniam ergo multum distat, Mille sunt pauca, quę non possunt comprehendi, à Quinquaginta sunt pauca, quæ est comprehendens, non assentietur sapiens, quandoquidem est multùm separata à, Quinquaginta sunt pauca, quæ est posita extremè comprehendens. Manifestum est vtique quòd assentietur illi, Mille sunt pauca. nihil enim intercedit inter hanc, & illam, Quinquaginta sunt pauca, quæ est prima quæ non potest comprehendi. Assentietur ergo studiosus phātasiæ quæ non potest comprehendi, nempe Quinquaginta sunt pauca. Et si huic assentietur quæ nullam habet differētiam ab illa Quinquaginta sunt pauca, assentietur & illi quæ comprehendi non potest, Mille sunt pauca. Omnis enim phantasia quæ non potest comprehendi, est par phātasiæ quæ comprehendi non potest. Quoniam ergo illa quidem Mille sunt pauca, quæ non potest comprehendi, est par huic, Quinquaginta sunt pauca: in nullo autem differt & est separata ab illa, Quinquaginta sunt pauca quæ est comprehendens,

Visus nō comprehendit motum.

A comprehendente phantasia non cōprehenditur vera & falsa.

Visa multa falsa, & quæ non possunt cōprehendi.

Quinquaginta pauca. Mille pauca.

par erit illi phantaſiæ quæ comprehendi non poteſt Mille ſunt pauca, hæc quinquaginta ſunt pauca, quæ eſt comprehẽdens. & ita ſimul egreditur cum falſa & quæ comprehendi non poteſt phantaſia, propterea quòd nullum eſt earum diſcrimen, ea quæ cõprehendit. Neq; enim licet dicere, non omnem quæ comprehendi non poteſt phantaſiam, eſſe parem omni phantaſiæ quæ non poteſt comprehẽdi: ſed aliam quidem magis poſſe comprehẽdi, aliam verò minus. Nam primùm quidem ſecum & cum natura rerum pugnabunt Stoici. Quomodo enim homo, quatenùs homo, non differt ab homine, neque lapis à lapide: ita nec phantaſia quæ non poteſt comprehendi, differt à phantaſia quæ non poteſt comprehendi, quatenus eſt eiuſmodi vt non poſſit comprehendi: neque falſa à falſa, quatenus eſt falſa. Hinc motus Zeno docebat peccata eſſe æqualia. Deinde eſto aliam quidem magis poſſe comprehendi, aliam verò minus: quid hoc eis poteſt opem ferre? Sequetur enim vt ei quæ eſt magis incomprehenſibilis, non aſſentiatur ſapiens: ei autem quæ minus, aſſentiatur. quod quidem eſt abſurdum. ex eorum enim ſententia iudicium minimè aberrans habet ſapiens, & eſt in omnibus diuinus, propterea quòd non opinetur, hoc eſt, falſo aſſentiatur. in quo ſita eſt ſumma infelicitas & lapſus ſtultorum. Vt ex eorum quidem ſententia ſit phantaſia vi ſentiendi, vtpote vi videndi prædita, oportet omnia concurrere, inſtrumentum, & ſenſile, & locum, & quomodo, & cogitationem. Nam ſi cùm alia adſint vnum ſolum deſit, vt cogitatio quæ ſe habet præter naturam, non erit, inquiunt, ſalua apprehenſio. Hinc etiam comprehendentem phantaſiã dicebant aliqui, non communiter eſſe id quod vim habet iudicandi, ſed ſolùm quando fuerit in recto ſtatu. hoc autem eſt ex iis quæ non poſſunt fieri. Nã præter meatuum differentias, & præter circunſtantias eius quod eſt extrinſecus, & prȩter alios plures modos, neque eædem, neque ſimiliter & eodem modo res nobis repræſentant ſimilitudinem, vt ſuperius collegimus. Quãobrem videtur quidem hoc poſſe dici, an ſit hic ſenſus, & hȩc circunſtantia: illud verò an re vera tale ſit quale videtur, aut diuerſum quidem ſit, diuerſum verò videatur, non poſſe nos aſſerere: & propterea nullam eſſe phantaſiam abſq; recto ſtatu. Quomodo autem non incidũt etiam in eum modum qui dicitur alter per alterũ? Nobis enim quærentibus quæ ſit comprehendens phantaſia, dicunt, Quæ eſt inſculpta & impreſſa ex eo quod eſt, conuenienter ei quod eſt, cuiuſmodi non eſt ex eo quod non eſt. Deinde quoniam rurſus quidquid

docetur

Phantaſia cõprehendens nõ eſt magis comprehẽdens quã alia.

Peccata eſſe æqualia vndenam motus dicebat Zeno.

Sapiens non opinatur.

Vt phãtaſia ſit vi ſentiendi prædita, quænã concurrant, ex Stoicorum ſententia.

Comprehendens phãtaſia quænã habeat vim iudicãdi.

εἰσχήματος.

Comprehendentem phantaſiã definientes Stoici, incidunt in eũ modum qui dicitur alter per alterum.

docetur ex definitione, docetur ex iis quæ cognoſcuntur, dicunt reciprocè, Id eſt, quod mouet comprehendentem phantaſiam. Quamobrem vt diſcamus quidem comprehendentem phantaſiam, debemus id quod eſt aſſumere: vt hoc autem diſcamus, ad comprehendẽtem ingredi phantaſiam: & ſic neutrum eſt manifeſtum, expectans vt alterum probetur ex altero. & quomodo in iis quæ cadunt ſub phantaſiam, alia quidem apparent & ſunt, alia autem apparent quidẽ, non ſunt autem, opus habemus aliquo vim habente iudicandi quod ſit oſtenſurum quęnam ſint quæ ſimul appareant & ſint: ita quoniam ex phantaſiis aliæ quidem ſunt comprehendentes, aliæ verò non, opus habemus aliquo habente poteſtatem iudicandi quod ſit docturum quænam eæ ſunt, & quænam ſunt incomprehenſibiles & falſæ. Hoc ergo quod vim habet iudicandi, aut fiet comprehendens phantaſia, aut non comprehendens. Et ſi quidem non comprehendens, ſequetur non comprehendentem phantaſiam, vim habere omnia, vt ſemel dicam, iudicandi. cuius eſt munus examinare etiam comprehendentem. quod nolent. Sin autem comprehendens, primum quidem eſt ſtultum. Nam hanc ipſam volebamus examinare vtrum ſit cõprehendens. Secundò autem ſi ad dignoſcendas comprehendentes & quæ comprehendi non poſſunt phantaſias, iudicem aſſumimus comprehendentem phantaſiam, oportebit etiam quòd eas re vera iudicans ſit comprehendens phantaſia, examinari per comprehẽdentem phantaſiam: & illam rurſus per aliam, & hoc vſque in infinitum. Sed fortaſſe dicet quiſpiam comprehendentem phantaſiam vim habere iudicandi eius quod cadit ſub phantaſiam, quoniam eſt ſubiectum: & ſui ipſius, quoniam eſt comprehendens. quod quidem nihil refert an dicas per reciprocationem, quòd id quod cadit ſub phantaſiam, ſit quod & ipſum ſeipſum probat & phantaſiam. Quomodo enim cùm quæ apparent ſint in diſſidio, quæritur quánam re iudicemus id quod eſt & non eſt: ita viſis non conuenientibus, conſideramus quánam re iudicabimus comprehendentem phantaſiam, & eã quæ non eſt eiuſmodi. Quamobrem cùm ſint res ſimiles, ſi ſeipſam iudicandi vim habet phantaſia, quamuis ſit diſcrepans ac diſſentiens, erit etiã id quod cadit ſub phantaſiam credibile, etiam ſi maximè diſſideat. quod quidem eſt abſurdum. Aut ſi hoc, quatenus diſſidet, opus habet eo quod ſit ipſam iudicaturum, opus habebit etiã phantaſia eo quod ſit ipſam probaturum & oſtenſurum, an ſit re vera comprehendens. alioqui ſi, vt eſt eorum ſententia, quælibet ſtulti exiſtimatio eſt ignoratio, &

Comprehendens phantaſia habétne vim iudicandi eius quod cadit ſub phantaſiam, et ſui ipſius.

Sapiens cùm non possit inueniri, neque verum inueniri potest.

Si stultus ignoret omnia, quid sequatur.

solus sapiens verum dicit, & habet firmã ac stabilem veri scientiam, sequitur vt cùm huc vsque inueniri non potuerit sapiens, necessariò verum quoque non possit inueniri, & propterea sint omnia incomprehensibilia:quandoquidem stulti omnes non habemus firmam ac stabilem rerum comprehensionem. Hoc autem cùm ita se habeat, restat vt quæ dicuntur à Stoicis aduersus Scepticos, vicissim etiam à Scepticis aduersus illos dicantur. Nam quoniam ex illorum sententia in stultorum numerum referuntur Zeno & Cleanthes & Chrysippus, & cæteri ex sectis: quilibet autem stultus tenetur ab ignoratione,omnino ignorabat Zeno an in mundo contineretur,an ipse mundum contineret: neque vtrum esset vir,an fœmina. Neque sciebat Cleanthes esséτne homo an fera aliqua Typhone magis varia ac magis multiplex. Præterea aut nouerat Chrysippus hoc dogma, cùm esset Stoicus, illud inquam, Stultus ignorat omnia: aut ne hoc quidẽ sciebat falsum esse, Stultum ignorare omnia. Si autem ne hoc quidẽ ipsum sciebat quòd omnia ignorat,quomodo de multis dogma constituit, ponens vnum esse mundum,& eum administrari prouidẽtia, & per tótum mutabilem esse eius essentiã,& alia plurima? Licet autem si velit quispiam, contrà interrogando vt mos est, ipsis quoque Scepticis alias afferre dubitationes. Sed ostensa forma argumentandi, nõ est necesse prolixa vti oratione. Aduersus eos autem qui probabiles admittunt phantasias, breuis est oratio. Hæc enim quæ vim habent iudicandi,duorum alterum,aut ad vitam traducendam existimata sunt ab eis conducibilia, aut ad inueniendam in rebus veritatẽ.

Phantasia probabilis sitne vtilis ad vitã traducendam.

διεξωδευμένη καὶ ἀπερίσπαστος.

Et si primum quidem dicãt, absurdum erit quod ab eis dicetur. Nullum enim ex his visis potest seorsum conferre ad vitam traducẽdam: sed vnicuique opus est etiam obseruatione, perquam alia quidem phantasia propter hoc est probabilis, alia verò discurrẽs & non abstracta. Statim autem labentur in veri inuentione. Neque enim probabile est solum id quod habet vim veri iudicandi.Oportet enim vt hoc inueniatur, multo prius ipsum esse discurrẽtem,propterea quòd nos omnino dum discurrimus vnumquodque eorũ, quæ in eius modo considerantur, non venimus in suspicionem, nunquid sit aliquid prætermissum eorum quæ debent ritè examinari: vtpote quòd veritatis dicta sit cognitio, cùm in mentis cogitatione euenit abstractio.

Probabilis phantasia habeátne vim iudicandæ veritatis.

In summa autem nunquid suis propriis vincuntur argumentis. Quomodo enim dicebant comprehendentem reprehendentes phantasiam, eam non esse quod habet vim iudicandæ veritatis, propterea quòd

quòd iuxta eam sitæ sint aliæ falsæ quæ minimè differunt: ita est satis verisimile, dum probabilem contemplamur phantasiam, iuxta res quas discurrimus, aliquas alias falsas esse positas: vt exempli causa, videri quidem nobis esse integros animo & corpore, non autem ita habere: aut ex symmetria quidem cum moderato spatio videri aspicere quod cadit sub phãtasiam, rem autem aliter se habere. Vt summatim autem dicam, si neque omnes phantasiæ sunt credibiles, neq; omnes incredibiles: neque aliquæ quidem credibiles, aliquæ verò incredibiles, non est phantasia vi prædita iudicandæ veritatis. Cui est consequens vt nihil sit quod iudicet: propterea quòd neque id à quo, neque id per quod, neque id cui congruenter fiat, firmam ac stabilẽ habeat cognitionem. Sed solent contra hæc obiicientes Dogmatici quærere, quemadmodum pronunciat Scepticus nihil esse quod iudicet. Aut enim hoc dicit absque iudicio, aut cum eo quod iudicat. Et si quidem absque iudicio, non erit fide dignus. Sinautẽ cum eo quod iudicat, in eum retorquebitur. & dicens nihil esse quod iudicet, fatebitur se assumere id quod iudicat ad hoc probãdum. Et rursus nobis rogantibus, Si sit quod iudicet, aut iudicatum est, aut non est iudicatum: & duorum alterum colligentibus, aut prolapsionẽ in infinitum, aut absurdè eos dicere esse quod iudicet, illi obiectioni respondentes dicunt, non esse absurdum relinquere aliquid quod ex se iudicet. Rectum enim & se probat & alia. Et ratio seu proportio & aliorum æqualitatem ponderat & suam. Et lux non solùm alia, sed se quoque cernitur aperire. Quamobrem potest id quod iudicat, & se & alia iudicare. Atque ad primum quidem dicendum est, quòd mos est Scepticorum, ea quæ creduntur non defendere, contentos autem esse communi anticipatione seu præsumptione tanquam sufficienti probatione: ea autem quæ incredibilia videntur defendere, & ad fidem faciendam eorum quæ digna sunt vt admittantur, pares vires vnumquenque adducere. Ita ergo etiam in præsentia non perimentes id quod iudicat, contra ipsum tractamus hæc quæ dicimus, sed volentes ostendere quòd non sit omnino credibile esse id quod iudicat, cùm etiam dentur argumenta in contrarium. Deinde etiam si re vera videamur perimere id quod iudicat, possumus ad hoc vti, non tãquam eo quod habet vim iudicandi, ea quæ est ad manum phantasia, per quam probabiles quæ nobis occurrunt, rationes afferentes ad hoc quòd nihil sit quod habeat vim iudicandi, exponimus quidẽ, sed hoc non facimus cum assensione: propterea quòd quæ eis opponuntur ratio-

De iudicatorio quid Empirici obiiciant Dogmatici.

Scepticorum mos ea quæ creduntur non defendere.

An sui iudicandi aliquid habeat facultatem.

rationes æquè sint probabiles. At potest, inquiūt, aliquid habere vim sui iudicandi, vt est in regula & trutina. quod quidem est puerile. est enim aliquid transcendens, quod habet potestatem iudicandi vnumquodque eorum, vt sensus & intelligentia. & ideo ad ea probanda accedimus. Eius autem de quo nunc quæritur, nihil esse volunt superius quod vim habeat iudicandi. Non est ergo credibile, nec fide dignum, cùm qui de ipso dicit, non possit de eo adtestari quòd sit verum. Atque hactenus quidem de eo quod iudicat. Cùm autem commentarius in satis magnam creuerit longitudinem, tentabimus alio sumpto principio, de ipso quoque vero præcisè dubitare.

De Vero. De Signo. De Incertis & non euidentibus.
De Demonstratione. Ex qua materia sit Demonstratio.
Quid sit Demonstratio.

QVAE dubitando quidem dici solent apud Scepticos, ad id tollendum quod habet vim iudicandæ veritatis, persecuti sumus in perfecto à nobis commentario. Cùm simul autem cum eis tradiderimus ab alto petitam ex Physicis historiam vsque ad recētiores, postremo polliciti sumus visuros nos esse de ipso vero. Implentes itaque nunc promissum, in primis consideremus. Atque si nihil quidem sit quod apertè vim habeat iudicandi, quod simul etiam necessariò incertum & non euidens sit verum, iam est omnibus perspicuum. Similiter autem licet docere & ex eo quod cadit sub mēsuram, quòd si nihil euidenter dicimus quod vim habeat iudicandi, ipsa de vero dubitatio sufficiat ad sustinendam nostram assensionem. & quomodo si in natura rerum nihil sit rectum & obliquū, nec est regula quæ ea probet & examinet: & si nullum sit corpus graue & leue, simul etiam tollitur probatio trutinæ: ita si nihil sit verum, perit etiam id quod iudicat veritatem. Quòd autem nihil sit verum aut falsum, quod attinet ad ea quę dicuntur à Dogmaticis, didicerimus, si prius examinauerimus eam quæ fuit apud eos de ea re dissensionem. Ex iis enim qui verum considerarunt, alii quidem dicunt nihil esse verum, alii autem esse. Et ex iis qui dixerunt esse, alii quidem dixerunt sola esse vera ea quæ cadunt sub intelligentiam: alii autem sola sensilia: alii autem communiter sensilia & quæ cadunt sub intelligentiam. Atque Xeniades quidem Corinthius, vt superius ostendimus, dicit nihil esse verum. Fortasse autem etiam Monimus Cynicus, qui dixit omnia esse τύφωνα, quod quidem est, opinio eorum quæ non sunt, vt quæ sunt. Plato autem

De vero Philosophorum dissensiones.

Xeniades Corinthius dixit nihil esse verũ.

Typhona quid vocet Monimus Cynicus.

tem & Democritus ea ſola exiſtimarunt eſſe vera quę cadunt ſub intelligentiam. Sed Democritus quidem, propterea quòd nihil ſubiiciatur natura ſenſile, cùm quæ omnia congregant & cogunt atomi, habeant naturam vacuam omni ſenſili qualitate. Plato autem, propterea quòd ſemper quidem gignātur ſenſilia, nunquam autem ſint, inſtar fluuii fluente eſſentia. adeò vt res eadem ne duo quidem minima tempora ſuſtineat, neque bis indicari admittat, vt dicebat etiam Aſclepiades, propter velocitatem fluxus. AEneſidemus autē & Heraclitus & Epicurus, cōmuniter delati ad ea quæ ſunt ſenſilia, in ſpecie diſſident. AEneſidemus enim dicit eſſe aliquam eorum quæ apparent differentiam. & dicit ex iis quæ communiter apparent, alia quidem apparere communiter, alia verò priuatim alicui: ex quibus, vera quidem eſſe quę communiter apparent omnibus: falſa autē quę non ſunt huiuſmodi. Vnde etiam verum dictum eſſe Græcè ἀληθὲς, quaſi μὴλῆθον, hoc eſt, non latens communem ſententiam. Epicurus autem omnia ſenſilia dicebat vera & eſſe. Non referre enim dicáſne aliquid eſſe verum, an eſſe. Hinc etiam deſcribens verum & falſum, Eſt, inquit, verum, quod ita ſe habet, vt ſe habere dicitur. Et falſum eſt, inquit, quod ita ſe habet vt dicitur ſe habere. & ſenſum apprehēdentem ea quæ ſub ipſum cadunt, & neque aufert aliquid neque addit, neque transfert & tranſponit propterea quòd ſit expers rationis, perpetuò eſſe verum, & ita rem apprehendere vt ſe habet eius natura. Ab omnibus autem ſenſilibus quæ ſunt vera, differre opinabilia. & ex iis alia quidem eſſe vera, alia verò falſa, ſicut prius oſtendimus. Stoici autem dicunt quidē ex ſenſilibus, & ex iis quæ cadunt ſub intelligentiam, aliqua eſſe vera. non directò autem ſenſilia, ſed per relationem quæ fit ad ea quæ iuxta ſita ſunt cadentia ſub intelligentiā. Verum enim eſt ex eorum ſententia, id quod eſt & alicui aduerſatur: & falſum, quod non eſt, & non aduerſatur alicui. quod quidem cùm ſit pronuntiatum incorporeum, cadere ſub intelligentiam. Atque de vero quidem prima eſt huiuſmodi diſſenſio. Fuit autem etiam quodam aliud apud eos diſſidium, per quod alii quidem conſtituerunt verum & falſum in iis quæ ſignificantur: alii autem in voce: alii autē in motu cogitationis. Atque primæ quidem ſententiæ auctores fuerunt Stoici, qui dicebant tria eſſe inter ſe coniugata, id quod ſignificatur, & id quod ſignificat, & contingens. Ex quibus, id quod ſignificat quidem, eſſe vocem: vt Dion. Quod ſignificatur autem, eſſe rem ipſam quæ ab ipſa declaratur, & quam nos quidem apprehendimus,

Intelligibilia ſola eſſe vera, dicunt Democritus & Plato.

Senſile nihil eſt natura, vt vult Democritus.

Sēſilia ſemper gignuntur, vt vult Plato, nūquam ſunt.

Vera eſſe quæ cōmuniter apparēt omnibus: falſa autē contrà, vt vult Aeneſidemus.

Verum cur Græcè dicatur ἀληθὲς.

Senſilia omnia eſſe vera volebat Epicurus.

Verū & falſum quid dicat Epicurus.

Senſus eſt ſemper verus, vt vult Epicurus.

Senſilia nō directò vera ſed per relationē ad intelligibilia, ſecundum Stoicos.

Verum quid ſit, & quid falſum ſecundum Stoicos.

Coniugata tria, quod ſignificatur, quod ſignificat, & contingens.

Quod ſignificat quod ſit.

Quod ſignificatur quid ſit.

mus, adsistit autem in nostra cogitatione: Barbari autem non intelligunt, etiam si vocem audiant. Contingens autem, subiectum quod est extrà, vt est ipse Dion. Ex his autem, duo quidem esse corporea, nempe rem quæ significatur, & rem quæ dicitur, quæ quidem est vera aut falsa. eaque non communiter vniuersa, sed alia quidem manca ac mutila, alia verò per se perfecta. & eius quæ est per se perfecta id quod vocatur pronunciatum. quod quidē describentes, dicunt: Pronunciatum est quod est verum aut falsum. Epicurus autem & Strato Physicus duo solùm relinquentes, nempe quod significat & contingens, vidētur secundam sequi sectam, & in voce verum & falsum relinquere. Nam postrema quidem opinio, dico autem eam quæ verū ponit in motu cogitationis, errare videtur more scholæ. Quamobrē huius quoque loci historia in capitibus tradita, procedamus ad singulares dubitationes. Ex quibus aliæ quidem communius tractabuntur aduersus omnes sectas expositas: priuatim autē aduersus vnamquanque. Ordine autem dicamus primum de communibus. Qui ergo verum esse dicit, si nuda dictione & affirmatione enunciat, audiet contrarium quòd nihil sit verum. Sin autem demonstrat aliquid esse verum, aut hoc demonstrat vera demonstratione, aut non vera. Sed non vera quidem non dixerint. id est enim incredibile. Sin autem vera, vndénam est quòd verum sit id quod demōstrat aliquid esse verum? Si quidem ex eo ipso, licebit etiam ex eo ipso ipsum dicere non esse verum. Sin autē ex demonstratione, quæretur rursus, quomodo sciętur quòd hoc quoque sit vęrum. & hoc sic in infinitum. Quoniam ergo vt discamus quòd aliquid sit verum, oportet prius sumi infinita, fieri non potest vt firmiter & certò cognoscatur quòd aliquid sit verum. Præterea si est aliquid verum, aut est apparens, aut incertum & non euidens, aut in aliquo quidem apparens, in aliquo verò non apparens. Sed neque est apparens, vt probabimus: nec incertum & nō euidens, vt ostendemus: nec in aliquo quidem apparēs, in aliquo verò incertum & non apparēs, vt dicemus. Non est ergo verum. Si est enim apparens, aut quidquid apparet est verum: aut aliquid apparens est verum. Sed quidquid quidem apparet non est verum. Neq; enim quod in somnis, neque quod in furore incurrit, est verum: quoniam oportebit, vt cùm de iis quæ apparent magna sit concertatio, fateantur simul esse quæ repugnant, & ex æquo esse vera. quod quidem est absurdum. Non ergo quidquid apparet est verum. Sin autem sit aliquid quidem verum apparens, aliquid autem falsum, debemus habere quod

Contingens quid sit.

λεκτὸν

Pronunciatum quid sit.

σχολικῶς ἔοικε πλαζέσθαι.

Verum nō esse quomodo probetur à Scepticis.

Quidquid apparet non est verum.

re quod vim habeat iudicandi ad diſcernendum, quidnam ſit verum apparens, & quid incertum & non euidens. Hoc ergo quod vim habet iudicandi, aut apparet omnibus, aut eſt incertum & non euidens. Et ſi eſt quidem apparẽs, quoniam non quidquid apparet eſt verum, oportebit hoc quoque quod apparet, ex alio quod apparet probari: & illud ex differenti: & ſic cadere in infinitum. Sin autẽ eſt incertum & non euidens, non erunt ea ſola quæ apparent, vera, ſed etiam quæ ſunt incerta & non euidentia. Si enim quod aſſumitur ad fidem eius quod apparet, incertum & non euidens ſumimus, aliquid incertum & ineuidens debet eſſe verum. Neque enim falſo iudicatur verum. Si quid autem incertum & non euidens eſt verum, nõ ſolum id quod apparet eſt verum, vt poſitum eſt ab initio. Deinde vndénam exiſtit quòd hoc quoque incertum & non euidens eſt verum? Nam ſi quidẽ ex eo ipſo, erunt etiam res omnes incertæ & non euidentes, ex hoc ipſo veræ. Sin autem tanquam demonſtrato, omnino aut ex incerto ac non euidenti, aut ex eo quod apparet demonſtrato erit verum. Et ſi quidem ex eo quod eſt incertum & non euidens, illud rurſus oportebit eſſe iudicatum ex aliquo alio: & tertium ex quarto: & ſic in infinitum. Sin autem ex eo quod apparet, incidemus in eum modum quo inter ſe probatur alterum ab altero. vt qui id quidem quod apparet probemus ex eo quod eſt incertum & non euidens: id autem quod eſt incertũ & non euidens, reciprocè confirmemus ex eo quod apparet. Sed ſi neque quidquid apparet eſt verũ, neque aliquid quod apparet, nihil quod apparet eſt verum. Sed neque id quod eſt incertum & non euidens. Rurſus enim ſi incertum & non euidens eſt verum, aut quidquid eſt incertum & non euidens eſt verum, aut non quidquid eſt eiuſmodi. Sed neque quidquid eſt incertum & non euidens eſt verum: neque aliquid incertum & non euidens, vt oſtendemus. Nec ergo id quod eſt incertum & non euidens eſt verum. Primùm quidem oporteret non diſsidere inter ſe Dogmaticos: vtpote alios quidem eſſe qui vnum dicunt eſſe elementum, alios verò duo, & alios quidem numerabilia, alios verò infinita & innumerabilia. Neque inter ſe ſuas falſi accuſare ſententias. Et ſi quidquid eſt incertum & non euidẽs, eſt verum, vera erunt quę inter ſe pugnant: vtpote ſtellas eſſe pares & impares. ex æquo enim ſunt incerta & nõ euidentia: & omnia incerta & non euidentia erunt vera. Quæ autem inter ſe pugnant, non poſſunt eſſe vera. Non ergo omnia quæ ſunt incerta & non euidentia, ſunt vera. Iam verò neq; vlla ex iis quæ ſunt

incerta & non euidentia sunt vera. Nam hoc quidē incertum & non euidens esse verum, hoc autem falsum, aut ex eo ipso dicitur, & absq; eo quod possit iudicare, aut cum eo quod possit. Et si ex eo tantùm dicitur quod est in promptu, nihil poterimus dicere aduersus eū qui contrarium verum esse pronunciat. Sin autem cum eo quod vim habet iudicandi, id omnino aut est apparens, aut incertum & minimè euidens. Et si quidem est apparens, falsum erit id quod positum est ab initio, solum esse verū id quod est incertum & nō euidens. Deinde id quoque quo iudicamus id quod apparet, vnde existit quòd sit verum? Si quidem ex eo ipso: etiam quòd non sit verum, vt quod ex eo ipso dicatur, erit credibile. Sin autem ex eo quod apparet, illud quoque quod apparet, ex alio quod apparet sumetur. & vsque in infinitum. Sin autem ex incerto & non euidenti, constituetur modus quo alterum inter se probatur ex altero: cùm neque id quod apparet posſimus habere credibile, absque eo quod est incertum & non euidens: neque id quod est incertum & non euidens, firmum ac validū absque eo quod apparet. Igitur nec id quod est incertum & non euidens, potest esse verum. Restat ergò vt id quidem dicamus esse verum, quod in aliquo apparet, in aliquo autem est incertum & nō euidens. Si enim id quod apparet, quatenus apparet, ponimus esse verum, aut quatenus non omne. Et si id quidem quod est incertum & non euidens, quatenus est incertum & non euidens ponitur esse verum: aut quatenus quidquid est incertum & non euidens verum est, ponitur esse verum: aut quatenus non quidquid est incertum & non euidens. & deinde incidemus in easdem dubitationes. Vnde si neq; id quod apparet est verum, neque id quod est incertum & non euidens: neque id quod in aliquo quidem apparet, in aliquò autem est incertum & non euidens: præter hęc autem nihil est aliud, necessariò nihil est verum. Nonnulli autem inferunt etiam dubitationem ex eo quod est in genere supremum, nēpe ex ente, hoc est id quod est. hoc enim est quidem genus quod omnia transcendit. ipsum autem nulli alteri submittitur. Aut ergo hoc est verum aut falsum: aut verum simul & falsum: aut neque verum neque falsum. Et si est quidē verum, erunt omnia vera, quatenus sunt eius species. Et quomodo quandoquidem genus hominum est homo, etiam qui in specie sunt, sunt homines: & quoniam est rationis particeps, singulares homines sunt rationis participes: & quoniam mortalis, similiter mortales: ita si omnium genus est verum, necesse est etiam quæcunque sunt esse vera.

Ens genus transcendens sitne verū aut falsum, aut v-trunque simul.

Ens in summo genere non est verum.

Si autem

Si autem ſunt omnia vera, nihil erit falſum. Sin autem non ſit falſum, nec erit verum, vt prius admonuimus, oſtendentes vtrunque eorum intelligi ex comparatione cum altero. Et alioqui cùm ſint omnia vera, ponemus omnia quę inter ſe pugnant, eſſe vera. hoc autem eſt abſurdum. Non eſt ergo verum id quod eſt in ſupremo genere. Sed neque falſum propter ſimiles dubitationes. Nam ſi eſt falſum, erunt omnia falſa quæ partem eius habent aliquam. Partem autem eius habent aliquam & corpora & incorporea. erunt ergo omnia falſa. Ei autem quòd eſt, Omnia eſſe falſa, conſequentes erunt quæ proportione conueniunt dubitationes. Reſtat ergo vt dicamus idem eſſe ſimul verum & falſum: & neque verum neque falſum. quod quidẽ eſt peius iis quæ prius ſunt demonſtrata, propterea quòd ei ſit conſequens, omnia ſingularia eſſe vera ſimul & falſa. quod quidem eſt abſurdum. Non eſt ergo aliquid verum. Præterea verum aut eſt ex iis quæ ſunt ex differentia & natura, aut ex iis quę referuntur ad aliquid. Nihil eſt autem ex iis, vt oſtendemus. Non eſt ergo verum. Ex differentia quidem & natura non erit verum, quandoquidem quod conſiſtit ex differẽtia & natura, ſimiliter & eodem modo mouet eos qui ſunt ſimiliter affecti: vt calidum, nõ ſi ad alium quidem referatur, eſt calidum, ad alium autem frigidum: ſed ad omnes qui ſimiliter affecti ſunt, eſt calidum. Verum autẽ non ſimiliter & eodem modo mouet omnes. Sed idem, vt ad hunc quidem, videtur eſſe, vt ad alterum autem, falſum. Non eſt ergo verum ex iis quæ conſiſtunt ex differentia & natura. Si autem eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid, quoniam ea quæ referuntur ad aliquid, ſolùm intelligentia percipiuntur, non autem ſunt: omnino verum ſolummodo verſabitur in intelligentia, nõ autem erit. Et alioqui ſi verum eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid, erit idem ſimul verum & falſum. Nam ſicut idem eſt dexterum & ſiniſtrum: ad hoc quidem dexterum, ad alterũ verò ſiniſtrum: & quomodo idem dicitur ſurſum & deorſum: Surſum quidem, ſi referatur ad id quod eſt infrà: deorſum autem, ſi ad id quod eſt ſuprà: ita dicemus idem ſimul eſſe verum & falſum. & ſi ita ſit, non magis erit verũ quàm falſum, non autem verum. Vi autẽ ac poteſtate AEneſidemus quoq; ſimiles ponit dubitationes. Nam ſi eſt aliquid verum, aut eſt ſenſile, aut cadit ſub intelligentiam: aut & cadit ſub intelligentiam, & eſt ſenſile: aut neque eſt ſenſile, neque cadit ſub intelligentiam: neque vtrunque ſimul, vt oſtendemus. Non eſt ergo aliquid verum. Atque quòd nõ ſit quidem ſenſile, ſic conſiderabimus: Ex ſenſilibus

Ens in ſupremo genere non eſt falſum.

Ex differentia eſſe, & natura eſſe.

Verum neque eſt ex iis quæ ſunt natura, neque ex iis quæ ſunt relata.

Relata ad aliquid percipiuntur intelligentia, non ſunt autem.

AEneſidemus quomodo probet non eſſe verum.

Genera quænam ſint. Species quænam ſint.

alia quidem ſunt genera, alia verò ſpecies. Et genera quidem ſunt communitates quæ permeant in ſingularibus: vt homo qui peruaſit per ſingulos homines:& equus qui per ſingulos equos. Species autẽ, quæ ſunt in vnoquoque proprietates: vt Diònis, Theonis, aliorũ. Si ergo verum eſt ſenſile, id eſt omnino aut multorum cõmune ſenſile, aut ſitũ in vniuſcuiuſque proprietate. Sed nec eſt cõmune, nec ſitum in proprietate. Non eſt ergo verum ſenſile. Præterea quomodo aſpectabile quidem viſu poteſt comprehendi, audibile autem eſt notum auditu, odorabile autem odoratu: ita etiam ſenſile ſenſu communiter cognoſcitur. Non cognoſcitur autem communiter ſenſu. eſt enim ſenſus expers rationis:& verum abſque ratione minimè cognoſcitur. Non eſt ergo verum ſenſile. Sed neque cadit ſub intelligentiam. alioqui nihil erit verum ex ſenſilibus. quod rurſus eſt abſurdum. Aut enim ab omnibus communiter percipi poterit intelligentia, aut priuatim ab aliquibus. Sed nec fieri poteſt vt verum ab omnibus communiter percipiatur intelligentia, neque priuatim ab aliquibus. Nam nec ab omnibus poteſt communiter intelligi:& vt priuatim intelligatur ab aliquo aut aliquibus, eſt incredibile, & repugnat. Nec ergo ſub intelligentiã cadit verũ. Sed vt nec ſit ſimul ſenſile & quod cadit ſub intelligentiam. Aut enim quidquid eſt ſenſile, & quidquid cadit ſub intelligentiam, eſt verum: aut aliquid ſenſile, aut aliquid quod cadit ſub intelligentiam. Sed dicere quidem quidquid eſt ſenſile,& quidquid cadit ſub intelligentiam, eſſe verum, eſt ex iis quæ nullo modo poſſunt fieri. Nam & ſenſilia pugnant cum ſenſilibus:& quæ cadunt ſub intelligentiam, cum iis quæ cadunt ſub intelligentiam. & viciſſim ſenſilia cum iis quę cadunt ſub intelligentiam.& oportebit ſi omnia ſint vera, idem eſſe & non eſſe,& eſſe verum & falſum:& cenſere aliquid ſenſile eſſe verum, & aliquid quod cadit ſub intelligentiam, verum eſſe, eſt rurſus ex iis in quibus non facilis datur exitus. Nam hoc quæritur: & alioqui eſt conſequens aut omnia dicere vera, aut omnia falſa dicere ſenſilia. Sunt enim ex ęquo ſenſilia:& non alterum quidem magis, alterum verò minus. Nõ omnia autem ſenſilia dicũtur vera, neque omnia falſa. Non eſt ergo aliquid verum? Eſt ſanè, inquiunt, ſed non quatenus apparet veritas: ſed ex alia cauſa ſumitur. Quænam ergo ſit hæc cauſa, in medium proferant Dogmatici: vt aut nos attrahat ad aſſenſionem, aut vt fugiamus efficiat. Deinde hanc ipſam cauſam quomodo accipiũt: aut vt eis apparentem, aut vt non apparentem? Si quidem vt apparentem, falſum dicunt,

Verum nõ eſt intelligibile. (margin, beside "gnoſcitur. Non eſt ergo verum ſenſile.")

Verum nõ eſt ſimul ſenſile et intelligibile. (margin, beside "gnat. Nec ergo ſub intelligentiã cadit verũ.")

Verúmne ſumatur ex alia cauſa, quàm quatenus apparet veritas. (margin, beside "quid verum? Eſt ſanè")

dicunt, dicentes veritatem non esse quatenus apparet. Sin autem vt non apparentem, quomodo dicunt esse id quod non eis apparet, ex se, an per aliud? Et vt ex se quidem, fieri non potest. Nihil enim quod non apparet, ex se sumi potest. Sin autem per aliud, illud rursus vtrum apparet, aut non apparet. & sic quæstione abeunte in infinitum, verũ non potest inueniri. Quid est ergo quod nos persuadet? Probabile dicendum est verum, cuiusmodicunque sit eius essentia, seu sensilis, seu quæ cadit sub intelligentiam, siue vtrunque simul, nempe & sensilis simul & quæ cadit sub intelligentiam. Sed est hoc quoque ex dubiis.

Probabile dicendúm ne sit esse verum.

Si enim probabile est verum, quoniam non idem omnino persuadet: neque perpetuò eis dabimus idem esse & non esse, & idem verum esse simul & falsum. Nam quatenus quidem persuadet aliquibus, est verum, & est. Quatenus autem aliis nõ persuadet, est falsum, & minimè potest esse. Fieri autem non potest vt idem sit & non sit, & verum sit & falsum. Igitur neque probabile est verum. Nisi dicamus esse verum id quod multis persuadet. Mel certè quod multis sanis persuadet quòd sit dulce, & vni nõ persuadet qui morbo laborat regio, verè dicimus dulce. quod quidem est nugatorium.

Probabilé ne sit verũ quod multis persuadet.

Quando enim de veritate disceptamus, tunc non est aspiciendum ad multitudinem eorum qui consentiunt, sed ad affectiones. Vna autẽ affectione vtitur ægrotus, & vna constitutione omnes qui sunt sani. Non est ergo magis huic sensui quàm illi credendum. Nam si contrà ponatur multos frebricitantes amarore affici à melle, vnum autem sanum dulcedine affici, omnino sequetur vt mel dicamus amarum. quod quidẽ est absurdum. Sicut ergo hic prætermisso iudicio multitudinis, nihilo minus mel dulce dicimus: ita etiam quando multi afficiuntur dulcedine, vnus autem amarore, mittentes propter eorum qui sic afficiuntur dulcedinem mel appellare dulce, verum sic examinemus.

Affectiones, non multitudo consentiẽtium spectãda est in disceptatione veritatis.

Atque vniuersè quidem de vero tot sunt dubitationes, consequenter autem veniamus etiam ad singulares. Atque eis quidem omnia qui dicunt falsa, ostendimus id in eos retorqueri. Nam si omnia sunt falsa, erit etiam falsum illud, Omnia sunt falsa, cùm sit ex omnibus. Cùm sit autem falsum, Omnia sunt falsa, id quod ei aduersatur erit verum, Non omnia sunt falsa.

In falsa dicẽtes, quod dicũt, in eos retorquetur.

Democritus autem & Plato abolentes quidẽ sensus, perimentes autem sensilia, & ea sola sequentes quę percipiuntur intelligentia, res confundunt: nec solùm eorum quę sunt labefactant veritatem, sed etiam sua cogitata. Omnis enim intelligentiã oritur à sensu, aut non sine sensu: & aut ex incursione, aut nõ sine incursione. Vnde

Sensus tollentes & sensilia perimentes res confundunt.

Intelligentia omnis oritur à sensu, aut non sine sensu, & aut ex incursione, aut non sine incursione.

Vnde etiam falſa quæ dicuntur viſa, vt quæ ſunt in ſomnis & in furore, inueniemus pendere ex iis quæ per ſenſum nobis cognita ſunt ex incurſione. Etenim qui in furore ſanguinolẽtas ſibi effingit furias & puellas ſerpentinas, ex iis quæ ipſi apparuerunt, compoſitam formã mente agitat: ita etiam qui in ſomnis hominem ſomniat volucrem, non abſque eo quòd aliquid viderit volucre, hominem quoque ſomniat volucrem. Et vt in ſumma dicam, nihil poterit cogitando inueniri, quòd non habeat aliquid ſibi cognitum ex incurſione. Id enim aut ſumetur ex ſimilitudine eorũ quæ apparuerunt in incurſione, aut ex incremento, aut ex decremento, aut ex compoſitione. Atque ex ſimilitudine quidem, vt quando viſo ſimulachro Socratis, cogitamus non viſum Socratem: vt quando ex communi homine non communem hominẽ cogitamus, vt hominem mente agitantes, qui non erat ſimilis viro,

Quod ex incurſione cognoſcitur, vnde ſumatur.

Homerus.

„ *Cui cibus eſt panis, verùm, in quo eſt plurima ſylua,*
„ *Excelſo monti.*

Ex decremento autem, quando rurſus communis hominis cõtracta magnitudine, Pygmæum apprehenderimus mentis agitatione. Ex compoſitione autem, quando ex homine & equo cogitamus Hippocentaurum, qui nondum nobis incurrit. Ante omnem ergo cogitationem prius fuiſſe oportet eam quæ eſt ex ſenſu incurſionem. Et ideo ſi tollantur ſenſilia, neceſſariò ſimul tollitur omnis intelligẽtia. Et qui dicit omnia quæ apparent eſſe falſa, & ea eſſe ſola quæ cadunt ſub intelligentiam, hoc eſt verè, aut hoc dicit ſola vtẽs affirmatione, aut etiam demonſtrans. Sed qui ſola quidem dicit affirmatione, affirmatione reprimetur. Aut enim aliquo quod apparet illud docebit, nempe ea ſola eſſe quę cadunt ſub intelligentiam: aut eo quod eſt incertum & non euidens. Sed neque eo quod apparet hoc docebit. nõ eſt enim. Neque eo quod eſt incertum & non euidens. Ex eo enim quod apparet, debet prius fides fieri eius quod eſt incertum & non euidens. Non eſt ergo verum ac rectum quod ſtatuit Democritus & Plato. Epicurus autem dicebat quidem omnia ſenſilia eſſe vera: & omnem phantaſiam eſſe ex eo quod eſt, & talem quale eſt id quod mouet ſenſum: errare autem eos qui dicunt aliqua quidẽ ex viſis eſſe vera, aliqua verò falſa, propterea quòd non poſſint ſeparare opinionem ab euidentia. In Oreſte quidem certè cùm ſibi videretur videre Furias, erat quidem verus ſenſus. conſiſtebãt enim ſimulachra: mens autem exiſtimans veras eſſe & ſolidas Furias, opinabatur falſum. Et

Intelligibilia ſola eſſe qui dicit, hoc non poteſt probare.

Senſilia omnia eſſe vera, & phantaſiã veram, & ſenſus veros dicebat Epicurus.

alioqui, inquiebat, ii quos prius diximus, introducentes visorum differentiam, non poterunt probare aliqua quidem ex iis esse vera, aliqua verò falsa. Neque enim eo quod apparet id docebunt. quæruntur enim ea quæ apparent. Neque eo quod est incertum & non euidens. Nam per id quod apparet, debent demonstrari ea quæ sunt incerta & non euidentia. Hæc autem dicens Epicurus, inuitus in similem incidit dubitationem. Nam si fatetur ex visis alia quidē oriri ex solidis corporibus, alia autem ex simulachris: & concedit illud quidem esse euidentiam, hoc verò opinionem, quæro quemadmodum iudicet visa quæ oriuntur ex solidis corporibus, & quæ incurrunt ex simulachro? Neque enim euidentia. quęritur enim: neque opinione. debet enim eorum fieri fides per euidentiam. Et alioqui absurdè & ineptè facit, qui ex iis quæ magis quæruntur, conatur ostendere ea quæ minus quæruntur. Nobis enim considerantibus de fide eorum quæ apparent, ipse prodigiosam & fabulosam de simulachris introducit opinionem. Sed neque Stoicis rectè succedunt quæ ab eis dicuntur. Nam volunt quidem sensilium & eorum quæ cadunt sub intelligentiam, esse differentiam, ex qua alia quidem sunt vera, alia verò falsa. Non possunt autem hoc colligere. Nam confessi sunt quædam visa esse inania: cuiusmodi Oresti incurrerunt ex Furiis. & alia quæ perperam imprimunt, vt quæ existant quidem ex subiectis, eis autem non congruant: cuiusmodi erant quæ in furore Herculi à suis filiis, tāquam à filiis Eurysthei incurrerūt. erant enim ex subiectis filiis, sed non congruebant ipsis subiectis. Non enim eos tanquā suos aspiciebat liberos, sed dicit,

" *Hic vnus est qui mortuus pullus, mihi*
" *Cecidit paternas inimicitias luens.*

Hæc cùm ita sint, visa non possunt discerni. nec possunt dicere Stoici, quęnam sint re vera comprehendentia & orta ex subiectis, & ipsis subiectis congruentia, & quę non sunt eiusmodi, sicut pluribus antea ostendimus. Cuiusmodi est autem quod de hac dicitur secta, tale est etiam quod dicitur de reliqua. in qua alii quidem ponunt verum & falsum in eo quod significatur, nempe in incorporeo quod dicitur: λεκτὸν alii autem in voce: alii autē in motu cogitationis. Iam enim, vt à prima incipiamus, censebant Stoici communiter verum esse & falsum in eo quod dicitur. Quod dicitur autem esse, dicunt, quod ex rationis participe consistit phantasia. Rationis autem participem dicunt esse phantasiam, per quā quod phantasia est apprehensum, sermone licet osten-

Epicuri de sensibus & visis confutatur opinio.

Stoicorum de veritate sensilium & intelligibiliū reprobatur sententia.

Id quod dicitur, quod λεκτὸν vocant, quale dicant esse Stoici.

Eorũ quæ dicũtur, alia defecta, alia perfecta.

Perfecta quæ dicuntur quotuplicia sint.

ostendere. Ex iis autem quæ dicuntur, alia quidem vocant deficientia, alia autem per se perfecta. Ex quibus quę sunt quidem deficiẽtia, nunc prætermittantur. Ex iis autem quæ sunt per se perfecta, dicunt esse plura. Quædam enim vocant imperatiuas, quæ imperantes dicimus: vt, Huc agè nympha veni. & enunciatiua, quæ dicimus enunciantes: vt, Dion ambulat. & interrogationes, quas dicimus interrogantes: vt, Vbi habitat Dion? Nominantur autem apud eos quædam imprecatiua seu execratiua: vt,

„ *Sicut humi vinum hoc, cerebrum sic defluat illi.*

Et optatiua, quæ dicimus optantes: vt,

„ *Iuppiter inclite qui regnas ô Maxime in Ida,*
„ *Da, Aiax, victoris claro vt potiatur honore.*

Pronunciata quæ sint.

Appellant etiam quædam ex iis quæ sunt per se perfecta, pronunciata, quæ dicentes vel verum dicimus vel falsum. Sunt etiam quædam quæ sunt plus quàm pronunciata: vt hoc,

„ *Quàm Priamidis bubulcus est aßimilis!*

Vt verum sit aut falsum pronunciatũ quid requiratur.

plus est quàm pronunciatum, & non pronunciatũ. Sed cùm in iis quę dicuntur, sit satis magna differentia, vt sit aliquid, inquiunt, verum aut falsum, oportet ante omnia esse ipsum quod dicitur: deinde etiam per se perfectum, & non communiter qualecunque, sed pronunciatum. Nam hoc solum, sicut prius dixi, dicentes, aut verum dicimus aut falsum. Dicunt itaque Sceptici, esse aliquid quod dicitur incorporeum, quod est separatum à voce significante: vt à voce Dion, & à voce eius quod contingit, vtpote ipsius Dionis, vndénam possumus ostendere? Aut enim ex eo ipso dicẽt hoc esse Stoici, aut per demonstrationem id esse probabunt. Et si quidem ex eo ipso dicant esse incorporeum hoc quod dicitur, nobis quoque licebit ex eo ipso dicere quòd non sit. Quomodo enim illi sunt fide digni absque demonstratione, ita etiam qui contrà dubitant, erunt fide digni, si per solam ac nudam proferant dictionem & affirmationem. Aut si eis non creditur, similiter nec fide digni erunt Stoici. Si autem hoc probabunt per demonstrationẽ, eis sequetur peius dubium. Demõstratio enim est oratio. Oratio autem constat ex iis quæ dicuntur. Iis ergo quæ dicuntur, ostendent Stoici aliquid esse quod dicitur. quod quidem minimè est consentaneum: quandoquidẽ qui non dat esse aliquid quod dicatur, neque dabit multa esse quæ dicãtur. Et cùm quæratur an sint quæ dicuntur in demonstratione, si in promptu quidem sumamus ea esse, in promptu quoque sument ii qui dubitant, ea non esse, cùm in

Incorporeum esse aliquid quod dicitur, separatũ à voce minimè potest probari.

vtrunque hoc ipſum cadat, vt ſit vel credendum vel non credēdum. Sin autem ex demonſtratione, cadent in infinitum. ab eis enim poſtulabitur demonſtratio eorum quæ dicuntur, quæ continētur in ſecunda demõſtratione. Et cùm tertiam attulerint eorum quæ ſunt in tertia, poſtulabitur etiam quarta eorum quæ ſunt in quarta. Quo fit vt careat principio demonſtratio quòd ſit id quod dicitur. Poſſunt alia quoque plura dici in locum, quæ perſequemur opportunius quādo tractabimus de demonſtratione. Nunc autem illud eſt dicendum, quòd pronunciatum per ſe perfectum volunt eſſe compoſitum: vt illud, Dies eſt, componitur ex Dies, & Eſt. Nihil autem incorporeum poteſt componi, nec diuidi. hæc enim ſunt propria corporum. Nulla eſt ergo res per ſe perfecta, nec vllum pronunciatum. Et omne quod dicitur, debet dici. nam ex eo hanc nactum eſt appellationem. Nihil autem quod dicitur, dicitur, vt probant ii qui dubitant. Non eſt ergo aliquid quod dicitur. Cui eſt conſequens, vt nullum ſit pronunciatū verum aut falſum. Dicere enim, vt ipſi dicunt Stoici, eſt proferre vocem ſignificatiuam rei quæ dicitur: vt huius verſus,

Pronunciatum nullum eſſe per ſe perfectum.

Pronunciatū nullum verum aut falſum.

Dicere quid ſit.

» *Iram Peliadæ dic ô Dea carmine Achillis.*

Sed fieri non poteſt vt proferatur vox quæ id ſignificet, propterea quòd cuius non ſunt ſimul partes, neque illud ipſum eſt. Quòd autē non poſſint ſimul eſſe eius partes, ex eo ipſo oſtēditur. Quādo enim primum proferimus hemiſtichium, nondum eſt ſecundum. & quando proferimus ſecundum, nō eſt primum. Quo fit vt totum quidem verſum non proferamus. Sed nec hemiſtichium. Quando enim rurſus dicimus primam partem hemiſtichij, tunc nondum proferimus ſecundam eius partem: & quando ſecundā proferimus, non amplius primam dicimus. Quamobrem nec eſt hemiſtichium. & ſi conſideremus, ne eſt quidem vlla dictio: vt Ira. Quando enim dicimus ſyllabam I, nondum proferimus Ram. Et quando proferimus Ram, non eſt amplius I. Si ergo fieri non poteſt vt ſit aliquid cuius partes ſimul eſſe non poſſunt: oſtenſum eſt autem vel in vna dictione partes non poſſe ſimul eſſe, dicendum eſt nullam eſſe dictionem. propterea nec vllum pronunciatum quod dicunt eſſe compoſitum: vt illud, Eſt Socrates. Quando enim dicitur Socrates, nondum eſt illud Eſt: & quando dicitur illud Eſt, Socrates non dicitur. Nunquam ergo eſt totum pronunciatum, neque partes totius. eius autem partes nō ſunt pronunciata. Non eſt ergo vllum pronunciatum. Quanquam quid de toto loquimur pronunciato, nempe Socrates eſt, cùm nec ipſum

Vox quæ ſignificet proferri non poteſt.

Cuius partes ſimul non ſunt, illud non eſt.

Pronunciatū compoſitū nullum eſt.

quidem in recto casu Socrates posit esse intelligi propter eandem causam, propterea quòd non sint simul partes ipsum constituentes. • Et si detur pronunciatum esse aliquod verum, & aliquod falsum, nō concedent Sceptici illis aduersus quos differunt, id esse, propterea quòd non facilè tradi possit. Dicunt enim verum quidem esse pronunciatum, quod est & aduersatur alicui. Rogati autem quid sit id quod est, dicunt esse id quod mouet comprehendētem phantasiam. Deinde de comprehēdente examinati phantasia, rursus recurrunt ad id quod est, quod est æquè ignotum, dicētes: Comprehēdens phantasia, est quæ est ex eo quod est congruenter ei quod est. Quod quidē perinde est ac si doceas, id quod ignoratur per id quod ignoratur: & incidas in modum docendi alterum per alterum inter se. Nam vt discamus id quod est, amandant nos ad comprehendentem phantasiam, dicentes, id quod est esse id quod mouet comprehendentem phantasiam. Vt autem comprehendentem cognoscamus phātasiam, nos remittunt ad id quod est. Neque ergo illud, neque hanc cognoscētes, nec quod ab eis docetur verum aut falsum intelligemus pronunciatum. Quòd si quis etiā recedat ab hac dubitatione, alia maior præter ipsam emerget iis qui Stoicum admittunt artificium. Quomodo enim si velimus discere quid sit Homo, prius nosse debemus quid sit Animal, & quid sit Rationis particeps, & quid Mortale: (ex his enim constat notio hominis) & quomodo si velimus nosse quid sit Canis, oportebit prius anticipare quid sit Animal, & quid sit Latrans (ex his enim intelligitur Canis:) ita si ex sententia Stoicorum verum est quod est & alicui aduersatur: & falsum, quod nō est quidem, aduersatur autem alicui: necessariò debemus nosse ad horum intelligentiam, quid sit id quod aduersatur. Nequaquā autem possunt Stoici nobis ostendere id quod aduersatur. Nec ergo verum nec falsum erunt nota. Dicunt enim, Aduersantia sunt, quorum alterum plus habet quàm alterum negatione: vt, Dies est, Non est dies. Nā pronunciatum, Dies non est, negatione plus habet quàm pronūciatum, Dies est, negatione, inquam, Non. & ideo hoc illi aduersatur. Sed si hoc est aduersum, hæc quoque aduersabuntur, Dies est, & Non est lux. Hoc enim, Non est lux, negatione plus habet quàm pronunciatum Dies est. Ex eorum autem sententia hæc minimè aduersantur. Non sunt ergo aduersantia, eo quòd alterū negatione plus habeat quàm alterum. Sanè, inquiunt, sed cum eo sunt aduersantia, quòd negatio alteri præponatur. tunc enim dominatur toti pronunciato. In illo

Pronunciatū esse verum, nō potest probari.

Aduersantia seu opposita quaenam vocēt Stoici.

autem

autem, Dies est, & Non est lux, cùm sit pars totius, non dominatur toti pronunciato, ad afficiendum totum enunciatiuũ. Oporteret ergo, dicemus, addi notioni aduersantium, quòd tunc sunt aduersantia, quando non nudè alterum plus habet quàm alterum negatione, sed quando negatio præponitur pronunciato. Assumet autẽ etiam alius quispiam eam orationẽ qua vsus est Plato in libro De anima, & docebit quòd fieri non potest vt participatione negationis plus habeat pronunciatum, quàm id quod nõ habet negationem.

Negationis participatione non plus habet pronunciatum, quàm quod nõ habet negationem.

Nam sicut participatione calidi nihil fit frigidum: sic participatione parui non fit magnum, sed paruum. & sicut participatione maioris fit aliquid magnum: ita etiam parui participatione erit aliquid paruum.

Parui participatione non fit aliquid magnum.

Et ideo nouenarium ex adsumptione vnitatis non fieri maiorem. Vnum enim minus est nouẽ. Eo ergo assumpto, nouenarius non fiet numero amplior quàm nouem, sed potius minor. Si enim adsumptione vnitatis, non fiet nouenarius maior nouenario, sed potius minor: Quoniã ergo negatio Non, est quid minus pronunciato, non faciet maius pronunciatum, propterea quòd vt alicuius magnitudinis participatione fit aliquid maius: ita etiam minoris participatione fit aliquid minus. Atque Platonis quidẽ oratio sic ab aliquibus traducetur ad locum.

Nos autem iis quæ prius dicta sunt, adiungentes, illud quoque dicamus. Si verum est pronunciatum, id est omnino aut simplex pronunciatum, aut non simplex. Pronunciatorum enim primam & maximè propriam differentiam efferunt Dialectici, per quam alia quidem ex iis sunt simplicia, alia autem non simplicia.

Pronunciatũ simplex quidnam sit.

Et simplicia quidem, quæ neque constant ex vno pronunciato bis sumpto, neque ex differentibus pronunciatis per aliquam aut aliquas coniunctiones: vt Dies est, aut nox est: Socrates disputat. & quidquid est huic simile. Quoniam enim stamen simplex dicimus, etiamsi constet ex pilis, quoniam non est contextum ex staminibus quæ sunt eiusdem generis: ita simplicia dicuntur pronunciata, quoniam non constant ex pronunciatis, sed ex aliquibus aliis: vt Dies est, est simplex, quoniam nec est ex eadem bis sumpta propositione, neque constat ex diuersis, conflata est autẽ ex aliquibus aliis, vtpote Dies, & Est. Sed neque in eo est coniunctio.

λήμματος.

Non sunt autem simplicia quæ sunt veluti duplicia, & quæ constant ex pronunciato bis sumpto, aut ex differentibus pronunciatis, per coniunctionem aut coniunctiones: vt, Si dies est, lux est: Si nox est, sunt tenebræ. & si dies est, & lux est, aut est dies, aut nox est.

Pronunciata duplicia.

Ex simplicibus autem aliqua quidem sunt definita, aliqua verò indefinita,

Pronunciata simplicia definita quænam sint. aliqua verò media. Definita quidem quæ indicando efferuntur: vt Iste ambulat, Iste sedet: ostendo enim aliquem ex singularibus hominibus. Indefinita sunt ex eorum sententia, in quibus dominatur *Pronunciata simplicia indefinita quænam sint.* aliquid indefinitum & non terminatum: vt Sedet quispiam. Media autem sunt quæ sic se habent, Homo sedet: aut Homo ambulat. Atq; illud quidem, Ambulat quispiam, est indefinitum. Non enim definit *Pronunciata simplicia media quænam sint.* ac terminat aliquem ex singularibus hominibus qui ambulant. communiter enim potest in se efferri. Iste autem sedet, est definitum ac terminatum, quoniam definit certam personam quæ indicatur. Hoc autem, Socrates sedet, est medium: quoniam nec est indefinitum: definit enim ac terminat speciem. Nec finitum ac terminatum. non effertur enim cum ostẽsione, sed videtur esse medium inter vtrunque, nempe inter indefinitũ & finitum. Dicũt autem indefinitum esse verum: nempe illud, Ambulat aliquis, aut aliquis sedet, quando definitum ac terminatum inuenitur verum, nempe Iste sedet, aut iste ambulat. *Pronunciatũ indefinitum non potest esse verum.* Nam si nullus sedeat ex singularibus, non potest indefinitum illud esse verum, Sedet aliquis. Atque hæc quidem sunt quę in summa dicuntur à Dialecticis de simplicibus pronunciatis. Qui mouent autem dubitationes, quærunt primùm an possit definitum esse verum. Nam si hoc fuerit sublatum, nec indefinitum potest esse verum. Si tollatur autem etiam indefinitum, nec id quidem consistet quod est inter ea intermedium. Sunt autem hæc veluti elementa simplicium pronunciatorum. Si ea autem aboleãtur, interibunt etiam simplicia pronunciata, nec licebit dicere esse verum in simplicibus. Iam verò definitum hoc pronunciatũ, nempe Iste sedet, aut iste ambulat, tunc dicunt esse verum, quando id quod est prædicatum, acciderit ei in quod cadit ostensio: vt Sedere, & Ambulare. Sed & cùm dicitur, Iste ambulat, ostẽso aliquo ex singularibus hominibus, aut est Socrates, *Socrates ostẽdi non potest, nec eius partes.* exempli causa, qui cadit sub indicationem, aut aliqua pars Socratis. Sed neque est Socrates qui cadit sub indicationẽ, neque aliqua pars Socratis, vt ostendemus. Non potest ergo esse verum definitum illud pronunciatum. Et sub indicationem quidem nõ cadit Socrates, quoniam cùm is cõstet ex anima & corpore, neque anima indicatur nec corpus. Neque totum cadit sub indicationem. Sed nec sub indicationem cadunt partes Socratis. Si enim ei quod est cadere sub indicationem, dicun taccidere prædicatum, ambulare aut sederę: nunquam autem parti quæ ostenditur, cùm sit minima, accidit prædicatũ, vtpote ambulare aut sedere, necessariò nec pars cadet sub indicationem.

tionem. Sed si neque hoc neque Socrates, præter hæc autem nihil est, perit definitum pronuntiatum quod effertur per ostensionem: & simul etiam fit propemodum indefinitum. Si enim cōtingit id quod ostenditur esse partis Socratis: contingit autem ne hoc quidem esse sed aliud, necessariò totum fit indefinitum. Si non sit ergo definitum pronuntiatū, neque erit indefinitum. Propterea autem nec consistet medium. Præterea autem quādo dixerint quidem hoc, Dies est, pronunciatum quidem in præsentia esse verum: in illo autem, Nox est, falsum: & illud quidem, Non est dies, falsum: hoc verò, Non est nox, verum, aduertes quemadmodum cùm vna sit & eadem enuntiatio, si ad vera quidem accesserit, ea falsa efficit: sin autem ad falsa, vera. est enim hoc simile Sileno, de quo loquitur ænigma AEsopicum, qui cùm videret eundem hominem hyemis tempore & flare ne algerent manus, & eodem ore flare ne vreretur, dixit se non toleraturum vt cum ea viuat bestia, à qua procedunt quæ sunt maximè contraria. Sic enim eadem quoque enuntiatio, ea quidem quæ sunt faciens non esse, & quæ nō sunt, esse, est prodigiosæ naturæ particeps. Aut enim est: aut est simul & non est. Et si est quidem, quomodo si ad id quod est, accesserit, totum non esse efficit, & non esse potius? Nam si id quod est, ad id quod est accesserit, magis confirmat essentiam. Sin autē non est, quánam ratione si ad id quod nō est accesserit, ipsum esse efficit, non autem potius non esse? Nam si ei quod nō est, id quod non est fuerit additum, non efficit essentiam, sed non essentiam. aut quomodo si sit eiusmodi vt non sit, transfert id quod est ad hoc vt non sit: nō autem in aliquo quidem esse facit, in aliquo autem non esse? Quomodo enim album & nigrum simul posita, nō faciunt album aut nigrum, sed in aliquo quidem album, in aliquo verò nigrum: ita etiam quod non est, si cum eo quod est conuenerit, efficiet vt totum in aliquo quidem sit, in aliquo verò non sit. Et alioqui id quod aliquid nō esse efficit, aliquid efficit. Id autem quod efficit, est. Enuntiatio ergo quæ non est, nec efficit esse aliquid. Restat ergo vt dicatur, eam nec esse, neque non esse. Sed si est eiusmodi, quomodo rursus cùm neque sit, neque non sit, si ad id quidem quod est accesserit, efficit non essentiam: sin autem ad id quod nō est, essentiam. Eodem modo etiam poterit dubitari, et si dicant in aliquo quidem esse enuntiationem, in aliquo autem non esse. Nunc autem aliquantulū tractata lege simplicium pronuntiatorum, quę est apud Dialecticos, transeamus etiam ad legem non simplicium. Et non simplicia quidē sunt

Eadem propositio ad vera accedens, ea efficit falsa: ad falsa autē, vera.

Silenus Aesopicus.

Pronunciata non simplicia.

sunt pronunciata, de quibus prius diximus, quæ constant ex diuersificato, vt ita dicam, pronunciato, aut ex differentibus pronunciatis, & in quibus coniunctio aut coniunctiones dominatum obtinent. Ex

Pronunciatū cōnexū quodnam sit.

iis autem sumatur in præsentia quod vocatur connexum. Hoc ergo constat quidem ex diuersificato pronunciato, aut ex differentibus pronunciatis per coniunctionem Si, aut Siquidem: vt ex diuersificato quidem pronunciato & coniunctione Si, constat hoc connexum, Si dies est, dies est. Ex differētibus autem pronunciatis, & per coniunctionem Siquidem, quod sic habet, Siquidem dies est, lux est. Ex iis autem pronunciatis quæ sunt in connexo, id quod est collocatū post

Antecedens quidnam sit.
Consequens quidnam sit.

coniunctionem Si, aut coniunctionem Siquidem, vocatur Antecedens & Primum: reliquum autem, Desinens seu Consequens, & Secundum, etiam si conuerso ordine efferatur totum pronūciatum: vtpote sic, Lux est, siquidem dies est. etenim in eo desinens seu consequens quidē appellatur illud, Lux, etiamsi primò pronuncietur. Antecedens autē hoc, Dies est, etiamsi secundo loco dicatur, propterea quòd sit collocatum post coniunctionem Siquidem. Atque connexi quidem, vt paucis dicam, est huiusmodi constitutio. Videtur autem profiteri eiusmodi pronunciatum, id quod est in ipso secundum ac consequens, sequi id quod est in ipso primum seu antecedens, & ita antecedentis futurum consequens. Vnde si ea quidem seruetur professio, & consequēs sequatur antecedens, fit verum etiā connexum:

Connexúmne aliquod sit verum.

sin autem non seruetur, falsum. Quamobrem ab eo rursus incipiētes, consideremus an possit inueniri aliquod verum connexum, & seruās dictam professionem. Nam communiter quidē dicunt omnes Dialectici, rectum esse connexum, quando id quod in eo est consequēs, sequitur id quod est in eo antecedens. Quando autem & quemadmodum sequatur, inter se dissident, & inter se pugnant ea quibus statuunt iudicari consequentiam: vt, Dicebat quidem Philo verum esse

Connexum quando sit verum, ex sententia Philonis.

connexum, quando non incipit à vero & desinit in falsum. Quo fit vt ex eius sententia tribus quidem modis fit verum connexum: vno autem modo falsum. Etenim quando à vero incipiens desinit in verū, verum est: vt illud, Si dies est, lux est. & quando à falso incipiens in falsum desinit, rursus verum: vt illud, Si terra volat, alas habet terra. Similiter autem & quod incipit à falso, desinit autem in verum, est

Connexum quando sit falsum, ex Philonis sententia.

verum: vt illud, Si terra volat, est terra. Solūmodo autem est falsum, quando incipiēs à vero, desinit in falsum: cuiusmodi est illud, Si dies est, nox est. Nam si dies sit, illud quidem, Dies est, verum est. quod

quidem est antecedens. hoc autem, Nox est, est falsum: quod quidē erat desinens seu consequens. Diodorus autem dicit verum esse connexum, quod neque contingit, cùm à vero incipiat, desinere in falsum. quod quidem pugnat cum positione Philonis. Nam huiusmodi connexum, Si dies est, ego dissero, si dies sit in pręsentia & ego dissero, ex Philonis quidem sententia est verum, quandoquidem incipiēs à vero illo, Dies est, verum dicit illud, Ego dissero: ex Diodori autē sententia falsum. conringit enim cùm à vero aliquando inceperir, nempe Dies est, desinere in falsum, nēpe hoc, Ego dissero, cùm ego siluerim. & cōtingit à vero incipiens desinere in falsum, nempe Ego dissero. Nam priusquam cœpero disserere, incepir quidem à vero, nempe Dies est, in falsum autem desiir, nempe Ego dissero. Rursus quod ira se habet, Si nox est, ego dissero, si sir quidem dies, & ego sileam, ex sentenria quidem Philonis similiter est verum. à falso enim incipit. contingit enim ipsum cùm à vero inceperit, desinere in verum, cùm nox accesserit: & rursus si ego nō disseram, sed sileam. Sed illud quoque, Si nox est, cùm sit dies, ex sententia quidem Philonis proprerea est verum, quòd à falso incipiens, nempe Nox est, in verū desinit, nempe Dies est. Ex Philonis aurē sententia propterea est falsum, quòd conringit cùm nox aduenerit, ipsum à vero incipiens, nēpe Nox est, desinere in falsum, nēpe Dies est. Cùm ergo sit huiusmodi, vt exempli causa in parte diximus, repugnantia in iis quibus iudicarur connexum pronunciatum, an nō dubia est & inexplicabilis recti connexi discrerio? Nam vt hoc discamus, oportet ante omnia diiudicari Dialecticorū dissidiū de eius rectitudine. Quatenus autem non porest diiudicari, necesse est de eo quoque suam sustinere assensionem, & meritò. Aut enim attēdemus omnia quibus iudicant Dialectici, aut aliquod eorum. Sed fieri quidem non potest, vr omnia atrendamus. pugnant enim, vt ostendi in duobus quæ prius dicta sunt. Quæ autem pugnant, non possunt ex æquo esse credibilia. Si autem aliqua eorum, aut ex se & sine iudicio attendemus aliquod, aut cum ratione quæ ostendir quòd rectum sit id quod iudicar. Et si quidem sine iudicio & ex eo ipso assentiemur alicui quod iudicar, cur magis huic quàm illi assentiemur? quod quidē est nulli assenrire proprerea quòd inter se pugnent. Si autem cum ratione, quæ ostēdit quòd rectū sir id quod à nobis assumitur quo id iudicatur connexum, aur huiusmodi ratio est, vt nec colligat nec concludat, aut eiusmodi vt colligat ac concludat. Sed si non colligir quidem & concludit, est praua

Connexum quando sit verum, secūdum Diodorum.

Dialecticorū dissidiū de rectitudine connexi.

& non fide digna in eo diiudicando quo iudicatur connexum. Si autem eſt eiuſmodi vt colligat, propterea colligit & concludit, quòd eius propoſitiones ſequatur illatio, vt ea probetur per aliquam conſequentiam. Quæ autem ab initio quærebatur conſequentiam, oporteret examinari in ratione connexi. hoc autem perinde eſt ac ſi incidas in eum modum qui dicitur alter per alterum. Nam vt diſcamus connexum quod examinari debet ex conſequētia, veniendum eſt ad aliquam rationem.& vt hæc ſit recta ratio, oportet prius eam probari conſequentiam à qua iudicatur quòd ſit recta. Si ergo rectum non habeamus cōnexum, quod ad hanc attinet dubitationem, ne rationē quidem habebimus quæ colligat. Si eam autem nō habeamus, ne habebimus quidem demonſtrationem. Demonſtratio enim eſt ratio colligens. Si non adſit autem demonſtratio, tollitur phantaſia dogmatica. Ex his autem licebit etiam tranſire & ad complexa, & ad disiuncta communiter, & ad reliquas ſpecies pronunciatorum non ſimplicium. Complexum enim debet conſtare aut ex ſimplicibus, aut ex non ſimplicibus, aut ex mixtis. In iis autem mouentur omnes dubitationes quæ motæ ſunt in ſimplicibus. Verumenimuero & quando dicunt rectum eſſe complexum quod in ſe habet vera omnia, vt Dies eſt, & Lux eſt: falſum autem quod habet falſum, rurſus ipſi ſibi leges ſtatuunt. Conſequens enim eſſet, ſi verum ſit, quod eſt ex omnibus veris compoſitum, protinus eſſe verum: etiam quod ex omnibus falſis eſt compoſitum, eſſe falſum: quod autem ex falſis ſimul & veris, non magis eſſe verum quàm falſum. Nam ſi eis licet quas volunt leges ferre, & ex ſuo arbitrio de rebus ſtatuere, permittendum quidem eſt vt complexum quod vnum habet falſum, apud eos dicatur falſum: licebit autem etiam aliis cōtrà ſtatuere & dicere complexum quod conſtat ex pluribus veris & vno falſo eſſe verum. Si eſt autem attendenda rerum natura, conſequens eſt vt quod aliquid quidē habet falſi, aliquid verò veri, dicatur non magis eſſe verum quàm falſum. Quomodo enim quod miſtum eſt ex albo & nigro, non magis eſt album quàm nigrum: nam album quidem erat album, & nigrum erat nigrum: ita accidit vt aliud quidem ſit ſolum verum, aliud verò ſolum falſum. Quod autem eſt ex ambobus compoſitum, non magis eſt appellandum verum quàm falſum. ſed quomodo dicunt in rebus quę ad vitam pertinent: veſtimentum quod maxima ex parte eſt integrum, parum autem eſt fractum ac lacerum, non ex plurimis quidem integris partibus integrum eſſe dicimus, ſed ex modico quod eſt

Complexum pronunciatum qualénam ſit.

Complexum rectum pronunciatum quódnam ſit.

Complexum falſum quale ſit.

Quod aliquid habet veri, aliquid falſi, nō magis eſt verū quàm falſum.

eſt fractum, fractum eſſe dicimus:ita etiã complexum, etiamſi vnum ſolum habeat falſum, plura autem vera, ex vno falſo dicetur totum falſum. quod quidem eſt ſtultum. Nam vitæ quidem humanæ concedendum vti nominibus per abuſionem,quando non quæritur omnino verum quod pertinet ad naturam,ſed quod ad opinionem. Puteum quidem certè dicimus fodere, & chlamydem texere; & domũ ædificare,non propriè. nam ſi eſt puteus,non effoditur,ſed eſt effoſſus:& ſi eſt chlamys,non texitur,ſed eſt texta. Quamobrem in vita quidem & communi conſuetudine locum habet abuſio. Quando autem quærimus ea quæ pertinent ad rei naturam,tunc eſt iis adhærendum quæ dicuntur exactè & accuratè. Atque quòd dubia quidem ſit & exitum non inueniat oratio, & magnam habeat perturbationem, iis qui verum & falſum relinquunt in aliquo quod dicitur incorporeo,ex his ſatis eſt oſtenſum. Quòd autẽ nec iis qui in voce ea conſtituerunt facilẽ inueniat exitum,facile eſt diſcere. Omnis enim vox, ſi eſt,aut fit,aut ſiletur. Sed neque quæ fit,eſt, eo quòd non conſiſtit: neque quæ ſiletur,eo quòd nondum fiat. Non eſt ergo vox. Atque quæ fit quidem, non eſt, quomodo oſtenditur ex ſimilibus. Neque enim domus quæ fit, eſt domus:non nauis:neque aliquid aliud eiuſmodi. quamobrem nec vox. Quòd autem neque conſiſtat quæ ſiletur, conſtat. Siue ergo vox fit vel ſiletur, eſt autem in neutro tempore,nõ eſt vox. Et alioqui ſi verum eſt in voce,aut eſt in voce minima, aut in lõga. Sed nec eſt in minima. Nam minimũ eſt indiuiduum,verum autẽ non eſt indiuiduum. Neque in longa. Ea enim non poteſt conſiſtere,propterea quòd quando prima eius pars profertur,nondũ ſit ſecunda: quando autem ſecunda, non amplius ſit prima. Non eſt ergo verum in voce. Ad hæc accedit,quòd ſi ſit in voce,aut eſt in ea quæ ſignificat,aut in ea quæ non ſignificat. Sed in ea quidem quæ nõ ſignificat,vt in Blityri & ſcindapſus,nõ eſt aliquid. Quomodo enim fieri poteſt vt rem quæ non ſignificat, tanquam veram apprehendamus? Reſtat ergo vt dicamus in ſignificante. quod quidem rurſus nõ poteſt fieri. Nulla enim vox,vt vox,eſt ſignificatiua. oporteret enim omnes qui vocem apprehendunt, tam Græcos quàm Barbaros, id etiam apprehẽdere quod ab ea ſignificatur. Quamobrem ne eà quidem ratione verum ponendum eſt in voce. Ex vocibus autem aliæ quidem ſunt ſimplices, aliæ verò compoſitæ. Simplices quidem, vt Dion: compoſitæ autem, vt Dion ambulat. Si ergo verum eſt in voce,aut eſt in ſimplici,aut in compoſita. Sed nõ eſt quidem in ſimplici

Abuſio. quam catachreſin vocant, in multis nominibus.

Abuſio locum habet in communi conſuetudine, non in indagatione naturæ.

λεκτῷ

Verum et falſum non eſt in voce.

Vox non eſt.

Vox nulla, vt vox, eſt ſignificatiua.

Verum nō est in voce, nec simplici, nec composita.

Dictio composita non consistit.

Verum nō est in motu cogitationis.

& incomposita. Pronunciatum enim oportet esse verum: nullum autem pronunciatum est incompositum. Incomposita autem esse non potest, propterea quòd nulla dictio composita consistat: vt Dion est. Quando enim dicimus Dion, nondum dicimus Est: & quando hanc proferimus, nōdum illam dicimus. Quamobrem nec in voce est verum. Sed nec in motu cogitationis, vt putarunt nonnulli. Nam si in motu cogitationis est verum, nihil erit verum ex iis quæ sunt extrinsecus. Motus enim cogitationis est in nobis, & non extrà. Absurdum est autem dicere nihil esse verum ex iis quæ sunt extrinsecus. Absurdum est ergo verum relinquere in motu cogitationis. & cùm motus cogitationis sint vniuscuiusque proprij, nullum erit verum commune. Si nullum autem sit verum commune, erunt omnia incerta, obscura & discrepantia. Quod enim iste habet verum, nempe motum cogitationis, hoc alius non habet: & contrà, quod ille habet, hoc iste non comprehendit. Absurdum est autem dicere nihil esse verum de quo omnes consentiant. Censere ergo in motu cogitationis positū esse verum, est absurdum & non rectè habet: & est consequēs iis qui verum relinquunt in motu cogitationis, vt fateātur omnia esse vera: vtpote motū cogitationis Epicuri & Zenonis & Democriti & aliorum. ex æquo enim iis omnibus accidit, vt sint motus cogitationis. Fieri autem non potest vt sint omnia vera, vt nec omnia falsa. Ergo nec motus cogitationis est verum. Cæterum cùm per hæc mouerimus dubitationes de eo quod iudicat & de vero, postea consideremus de viis ac rationibus quæ componuntur ab eo quod vim habet iudicandi, ad verum comprehendendum quod non ex seipso occurrit, nempe de signo & demonstratione. Et ordine quidem primum dicamus de signo. Nam per eius participationem demonstratio detegit conclusionem.

Rerum aliæ sunt manifestæ, aliæ non manifestæ.

QVONIAM duplex est rerum in summo differentia, per quam aliæ quidem sunt manifestæ, aliæ verò non manifestæ. Et manifestæ quidem, quæ ex seipsis incurrunt in sensus & in cogitationē: non manifestæ autem, quæ ex se non possunt apprehendi. In dubitatione autem mota de euidentibus, methodicè à nobis disputatum est De eo quod iudicat. Nam si hoc stabile ac firmum fuerit ostensum, fieri nō potest vt de iis quæ apparent, asseratur, quòd ea sint eiusmodi natura cuiusmodi apparent. Cùm autem rerum non manifestarum adhuc restet differentia quomodo se habeat ad eam quoque infirmandam ac abolendā, via quadam compendiaria ducimus nobis esse vtendū, quæ

quæ & ſignum perimat & demonſtrationem. Nam ſi hæc rurſus tollantur, infirma & minimè ſtabilis eſt quæ per ipſa fit veri comprehẽſio. Paucis autem fortaſſe conuenit in ſingularibus diſſerere de natura ſigni. Dicitur ergo ſignum bifariam: communiter, & propriè. Communiter quidem, quod videtur aliquid ſignificare, iuxta quod id quod eſt vſui ad rei renouationem quæ cum ipſo eſt obſeruata, ſolemus vocare ſignum: propriè autem, id quod rem indicat quæ non eſt manifeſta. de quo propoſitum eſt quærere in præſentia. Si id autem ad eius naturam apertius & euidentius intelligendam pertinet, rurſus præmittendum eſt, vt ſuperius dicebamus, quòd ex rebus eæ quidem ſunt manifeſtæ, quæ ex ſeipſis ad noſtram veniunt cognitionem: vt eſt, in præſentia diem eſſe, & me diſſerere. Non manifeſtæ autem, quæ non ſic habent.

Signum dicitur communiter et propriè.

Manifeſtæ res quæ ſint.

Non manifeſtæ res quænam ſint.

Quot ſunt non manifeſtarum rerum differentiæ.

Ex iis rebus quæ ſunt incertæ ac non manifeſtæ, aliquæ quidem ſunt omnino incertæ & non manifeſtæ, aliæ autem natura, aliæ autẽ ad tempus. Ex quibus quidem illæ ad tempus incertæ & non manifeſtæ appellantur, quę ſua quidem natura ſunt euidentes, ſed propter aliquas externas circunſtantias aliquo tempore nobis ſunt non manifeſtæ: vt nobis nunc eſt ciuitas Athenienſium. Nam natura quidẽ eſt euidens ac manifeſta, ſed propter interuallum quod intercedit non eſt nobis manifeſta. Natura autem res ſunt non manifeſtæ, quæ perpetuò ſunt occultę, neque poſſunt ſub noſtram cadere euidentiã: vt ſunt pori ſeu meatus quos percipit intelligentia, & quod nonnulli cenſent eſſe naturaliter extra mundum, inane infinitum. Omnino autem incertæ & non manifeſtæ res ſunt, quæ ſunt huiuſmodi, vt ſua natura ſub humanam nunquam cadant comprehẽſionem: vt ſtellas eſſe pares aut impares, & tam multas eſſe numerò arenas in Libya. Cùm ſint ergo quatuor in rebus differentiæ: vna quidem euidentium: ſecunda autem earum quæ ſunt omnino incertæ & non manifeſtæ: tertia autem earum quæ ſunt incertæ ac non manifeſtæ natura: quarta autem earum quæ ad tempus, non omnẽ differentiam dicimus opus habere ſigno, ſed aliquam. Iam enim neque quæ ſunt omnino incertæ ac non manifeſtæ, vllum admittunt ſignum: neque quæ ſunt euidentes. Sed euidentes quidem, quoniam ex ſe incurrunt, nullo alio opus habent ad indicãdum. Quæ ſunt autem omninò incertæ, quòd cùm communiter omnem effugerint comprehenſionem, nec eam

Res non manifeſtæ ad tempus.

Res non manifeſtæ natura.

Res non manifeſtæ omnino.

Signo quænã res opus habeant.

admittunt quæ fit per ſignum. Quæ ſunt autem natura incertę & obſcuræ, & quæ ſunt obſcuræ, opus habent ea quæ eſt ex ſigno obſeruatione. Eæ quidem quæ ſunt ad tempus incertæ & non manifeſtæ, quòd ex aliquibus circunſtantiis ex noſtra tolluntur euidentia. Quæ autem ſunt natura incertæ & non manifeſtæ, quòd eæ planè non appareant. Cùm ergo ſit duplex differentia rerum quæ ſigno indigent, duplex quoque exortum eſt ſignum.

Signũ duplex, nempe in memoriam reuocans, & indicans.

alterum quidem in memoriam reuocans, quod videtur maximè eſſe vſui in rebus quæ ſunt ad tempus incertæ & non manifeſtæ: alterum autem indicans, quod cenſetur aſſumendum in iis rebus quæ ſunt natura incertæ & non manifeſtæ.

Signũ in memoriam reuocans quale ſit.

Et id quidem quod in memoriam reuocat, ſimul obſeruatum cũ ſigno quod eſt per euidentiam, ſimul atque inciderit, deducit nos ad recordationem illius rei quæ nõ eſt manifeſta, quæ ſimul cum eo eſt obſeruata, nunc autem euidenter non incurrit: vt in fumo & igne. Ea enim ſæpe inter ſe inuicem coniuncta obſeruantes, ſimul atque alterum viderimus, nempe fumum, reliquum renouamus, nempe ignem qui non cernitur. Eadem eſt ratio et in cicatrice quæ vlceri accedit: & in vulneratione cordis quæ mortem præcedit. Nam cùm cicatricem viderimus, vlcus quod præceſsit renouamus. conſpecta autem cordis vulneratione, mortem futurã prænoſcimus. Sed ſignum quidem reuocans in memoriam, talem habet proprietatem.

Signum indicans quale ſit.

Indicans autem ab eo differt. Neque enim vtique id admittit obſeruationem ſimul cum ſigno. Nam ab initio vtique in ſuſpicionem & exiſtimationem cadere non poteſt res quæ eſt incerta & non manifeſta: & propterea non poteſt obſeruari ſimul cũ aliquo ex iis quæ apparent, ſed apertè ex propria natura & conſtitutione, tantùm non vocem emittens dicitur ſignificare illud cuius eſt indicãs: vt anima eſt ex iis rebus quæ ſunt natura incertæ & non manifeſtæ. Sua enim natura nunquam cadit ſub noſtram euidentiam. Cùm autẽ ſit eiuſmodi, indicatiuę ſignificatur ex motibus corporis: ratiocinamur enim quòd vis quædam quę corpus ſubiit, ei tales indit motus. Verumenimuero cùm duo ſint ſigna, nempe & id quod in memoriam reuocat, & in iis rebus quæ ſunt ad tempus incertæ & non manifeſtæ, videtur valde vtile: & id quod indicat, quod quidem refertur ad ea quæ ſunt natura incerta & non manifeſta, omnis noſtra futura eſt quæſtio & dubitatio, non de eo quod in memoriam reuocat.

De ſigno indicãte, non de ſigno reuocãte in memoriã dubitãt ſceptici.

nemo enim eſt qui non communiter credat hoc eſſe vtile ad ea quæ ad vitam pertinent: ſed de eo quod indicat. hoc enim fictum eſt à dogmaticis Philoſophis,

& à

& à ratione vtētibus Medicis, vt quod poſsit ipſis præbere vſum maximè neceſſarium. Vnde nec pugnamus cum communibus & quæ ſunt anticipatæ hominum notionibus: nec vitam confundimus, dicentes nullum eſſe ſignum, vt quidam nos calumniantur. Nam ſi tolleremus omne ſignum, pugnaremus fortè cum vita & cum omnibus hominibus. Nunc autem ipſi quoque nouimus, ex fumo quidē præceſsiſſe ignem: ex cicatrice autem vlcus: ex præcedēte autem cordis vulneratione mortem: ex propoſita autem tęnia ſumentes vnctionē. Nunc ergo quoniam ſignum quidem ponimus quod in memoriam reuocat, quo vita humana vtitur, hoc autē tollimus quod à Dogmaticis falſa inductum eſt opinione, an non præterea quòd cum vita nō pugnamus, eam etiam defendimus? quoniam Dogmaticos qui aduerſus communem & anticipatam hominum inſurrexerunt notionē, & dicunt ſe ſcire ea quæ ſunt natura incerta ac non manifeſta, ex Philoſophia notāter refellimus. Atque hæc quidem in ſumma dicta ſint de ſigno quod cadit ſub quæſtionem. Oportet autem in præſentia memoria tenere morem Scepticorum. Is autem eſt, non cum perſuaſione & aſſenſione exponere rationes cur non ſit ſignum. Hoc enim facere, perinde eſt ac cenſere eſſe aliquod ſignum ſimiliter atque ij qui dogmata ſtatuunt. Alioqui deducere quæſtionem ad par robur ac parem firmitatem: & oſtendere quòd eſt æquè credibile, nō eſſe, & eſſe aliquod ſignum, aut contrà æquè incredibile, aliquod eſſe ſignum atque non eſſe. hinc enim momenti nulla fit menti inclinatio & aſſenſio. Propter hoc certè, etiam is qui nobis videtur contradicere, fert opem iis qui dicunt nullum eſſe ſignum indicans: & partem quæ debet Scepticè confirmari, eam ipſe acceptā confirmat. Si enim quæ ab iis qui dubitant aduerſus ſignum afferuntur rationes, ſunt admodum validæ & propemodum eiuſmodi vt aduerſus eas contradici non poſſit: iis autē minimè carent qui apud Dogmaticos eius probant eſſentiam, ex eo ipſo mittenda eſt eſſentia, & non iniuria ad alteram partem eſt accedendum. Sed cùm oſtenſus ſit mos Scepticus, de cætero procedamus ad confirmandum propoſitum. Ex iis ergo quæ ſunt, aiunt Sceptici, alia quidem ſunt ex differentia, alia autē quæ quodammodo referuntur ad aliquid. Et ex differentia quidem ſunt, quæ ex propria intelliguntur ſubſtantia & abſolutè: vt album, nigrū, dulce, amarum, & quidquid eſt his ſimile. Ad ea enim nuda & per ſe ſola nos applicamus & ex circunſcriptione, & abſque eo quod aliquid aliud ſimul cogitemus. Ad aliquid autem referuntur, quæ intelliguntur

Mos Scepticorum in diſputatione de ſigno.

Res quænam dicantur eſſe ex differentia.

Res ad aliquid relatæ.

liguntur ex habitudine & relatione ad alterum, & non ſumuntur abſolutè, hoc eſt ſeorſum ac ſeparatim: vt albius, & nigrius, & dulcius, & amarius, & quidquid eſt eius generis. Nõ enim quomodo album aut nigrum aut amarum ex propria intelligebatur circunſcriptione, ita etiam albius aut nigrius, ſed vt hoc intelligamus, ſimul quoque adiicere oportet, & illud non eſt albius, aut illud non eſt nigrius: & in dulciori & amariori eadem eſt ratio. Quoniam ergo duæ ſunt rerum differentiæ, vna quidem ex iis quæ ſunt ex differentia, altera autem ex iis quæ aliquo modo referuntur ad aliquid, oportebit ſignũ quoque indicans, aut ex iis eſſe quæ ſunt ex differentia, aut ex iis quæ referuntur ad aliquid. nam inter hæc quidem nulla intercedit rerum ſpecies. Sed minimè eſt ex iis quæ ſunt ex differentia, vt ex eo ipſo conceſſum eſt etiam ab iis qui ſunt diuerſæ ſententiꝗ. Erit ergo ex iis quæ referuntur ad aliquid. Quomodo enim ſignatum quod intelligitur ex ea quæ eſt tanquam ad ſignum relatione ac habitudine, eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid: eſt enim alicuius ſignum, nempe ſignati. Si ergo alterum eorum ſuſtulerimus ex hypotheſi, ſimul etiam tolletur reliquum: vt etiam in dextero & ſiniſtro cernitur fieri. Nam ſi nullum ſit dexterum, nec erit quidem aliquid ſiniſtrum, propterea quòd vtrunque eorum eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid: & ſi nullũ ſit ſiniſtrum, ſimul etiã circunſcribitur dexteri cogitatio. Neq; enim, vt dixi, albius aliquid poteſt cognoſci, niſi ſimul ſubiiciatur id quo eſt albius. ergo nec nigrius. Quoniã ergo ſignum quoque eſt ex iis quæ referũtur ad aliquid, vt prius diximus, ſimul cum ſigno cõprehenditur id cuius eſt ſignum. Quod autẽ cum eo comprehenditur, non eſt eius ſignum. Exiſtimare enim quòd id quod cum aliquo ſimul comprehenditur, eſt illius ſignum, eſt planè abruptum. Nam cùm ambo ſumantur ſub vno præfinito termino temporis, neque hoc illud aperit, neque illud hoc ſignificat: vtrunque autem per ſe incurrens vim habet eiuſmodi. Rurſus componi poteſt eiuſmodi ratio. Signũ ſi poteſt comprehendi, aut comprehenditur ante ſignatum, aut cum eo ſimul comprehenditur, aut poſt ipſum. Neque autem prius comprehenditur, neque ſimul, neque poſtea, vt oſtendemus. Non poteſt ergo ſignum comprehendi. Atque dicere quidem quòd poſt ſignatum comprehenditur ſignum, ex ſe cernitur abſurdum. Quomodo enim adhuc poteſt aperire ſignum, cùm id quod ab eo aperitur ſignatum, ante ipſum comprehendatur? Et alioqui Dogmatici aſſumẽt aliquid quod pugnat cum eo quod ab ipſis ſolet conſtitui, ſi hoc dicant. Dicunt

Signum non eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid.

Signum non comprehendi.

cunt

cunt enim ſignatum eſſe incertum & non manifeſtum, & ex ſe non poſſe comprehendi. Sed ſi poſt eius comprehenſionem comprehenditur ſignum, non erit hoc incertum & non manifeſtum, quãdoquidem hoc fuerit deprehenſum antequam adeſſet quod ipſum ſignificat & declarat. Quamobrẽ ſignum non comprehenditur cum ſignato. Sed neque ſimul comprehenditur propter prius dictam paulo antè cauſam. Nam quæ à ſe inter ſe cõprehenduntur, non opus habent vt ſe inuicem ſignificent ac declarent, ſed ex ſeipſis in vnum incurrunt. & ideo neque ſignum dicetur eſſe ſignum, neque ſignatum adhuc eſſe ſignatum. Reſtat ergo vt dicatur quòd ſignum comprehenditur ante ſignatum. quod rurſus deuoluitur ad eaſdem reprehenſiones. Deberent enim prius oſtendere Dogmatici, quòd ſignum non ſit ex iis quæ referuntur ad aliquid: aut quòd ſimul inter ſe non comprehenduntur quæ referuntur ad aliquid: deinde à nobis quoque ſumere, quòd ſignum comprehenditur priuſquam ſignatum. Si prima autem ſunt immobilia, fieri non poteſt vt quæ præcedit comprehenſio, ſigno ferat teſtimonium, quod eſt ex genere eorum quę referuntur ad aliquid, & debet ſimul comprehendi cum eo cuius eſt ſignum. Sed ſi vt ſignum comprehendatur, oportet vel ipſum prius comprehendi quàm ipſum ſignatum, vel cum eo ſimul comprehẽdi, aut poſt ipſum: oſtenſum eſt autem nihil ex iis poſſe fieri. Dicendum eſt ergo ſignum eſſe incomprehenſibile. Præterea vi eadem aliam rationem interrogant quidam Dogmaticos, quæ ſic habet: Si eſt aliquod ſignũ alicuius indicans, aut apparens eſt ſignum apparentis, aut non apparens non apparentis, aut apparens non apparentis, aut non apparens apparentis. Neque autem apparens eſt ſignum apparẽtis, neq; non apparens non apparentis, neque apparens non apparentis, neq; contrà. Non eſt ergo aliquod ſignum. Et ratio quidem eſt eiuſmodi. Eſt autem eius quoque euidens probatio. fiet autem euidentior, ſi oſtenderimus obiectionem quæ à Dogmaticis aduerſus ipſos affertur. Dicunt enim ſe duas ſolas concedere coniugationes, de duabus autem reliquis à nobis diſſidere. Nam apparẽs quidem, eſſe ſignum apparentis, & non apparentis apparens eſſe ſignum, verum eſt. Non apparens autem apparentis, aut non apparens non apparentis eſſe ſignificans, falſum eſt. Iam enim apparens quidem apparentis ſignum eſt, nempe vmbra corporis. Nam & ipſa cùm ſit ſignum, eſt apparẽs: & corpus cùm ſit ſignatum, eſt euidens. Apparens autem oſtendit ac declarat non apparens: vt rubor pudorem. Nam rubor quidem cùm

sit euidens, per se poterat deprehendi: pudor autem non apparebat. Sunt autem planè stulti & simplices ij qui hæc dicunt. Nam cùm constet signum esse ex iis quæ referuntur ad aliquid, & necessariò simul inter se comprehendi ea quæ referuntur ad aliquid, non potest ex iis quæ simul inter se incurrunt, aliud quidem esse signum, aliud verò signatum. sed omni ratione & omnino, propterea quòd vtraque simul euidenter inter se incurrant: & quòd necessariò simul comprehendant, neque signum esse aliquid ex iis, neque signatũ, cùm illud quidem non habeat quod aperiat ac retegat, hoc autem non egeat eo quod sit aperturum ac detecturum. Eadem sunt dicenda etiam de reliqua coniugatione, per quam censebant apparens esse signum non apparẽtis. Oportet enim si hoc ita habeat, prius comprehendi signũ quàm signatum, & signatum comprehendi post signum. quod quidẽ non potest fieri, propterea quòd sit ex genere eorum quæ referuntur ad aliquid, & ea debeant à se inter se comprehendi. Ex iis quidem certè rebus quæ comprehenduntur ab homine, aliæ quidem videntur per sensum comprehendi, aliæ autem mentis cogitatione. Et per sensum quidem, vt album, nigrum, dulce, amarum: mentis autem cogitatione, pulchrum, turpe, legitimum, iniquum, pium, impium. Igitur signum quoque si est ex iis quæ possunt comprehendi, aut est ex rebus sensilibus, aut ex iis quæ percipiuntur intelligentia. Nam si nõ sit ex altero horum generum, ne omnino quidẽ erit. Hoc certè protinus est indicium quòd non possit comprehendi, nempe quòd huc vsque distrahatur eius natura, aliis quidem existimantibus id esse sensile, aliis verò ipsum cadere sub intelligentiam. Nam Epicurus quidem & qui eius præsunt hæresi, dixerunt signum esse sensile: Stoici autem id cadere sub intelligentiam. Si hæc autem dissensio ferè est eiusmodi vt iudicio terminari non possit, necesse est vt in signo sustineatur assensio, cùm debeat esse vel sensile vel cadens sub intelligentiam. & quod est omnium grauissimum, in contrarium transmutata fuit eius promissio, siquidem pollicetur quidem futurum vt aliquod aliud aperiat ac detegat, contrà autem ipsum nunc est inuẽtum opus habere alio quod ipsum sit aperturũ ac detecturum. Si enim vnumquodque de quo est controuersia, est incertum ac non manifestum: id autẽ quod est incertum & non manifestum, est omnino ex signo comprehendendum: signum quoque de quo est controuersia, opus habebit aliquo signo ad ostendendum quòd sit incertum & non manifestum. Sed nec possunt dicere, quòd id de quo dissentitur, confirmari

Signum sitne sensile an intelligibile dubitatur.

Ad signũ comprehẽdendum alio signo opus est.

mari & probari possit demonstratione. Nam primum quidem quando demonstrauerint, tunc id sumant vt quod sit probatum ac fide dignum. Quandiu autem est illis sola ac nuda promissio, nõ autem demonstratio, stat in sustinenda assensione. Deinde demonstratio quoque est eorum de quibus dubitatur. Quòd si de ea quoque dissentiatur, opus habet eo quod sit fidem facturum. Per id autem quod quęritur, quod quæritur velle ostendere, est planè absurdum. Alioqui autem genere quoque signum est demonstratio. est enim aperiens ac detegens conclusionem. Vt ergo signum confirmetur, oportet credibilem esse demonstrationem. Vt autem credibilis fiat demonstratio, oportet signum prius confirmari. Quo fit vt vtrunque vt ab altero fides fiat expectans, ex æquo est reliquo incredibile. Ad hæc accedit, quòd id quod sumitur in parte demonstrationis ad signum confirmandum, aut est sensile, aut cadit sub intelligentiam. Et si sit quidẽ sensile, rursus manet quę fuit ab initio quęstio, eo quòd de sensilibus communiter dissentiatur. Sin autem sit quod cadit sub intelligentiã, est similiter incredibile. Non enim sine sensilibus potest hoc apprehendi. Cæterum concedatur, & ex abundãtia detur, signum esse aut sensile, aut cadere sub intelligentiam. Sed sic quoque fieri non potest vt credibilis sit eius substantia. Dicendum est autem de vtroque vnũ magnum. Et protinus quidem est dicendum, quòd id non sit sensile. Vt ergo de hoc constet, oportet prius consentire de essentia sensiliũ, & de ea conuenire omnes Physicos. ex ea autem consensione de signo deducitur quæstio. Inter eos autem nõ conuenit, sed dum lympha fluet, procera arborque virescet, non cessabunt Physici de ea re inter se depugnare. Nam Democritus quidem dicit nullum esse subiectum sensilium, sed inanes quasdam sensuum affectiones esse eorũ apprehensiones. & neque in rebus externis esse aliquid dulce, nec amarum, aut calidum, aut frigidum, nec aliquid aliud ex iis quæ apparent omnibus. hæc enim esse nomina nostrarum affectionum. Epicurus autem dicebat omnia sensilia subiici talia, qualia in sensum videntur incurrere, sensu nunquam fallente, cùm alij eum falli existiment. Stoici autem & Peripatetici media via ingredientes, dixerunt nonnulla quidem subiici sensilia vt vera, nonnulla autem non esse, cùm de iis fallat sensus. Sed vt summatim dicam, si signum volumus esse sensile, oportet ante omnia de eo constare, firmiterque ac stabiliter ostẽdi sensilium substantiam, vt hoc quoque detur esse firmiter ac stabiliter comprehensibile: aut si acciderit de eo perpetuum esse dissi-

Signum probari non potest demõstratione.

Demonstratio est eorum de quibus dubitatur.

Demonstratio est genere signum.

Signum nõ est sensile.

Sensilium nullum esse subiectum, sed inanes sensuũ affectiones esse sensilium apprehẽsiones dicebat Democritus.

Sensilia talia esse qualia in sensum incurrũt, & sensum nunquam fallere dicebat Epicurus.

Sensilium aliqua esse vera, aliqua falsa, dicebant Stoici et Peripatetici.

dissidium, oportebit hoc quoque eandē habere consensionem. Quęro ergo quemadmodum possunt nos docere qui sunt diuersæ sententiæ, quòd signum sit reuera sensile? Quoduis enim sensile sua natura subiicitur omnibus quæ similiter se habent, & ex æquo sumuntur: vt album colorem non aliter quidem apprehendunt Græci, aliter verò Barbari, & differenter quidem artifices, diuersè verò rudes & imperiti: sed similiter omnes quorum sensibus nihil obsistit. & amarū rursus aut dulce non aliter quidem hic gustat, alio autem modo iste: sed similiter gustat vnusquisque ex iis qui sunt affecti similiter. Signum autem, vt signum, non cernitur similiter mouere eos qui sunt similiter affecti: sed aliis quidē minimè est signum alicuius, etiamsi in eos euidēter incurrat. aliquibus autem signum quidem est, sed non eiusdem rei, sed diuersæ. Eadem enim si appareant, exempli gratia in arte medēdi, huic quidem sunt alterius rei signa, vt Erasistrato: alterius verò isti, vt Herophilo: alterius autem illi, vt Asclepiadi. Nō est ergo dicendum signum esse sensile. Si enim sensile quidem, mouet omnes similiter. Signum autem non mouet omnes similiter. Signum minimè est sensile. Rursus si signum est sensile, oporteret sicut ignis cùm sit sensilis, vrit omnes qui possunt vri: & nix cùm sit sensilis, frigefacit omnes qui possunt frigefieri: ita etiam ipsum, siquidem est ex sensilibus, deberet omnes deducere ad idem signatum. Non deducit autē. Non est ergo sensile. Ad hæc accedit quòd si signum est sensile, aut à nobis comprehendi possunt quæ non sunt manifesta, aut non comprehendi. Atque si à nobis quidem non possunt comprehendi, perit signum. Nam cùm sint duæ res, aliæ quidem euidentes, aliæ verò incertæ & non manifestæ, si sunt quidē incertæ & non manifestæ, propterea quòd non possint comprehendi, nullum est signum. Sin autē possunt comprehendi, rursus oporteret, quoniam signum est sensile, sensile autem ex æquo omnino mouet, quæcunque sunt incerta & non manifesta comprehēdi. Sed alij quidem dicunt ea non comprehendi, vt medici Empirici, & Sceptici philosophi. Alij autem comprehendi quidem, sed non similiter. Nō est ergo signum sensile. Imò est, inquiunt. sed sicut ignis, cùm sit sensilis, pro materiæ subiectæ diuersitate diuersas ostendit facultates, & in cera quidem liquefacit, in luto autem cogit & facit concrescere, in ligno autem vrit: eodē modo est consentaneum, signum quoque, cùm sit sensile, pro diuersitate eorum quæ ipsum apprehendunt, res diuersas indicare & declarare. Nec est hoc admirabile, cùm etiam in signis quę reuocant in memoriam,

Sensile mouet omnes similiter & eodem modo.

Signum non similiter mouet eos qui sunt similiter affecti.

Sensilis rei idē est effectus.

Signi non est idem effectus.

Nullum est signum eorum quæ non possūt comprehendi.

Signum, cùm sit sensile, pro diuersitate eorum quæ ipsum apprehēdunt, res diuersas indicat & declarat.

riam, hoc quoque cernatur fieri. Fax enim quæ ſuſtollitur, ſignificat aliquibus incurſionẽ hoſtium: aliquibus verò indicat aduentum amicorum. & nolæ ſonus aliis quidem ſignificat venditionem obſonij: aliis verò vias eſſe rigandas. Ergo ſignum quoque indicans, cùm ſenſilem habeat naturam, alia & alia poterit ſignificare & indicare. Rogauerit autem hic quoque quiſpiã eos qui vtuntur illa quæ fit ab igne tranſitione, vt oſtendant hoc fieri in ſigno, quod in igne fieri contingit. conſtat enim eum habere prius dictas facultates: nec eſt vllus qui non fateatur, ceram quidem liquefieri, lutum autem cogi & concreſcere, lignum verò vri. In ſigno autem indicante, ſi admittamus fieri quòd cum eo proportionem habeat & conueniẽtiam, ad maximam deducemur abſurditatem, dicentes eſſe vnumquodque ex iis quæ ab eo indicantur, quo fiet, vt, exempli gratia, & multitudinem vnum faciant, & acrimoniam, & corporis conſtitutionem, quod quidem eſt abſurdum. Fieri enim non poteſt, vt quæ ſic pugnant cauſæ, & ſe inter ſe perimunt, ſimul ſint. Aut ergo hoc fateantur, etiam ſi fieri non poſſit, qui dogmaticè philoſophantur: aut ſignũ, cùm ſit ſenſile, quod ad ſe attinet, nihil indicare. Nos autem cùm diuersè ſimus affecti, nõ ſimiliter eo mouemur, quod quidem fateri in animum minimè induxerint, atque eo quòd tales ignis vires non cõueniant ac conſentiãt, ſed ſint dubiæ. Si enim ignis habet vrendi naturam, deberet omnia vrere, & non aliqua quidem verè, aliqua verò minimé. & ſi vim habet liquefaciendi, deberet omnia diſſoluere, & non aliqua quidem; aliqua verò minimé. Nunc autem videtur hoc facere, non ex ſua natura, ſed propter materiam eorum quæ vruntur, quæ ad illum accedit: vt vrit lignum, non quòd vim habeat vrendi, ſed quòd lignum aptum ſit vt vratur, cùm illum habuerit opem ferentem. & liquefacit ceram, non quòd vim habeat liquefaciendi, ſed quòd cera apta ſit vt liqueſcat eius ope freta. De his autem docebimus accuratius, quando cõſiderabimus de eorum eſſentia. Nunc autem aduerſus eos qui ad ſignum accedunt quod reuocat in memoriam, & aſſumunt facem & ſonum nolæ, nobis dicendum eſt, non eſſe mirandum ſi eiuſmodi ſigna plura indicent & ſignificent. Nam cùm leges dederimus, vt aiunt, definitum & in nobis ſitum eſt, velimús ne ea vnum ſignificare ac indicare, an plura. Signum enim indicans, cùm ſignatum è ſua natura videatur enuntiare, neceſſariò oportet ipſum eſſe vnius rei indicans, idque omnino vniforme. Nam ſi ſit cõmune multorum, non erit ſignum. Fieri enim non poteſt, vt vnum firmiter ac ſtabiliter ſumatur,

νοσοποιεῖν.

Ignis ex ſua natura nec vrendi, nec liquefaciendi vim habet, ſed propter materiam eorũ quæ vruntur et liqueſiunt.

Signa, quæ reuocãt in memoriam, propter legem datam plura indicant et ſignificant.

Signum eſt vnius rei indicans & vniforme.

 matur,

matur, ſi multa ſint quæ non ſunt manifeſta: vt ex diuite fieri pauperem, commune eſt & eius quòd quis luxurioſè viuendo ſua prodegerit,& quòd nauem fregerit,& quòd amicis ſua erogarit. Cùm autem ſit multorum commune, non poteſt præcipuè aliquod vnum ſignificare ac indicare. Nã ſi hoc,cur magis hoc quàm illud? Sed nec omnia. Non poſſunt enim ſimul eſſe omnia.

Signum indicans differt à ſigno quod reuocat in memoriam.

Differt ergo ſignum indicans à ſigno quod reuocat in memoriam. & non eſt ab illo ad hoc tranſeundum: quandoquidem oportet illud quidem vnum ſolum indicare ac ſignificare,hoc autem poteſt plura oſtẽdere, & vt nos ſpeciem facti poſuerimus,ſignificare,quòd quidquid eſt ſenſile,non poteſt doceri.

Senſile nõ poteſt doceri.

Neque enim album colorem docetur quiſpiam videre, neque amarum diſcit guſtare, neque calidum apprehendere, neque aliquid aliud eiuſmodi:ſed à natura & ſine doctrina horum omnium ădeſt nobis cognitio.

Signum docetur cum multo labore.

Signum autem, vt ſignũ, cum multis, vt aiunt, docetur laboribus: vt in arte gubernandi, quòd ventos ſignificet & tempeſtatem aut ſerenitatem. Similiter autem apud eos qui verſantur in tractandis rebus cœleſtibus: vt apud Aratum & Alexandrum AEtolum.

Alexander Aetolus tractauit res cœleſtes.

Eodem modo etiam apud Medicos Empiricos: vt rubor, & articulorum curuitas,& ſitis,& alia. Quæ qui non didicerit,ea nõ apprehendit vt ſigna. Signum ergo nõ eſt ſenſile. Nam ſi ſenſile quidem,non poteſt doceri: Signum autem vt ſignum poteſt doceri: Signum non eſt ſenſile.

Senſile intelligitur ex differentia.

Signum refertur ad aliquid.

Senſile quoque, quatenus eſt ſenſile, intelligitur ex differentia: vt album, nigrum: dulce,amarum,& quidquid eſt eiuſmodi. Signum autem,quatenus ſignum,eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid. conſideratur enim ex habitudine ac relatione quæ eſt tãquam ad ſignatum. Non eſt ergo ſignũ ex ſenſilibus.

Senſile apprehenditur ſenſu,ſignum mente.

Præterea quidquid eſt ſenſile, vt ipſum oſtendit vocabulum, apprehenditur ſenſu: Signum autem,vt ſignum,non ſenſu apprehẽditur, ſed mente ac cogitatione. Dicimus quidem certè verum eſſe ſignum & falſum. verum autem & falſum non eſt ſenſile. vtrunque enim eſt pronunciatũ. Pronunciatum autem non eſt ex ſenſilibus, ſed ex iis quæ cadunt ſub intelligentiam. Dicendum eſt ergo ſignum non eſſe ex ſenſilibus. Sic quoque eſt argumentandum, Si ſignum eſt ſenſile, id eſt ſignum indicans. quod quidem non ita habet. Si enim ſenſile aliquid indicat, aut id quod eſt eiuſdem generis, indicabit id quod eſt eiuſdem generis: aut id quod eſt diuerſi generis,id quod eſt diuerſi generis.

Senſile nõ eſt alicuius indicans.

Nõ eſt ergo ſenſile alicuius indicans. vt, eſto per hypotheſim nunquam nos incidiſſe in colorem album, nec in nigrum: primum autẽ videre album.

album. Sed non potuerimus ex huius comprehensione colorem nigrum comprehendere. Habere enim notionẽ, nigrum esse alterum colorem,& non talem qualis est albus, fortasse est ex iis quæ possunt fieri. Nigrum autem colorem comprehendere ex præsentia albi,est planè eiusmodi vt nulla ratione possit fieri. In voce quoque est eadẽ ratio,& communiter in aliis sensilibus.

Sensile eiusdẽ generis non potest indicari ab eo quod est eiusdẽ generis.

Sẽsile ergo eiusdem generis, ab eo quod est eiusdem generis nõ potest indicari: vt aspectabile ab aspectabili; audibile ab audibili, aut gustabile à gustabili.

Sensile diuersi generis nõ potest indicari à sensili diuersi generis.

Sed nec quod est diuersi generis indicari potest ab eo quod est diuersi generis:vt aspectabili ab audibili, aut audibile à gustabili aut odorabili. Non enim si quispiam olfaciat aliquid suaue olens, venit ad comprehensionem albi coloris. Neque qui vocem apprehendit, gustu sentit dulcedinem. Quanquam longum est quærere, an quod est eiusdem generis, possit esse signum eius quod est eiusdem generis, & quod est diuersi, eius quod est diuersi, cùm etiam de eo quod est propius, quispiam desperauerit qui sapuerit, nẽpe de eo quòd sensile seipsum non possit indicare.

Sẽsile seipsum non potest indicare.

Ex iis enim qui de eo cõsiderarunt, vt sæpe ostẽdimus, alii quidem dicunt ipsum non apprehẽdi à sensu quale est natura. Neque enim esse album, nec nigrum, nec calidum, nec frigidũ, nec dulce, nec amarum, nec huiusmodi alia præditum qualitate. Sed cùm inaniter sit affectus & fallatur noster sensus, videri subiectũ esse huiusmodi. Alij autem existimarunt quædam quidẽ ex sensilibus verè esse, aliqua autem minimé. Alij autem ex æquo omnibus tribuerunt essentiam. Cùm sit ergo tanta,& iudicio non decisa dissensio de substantia sensilium, dici non potest sensile seipsum ostendere, cùm nondum cognoscatur quænam sit vera sententia eorum qui sic dissident. At illud quidem certè tenendum est, quòd neque sensile eiusdẽ generis, indicatur à sensili eiusdem generis: neque quod est diuersi generis, ab eo quod est diuersi generis: neque ipsum à seipso indicatur.

Signa febricitantium non similiter omnibus apparent.

χρῶς ἔνικμος.

AEnesidemus autem in quarto libro Pyrrhonæorum, de eodem argumento,& eadẽ ferè vi ac virtute sic interrogat: Si quę apparent, omnibus similiter affectis similiter apparẽt, rubor certè qui apparet in febricitantibus, & causarum præcedens affectio,& cutis humida, & calor maior, & pulsus vehementior,& cætera signa, iis qui similiter sunt affecti & sensibus & alia constitutione, non eiusdem rei incurrunt signa, neque similiter apparẽt omnibus: sed Herophilo quidem, exempli causa, tanquam apertè boni sanguinis signa: Erasistrato autem tanquam transmutationis à venis in arterias: Asclepiadę au-

tem

αἱ στάσεις

tem, tanquam signa vehementioris intensionis corpusculorum quæ percipiuntur intelligentia, in raritatibus quæ cadunt sub intelligentiam. Est ergo recta etiam secunda propositio. Sed & tertia, quòd quæ apparent, similiter apparent omnibus similiter affectis. Color enim, exempli causa, albus, ei quidem qui morbo laborat regio, & ei qui sanguine suffusos habet oculos, & ei qui secundum naturam est affectus, non similiter incurrit. non sunt enim similiter affecti. quamobrem illi quidem apparet fuluus, huic verò ruber: iis verò qui sunt in eadem affectione, nempe sanis, albus solùm apparet. Si ergo veræ sunt hæ propositiones, simul etiam inferetur illatio. Apparens ergo non est signum. Atque nobis quidem hac via & ratione argumentantibus, ex se vera ostensa est oratio. Quòd autem sit etiam indemonstrabilis, perspicuum erit si syllogisticè eam resoluerimus. Iam enim, vt paulò altius rem sumamus, indemõstrabiles dicuntur duobus modis, nempe & quæ non sunt demonstratæ, & quæ non opus habent demonstratione, quòd ex se in eis sit perspicuũ quod colligant. Sæpe autem ostendimus quòd in secundo significato ita sunt appellatæ, quæ locatæ sunt à Chrysippo in principio primæ institutionis De syllogismis. Nunc autem cùm de hoc constet, sciendum est, quòd prima quidem indemonstrabilis est, quæ ex connexo & antecedente, consequens in illo connexo habet conclusionem. hoc est, quando oratio duas habet propositiones, quarum altera quidem est connexum, altera verò antecedens in connexo, habet autem & illationem consequens in eodem connexo. tunc eiusmodi oratio appellatur prima indemonstrabilis: vt quæ sic habet, Si dies est, lux est. Atqui dies est, Lux ergo est. Hæc enim, alteram quidem ex propositionibus habet connexum, nempe illud, Si dies est, lux est. alteram autem, antecedens in connexo. Atqui dies est, lux ergo est, tertiam, illationem consequens connexi. Secunda autem indemonstrabilis est, quæ ex connexo & eo quod aduersatur consequenti in illo connexo, id quod aduersatur antecedenti, habet conclusionem. hoc est, quando oratio rursus constat ex duabus propositionibus, quarum altera quidem est connexum, altera autẽ id quod aduersatur consequenti in connexo: habet autem & illationẽ id quod aduersatur antecedenti, tunc eiusmodi oratio est secunda indemonstrabilis: vt illud, Si dies est, lux est. Non est autem lux, non est ergo dies. Tunc enim, Si dies est, lux est, quod est altera propositio orationis, aduersatur ei quæ est in connexo. & illatio, Non est ergo dies, est ea quæ aduersatur antecedenti.

Indemonstrabilis dicitur duobus modis.

Prima indemonstrabilis oratio.

Secunda indemonstrabilis oratio.

Tertia

Tertia autem oratio indemonſtrabilis eſt, quæ conſtans ex coniunctione negatiuæ, & vno ex iis quæ ſunt in coniunctione, habet concluſionem eam quæ aduerſatur reliquæ earũ quæ ſunt in coniunctione: vt, Non & dies eſt, & nox eſt, eſt negatiua cõiuncta huius, Et dies eſt, & nox eſt. Illud autem, Dies eſt, eſt altera earum quæ ſunt in coniunctione. Illud autem, Non eſt ergo nox, aduerſatur reliquæ ex iis quæ ſunt in coniunctione. Atque tales quidem ſunt orationes. Modi autem & veluti figuræ in quibus rogatæ ſunt quæ ſic habent, ſunt huiuſmodi. Primæ quidem indemonſtrabilis, Si primum, ſecundum. Primum eſt autem, ergo ſecundum. Secundæ autem, Si primum, ſecundum. Non eſt autem ſecundum, non eſt ergo primum. Tertiæ autem, Non eſt & primum, & ſecundum. Eſt autem primum, nõ eſt ergo ſecundum. Præterea ſciẽdum eſt, quòd ex indemonſtrabilibus aliæ quidem ſunt ſimplices, aliæ verò non ſimplices. Ex quibus ſimplices quidem ſunt, in quibus ex ſeipſis manifeſtum eſt quod colligunt. hoc eſt, quòd ſimul cum eorum propoſitionibus colligitur illatio: cuiuſmodi ſunt quæ ſunt expoſitæ. In prima enim ſi ſtatim dederimus eſſe verum, Si dies eſt, lux eſt. dico autem ad hoc quod eſt Diẽ eſſe, ſequi eſſe lucem. Ponamus autem primum eſſe verum, nempe Diem eſſe, quod eſt antecedens in connexo, neceſſariò ſequetur etiã eſſe lucem. quod quidem eſt concluſio orationis. Non ſimplices autem ſunt, quæ ſunt contextæ ex ſimplicibus, & adhuc opus habent vt in illas reſoluantur, vt ſciatur eas colligere. Ex his autẽ non ſimplicibus, aliæ quidem conſtant ex iis quæ ſunt eiuſdem generis, aliæ verò ex iis quæ non ſunt eiuſdem generis. Et ex iis quidem quæ ſunt eiuſdem generis, vt quæ ſunt contextæ ex duabus primis indemõſtrabilibus, aut ex duabus ſecundis. Ex iis autem quæ ſunt diuerſorum generum, vt quæ conſtant ex prima indemonſtrabili, aut ex ſecunda & tertia: & communiter quæ ſunt iis ſimiles. Atque conſtat quidem ex iis quæ ſunt eiuſdem generis: vt hic, Si dies eſt, lux eſt. Atqui dies eſt, lux ergo eſt. contexta enim eſt ex duabus primis indemõſtrabilibus, vt ſciemus ſi ipſam reſoluerimus. Sciendum eſt enim, quod contemplatio dialectica, quæ traditur in ſyllogiſmorum reſolutionibus, eſt huiuſmodi. Cùm habuerimus propoſitiones ex quibus colligitur aliqua concluſio, vi ac poteſtate in his habemus illam concluſionem, etiam ſi non enuntietur per prolationem. Quoniam ergo duas habemus propoſitiones, nempe & connexum illud, Si dies eſt, lux eſt. quod quidem incipit à ſimplici pronunciato, Dies eſt, deſinit autem

Tertia indemonſtrabilis oratio.

Indemonſtrabiliũ aliæ ſunt ſimplices, aliæ non ſimplices.

Indemonſtrabiles non ſimplices quænam ſint.

In ſyllogiſmorum reſolutionibus theorema.

in non simplex connexum, nempe, Si dies est, lux est: & præterea in antecedens quod est in eo, nempe Dies est: ex his nobis colligetur prima indemonstrabili consequens in illo connexo, nempe, Si dies est, lux est. Hoc ergo vi quidem ac potestate habemus collectum in oratione. Si in prolatione autem prętermissum collocauerimus cum anticipatione expositæ orationis, nempe Dies est, habebimus collectum illud, Lux est, prima indemonstrabili. quod quidem erat illatio expositæ orationis. Quo fit vt duæ sint primæ indemonstrabiles. vna quidem huiusmodi, Si dies est, lux est: altera autē huiusmodi, Si dies est, lux est. Atqui dies est, lux ergo est. Atq; huiusmodi quidem sunt orationes, quæ contexuntur ex iis quæ sunt eiusdem generis. Restat autem quæ constat ex iis quæ sunt diuersi generis, cuiusmodi est quæ apud AEnesidemum de signo fuit rogata. est autem huiusmodi: Si quæ apparent, omnibus similiter affectis similiter apparent: & signa sunt apparentia. Signa similiter apparent omnibus similiter affectis. Quæ autem apparent, omnibus similiter affectis similiter apparent. Signa autem non apparent omnibus similiter affectis. Signa ergo nō sunt apparentia. Constat enim eiusmodi oratio & ex secunda indemonstrabili, & tertia: sicut licet discere ex resolutione. quæ quidem fiet dilucidior, si nos doctrinam exhibuerimus in modo qui sic habet, Si primum & secundum, tertium. Non est autem tertium, sed nec primum: non est ergo secundum. Quoniam enim habemus connexum in quo antecedit complexum primum & secundum, consequitur autem tertium. Habemus autem & quod aduersatur consequēti, nempe Non tertium, colligetur nobis & quod aduersatur antecedenti, nempe Non ergo primum & secundum, secunda indemonstrabili. Sed hoc ipsum vi quidem ac potestate oratione exponitur, cùm habeamus quæ ipsum continent propositiones, in prolatione autē prętermittuntur, quæ si locauerimus cum ea quæ restat propositione, nempe prima, habebimus cōclusionem quæ colligitur, nempe Non ergo secundum, tertia indemonstrabili. Quo fit vt duæ sint indemōstrabiles. vna quidem huiusmodi, Si primum & secundum, tertium. Non est autem tertium, non est ergo primum & secundum. quæ est secunda indemonstrabilis. Altera autem secunda quæ sic habet, Nō & primum, & secundum. Atqui est primum, non est ergo secundum. Atque in modo quidem est eiusmodi resolutio. habet autē proportionem & conuenientiam in oratione. prætermittitur enim tertium, nempe illud, Non quæ apparent, omnibus similiter affectis similiter

appa-

apparent. & ſigna ſunt apparentia. Signa omnibus ſimiliter affectis ſimiliter apparent. Signa ergo non ſunt apparētia. Tertia autem huiuſmodi. Non & quæ apparent, omnibus ſimiliter affectis ſimiliter apparent. Et ſigna ſunt apparentia. Atqui quæ apparent, omnibus ſimiliter affectis ſimiliter apparent. Non ſunt ergo ſigna quæ apparēt. Eadem autem virtute colligendi eiuſmodi quoque proponetur oratio; Si quæ apparent, ex æquo apparent omnibus: & quæ apparent, ſunt ſigna eorū quæ non apparent. quæ non ſunt manifeſta, ex æquo apparent omnibus. Non autem quæ non ſunt manifeſta, ex æquo apparent omnibus. Sed & quæ apparent, ex æquo apparent omnibus. Non ergo quæ apparent, ſunt ſigna eorum quæ non ſunt manifeſta. Huius vtique orationis ſimilis quidem eſt reſolutio, per quam ſecunda indemonſtrabilis applicatur tertiæ. Sunt autem euidentes propoſitiones. Nam quòd quæ apparent, ex æquo apparent iis quorum ſenſibus nihil obſtat, eſt perſpicuum. Non enim aliis aliter apparet album, neque aliis aliter nigrum, neque differenter dulce: ſed ſimiliter omnes mouet. Si hæc autem ex æquo apparent omnibus, & vim habent indicatiuam eorum quæ non ſunt manifeſta: neceſſe eſt ea etiam quæ non ſunt manifeſta, ex æquo omnibus incurrere: vtpote quòd & eædem ſint cauſæ, & ſit ſimiliter ſubiecta materia. Hoc autem non ita eſt. Non enim omnes ſimiliter ea quæ non ſunt manifeſta cognoſcunt, etiam ſi ex æquo eis ſe offerant ſenſilia. Sed aliis ne veniunt quidem in cogitationem: aliis autem veniunt quidem, ſed attrahuntur in varietatem & in multiplices & inter ſe pugnantes negationes. Conſequens eſt ergo dicere ſigna non eſſe ſenſilia, ne nobis ſequatur hoc abſurdum. Licebit autem iis quoque quę dicta ſunt breuiter comprehenſis, tales proponere orationes: Si quæ apparent, omnibus apparent: ſigna autem non omnibus apparent: non ſunt ea quæ apparent, ſigna. Atqui primum, ergo & ſecundum. Et rurſus, Si quæ apparent, quatenus ſunt apparentia, non opus habent vt doceantur: ſigna non ſunt apparentia. Atqui primum, ergo & ſecundū. Atque aduerſus eos quidem qui cenſent ſignum eſſe ſenſile, hæ ſint motæ dubitationes. Conſideremus autem & ſectam illorum qui eis aduerſantur, eorum, inquam, qui illud acceperunt, vt quod cadat ſub intelligentiam. Fortè autem oportebit etiam pauca præmittere de eo quod ipſis placet, quatenus ſignum volunt eſſe pronunciatum, & ideo deſcribunt id cadere ſub intelligentiā. Dicunt ergo ſignum eſſe pronunciatum in recto cōnexo ex antecedenti aperiens conſequēs.

Signi, quatenus est pronunciatum, definitio.

Recti connexi quatuor coniugationes.

Iudicationes recti connexi multas quidem etiam alias esse dicunt: vnam autem esse ex omnibus de qua non constat, quæ est definienda. Omne enim connexum aut à vero incipiens desinit in verum, aut à falso incipiens desinit in falsum, aut à vero in falsum, aut à falso in verum. Atque à vero quidem incipiẽs desinit in verum, illud: Si sunt Dij, Deorum prouidentia mundus administratur. A falso autem in falsum, vt illud: Si terra volat, habet alas. A vero autem in falsum, vt: Si iste mouetur, ambulat, eo quidem non ambulante, sed mouente. Cùm sint ergo quatuor connexi coniugationes, nempe cùm & à vero incipiat, & in verum desinat: aut cùm à falso desinat in verum, aut contrà à vero in falsum, in primis quidem quatuor modis dicunt hoc esse verum. Nàm & si à vero incipiens desinat in verum, est verum: & si à falso in falsum, rursus verum: similiter autem & si à falso in verum. Vno autem solo modo esse falsum, nempe quando à vero incipiens desinit in falsum. Cùm hæc autem ita habeant, signum dicunt esse quærendum, non in hoc prauo connexo, sed in recto. Dictum est enim pronunciatum, quod in recto connexo est antecedẽs. Sed quoniam non erat rectum vnum connexum; tria autem erant, nempe quod incipit à vero & desinit in verum, & quod à vero in falsum, & quod à falso in verum, quærendum est vtrúmnam signum quærendũ sit in omnibus rectis connexis, an in aliquibus, an in aliquo. Ergo si signum oportet esse verum & verum ostendere, neque in eo quod incipit à vero & desinit in falsum, neque in eo quod à falso in verum, subiicietur. Restat ergo vt id sit in illo solo, quod & incipit à vero, & desinit in verum, vtpote quod & ipsum sit, & signatum simul esse debeat. Quando ergo dicitur signum esse pronũciatum in recto connexo antecedens, oportebit intelligere antecedens in eo solo connexo, quod & à vero incipit, & desinit in verum. Atqui non si quod antecedit pronunciatum in recto connexo, & à vero incipiens & in verum desinens, hoc est signum. Iam enim à vero quidem certè incipit illud, Si dies est, lux est: à vero, inquam, nempe Dies est, & in verum desinit, nempe Lux est. Non habet autem in se antecedens pronunciatum signum desinentis seu consequentis. Neque enim illud Dies est, aperit & reuelat esse lucem: sed vt ipsum per se præcurrit, ita etiam lux accipitur ex sua claritate & euidentia. Oportet ergo signum, non solum esse antecedens in recto connexo, sed etiam habere naturam quæ aperiat ac reuelet id quod desinit seu consequẽs: cuiusmodi est in his connexis, Si ista habet lac in vberibus, concepit.

Et si iste expuit crassum & viscidum ex pulmone humorem, quem βρόγχιον appellant, vlcus habet in pulmone. Hoc enim connexum est rectum, vt quod incipiat quidem à vero, nempe Iste expuit crassum & viscidum humorem è pulmone: desinat autem in verum, nempe, Iste habet vlcus in pulmone, cum eo quod primum aperit, & reuelat secundum. Ad illud enim nos applicantes, hoc comprehendimus. Præterea, inquiunt, oportet signum præsens esse signum præsentis.

Signũ est præsentis, nõ præteriti, nec futuri.

Nonnulli enim decepti etiam præsens volunt esse signum præteriti: vt in hoc, Si iste habet cicatricẽ, iste habuit vlcus. Nam si habet quidem cicatricem, est præsens. apparet enim: vlcus autem habuisse, præteritum. nõ est enim amplius vlcus. Et præsens futuri: vt id quòd continetur hoc connexo, Si iste fuit corde sauciatus, morietur. nam cordis quidem vulnus iam esse dicũt, mortem autem futuram. Ignorant autem qui hæc dicunt, quòd alia quidem sunt præterita, alia futura. Signum autem & signatum etiam in his est, præsens præsentis. Nam & in illo priori, Si iste habet cicatricem, habuit vlcus: vlcus quidem iam fuit & præteriit. Quòd autẽ iste habuerit vlcus, est præsens pronũciatum quod dicitur de aliquo quòd fuit. Et in illo, Si iste vulneratus est corde, morietur, futura quidem est mors. Quòd iste autem sit moriturus, est præsens pronunciatum quod dicitur de futuro. vnde etiam nunc est verum. Quamobrem & signum est pronunciatum, & in recto connexo antecedit quod incipit à vero, & desinit in verum, aperit autem & reuelat id quod est desinens seu consequens. & omnino præsens est præsentis signum. His autem ostensis congruenter iis quæ ab illis traduntur artibus, primum quidem hoc solum eis dicendum est. Si, vt alij quidem volunt, signum est sensile: vt alij autem volunt, cadit sub intelligentiam: & quæ de ea re est cõtrouersia huc vsque non potuit diiudicari, dicendum est signum planè esse incertum & non manifestum.

Signum est incertum & nõ manifestũ, cùm nesciatur sitne sensile an intelligibile.

Cùm autem sit non manifestũ, opus habet iis quæ id sunt apertura ac detectura: non oportet autem esse alia quæ ipsum aperiant ac detegant. Præterea si ex eorum sententia signum habet substantiam in eo quod dicitur, quæritur autem an sint quæ dicuntur, absurdum est priusquam constet de genere, tanquam firmam ac stabilem accipere speciem.

λεκτῶν

Videmus autem, quòd sunt quidam qui peremerunt essentiam eorum quæ dicuntur: nec solùm ij qui sunt diuersæ sententiæ, vt Epicurei, sed etiam Stoici, vt Basilides, qui in hac fuit opinione vt existimaret nihil esse incorporeũ.

Basilides Stoicus existimauit nihil esse incorporeum.

De signo ergo sustinenda est assensio. Sed si prius, inquiunt, ostenderimus

rimus essentiam eorum quæ dicuntur, habebimus firmam ac stabilẽ signi naturam. Quando ergo ostenderitis, inquiet quispiam, tunc quoque sumite esse credibilem signi essentiam. Quandiu autem manetis in nuda promissione, necesse est quoque nos manere in sustinenda assensione. Deinde quemadmodum fieri potest vt demonstretur essentia eorum quæ dicuntur? Nam aut per signum hoc oportebit facere, aut per demonstrationem potest hoc fieri. Nam ipsa quoque cùm sint quæ dicuntur, quæruntur similiter atque alia quæ dicũtur. Et tantum abest vt possint aliquid firmiter ac stabiliter ostẽdere, vt contrà ipsa quoque opus habeant eo quod sit ostẽsurum. & imprudentes inciderunt Stoici in eum modum qui dicitur alter per alterum. Nam vt certa esse constet ea quæ dicuntur, & demonstrationem & signum esse oportet. Vt autem demonstratio & signum consistat, necesse est vt prius sit credita eorum quæ dicuntur, natura. Cùm ergo in se inuicem annuant, & expectent eam quæ inter se fit probationẽ, ex æquo sunt incredibilia. Sed agè concedatur ex abundantia, vt procedat quæstio, esse quæ dicuntur, licet quæ de iis est cõtrouersia, minimè possit decidi. Si ea ergo sunt, aut corpora ea esse dicent aut incorporea. Et corpora quidem non dixerint. Sin autem incorporea, aut ex eorum sententia aliquid agunt, aut nihil agunt. Et agere quidẽ nõn censuerint. Incorporeum enim, vt ipsi volunt, neq; vt aliquid agat, neque vt aliquid patiatur, habet à natura insitum. Si autem nihil agant, nec cuius sunt signum aliquid indicarint & significauerint. Aliquid enim indicare & significare, est aliquid agere. Absurdum est autem, signum nec indicare aliquid nec significare. Signum ergo non cadit sub intelligentiam, nec est pronunciatum. maximè cùm, vt alibi ostendimus, alia quidem significent, alia verò significentur. Significant quidem voces: significantur autem quę dicuntur. in quibus sunt etiam pronunciata. Cùm autem omnia significentur pronunciata, non autem significẽt, signum minimè est pronunciatum. Rursus concedatur quæ dicuntur naturam habere incorpoream. Sed quoniam dicunt signum antecedere in recto connexo, oportebit rectum connexum prius esse diiudicatum & examinatum, siue id sit vt vult Philo, siue vt vult Diodorus, aut id ex colligatione, aut aliquo alio modo iudicetur. Nam cùm de his sint multæ dissensiones, non licet sumere signum firmiter ac stabiliter, si decidi ac terminari non possit eorum controuersia. Ad ea quæ dicta sunt, accedit, quòd etiam si dederimus eos inter se consentire de eo quod verè &

Eorum quæ dicuntur essentia non potest demonstrari.

Incorporeum neque agit, neque patitur.

Signũ cùm sit incorporeum, nihil significat.

Signum non est intelligibile, nec pronunciatum.

Signatum nō potest diiudicari, seu sit manifestum, seu non manifestū.

rè & rectè iudicat, & citra controuersiam id esse quodcunque illi velint, nihilo secius necesse est vt id quod continet signum, fateantur non posse diiudicari. Signatum enim aut manifestum esse volunt, aut non manifestum. Et si quidē est manifestum, non erit signatum: neq; ab aliquo significabitur, sed ipsum per se incurret. Sin autem nō manifestum, erit omnino hoc ignotum sítne verum an falsum. Nam si cognoscatur quídnam sit horum, erit manifestum. Quod ergo continet signum & signatum, connexum desinens seu consequens, quoniam non est manifestum, necessariò non poterit diiudicari. Nam quoniam quod à vero quidem incipit, est notum, quatenus autē desinit est ignotum, oportet nos ante omnia ad ipsum diiudicandū nosse in quid desinat: vt si in verum quidem desinat, hoc ponamus verum, propterea quòd incipiat à vero, & in verum desinat. Non est ergo dicendum signum esse pronunciatum, neque in recto connexo antecedens.

Signum non esse pronunciatum ostēditur ex euidentia.

His autem addendum est, quòd etiam pugnant cum euidentia qui sunt principes huius sententię. Si enim signum est pronunciatum, & in recto connexo antecedit, oporteret eos qui nullam habēt omnino notionem pronunciati, neque artes didicerunt dialecticas, esse remotos ab omni signatione. Non ita est autem.

Imperiti Dialecticæ signant & obseruant.

Nam sæpe gubernatores illiterati, & sæpe dialecticarum contemplationum imperiti agricolæ, præclarè signant & obseruant. Illi quidem in mari ventos & serenitates, tempestatesque & trāquillitates: hi autem in agricultura fertilitatem & sterilitatem, siccitatemque & imbres. Quanquam quid loquimur de hominibus, cùm quidam ex ipsis etiam bruta impertiant signi intelligentia?

Canes habēt signi intelligentiam.

Nam canis quando in vestigio figit pedem, signat feram. Sed non ideo pronunciati attrahit visionem. Si hoc est vestigium, fera est hîc. Et equus cùm admouetur calcar, aut intentatur scutica, exilit quidem, & ad cursum incitatur. Non diiudicat autem dialecticè huiusmodi connexum: Si intentatum est flagellum, est mihi currendum. Non est ergo pronunciatum signum antecedens in recto connexo. Hæc quidem priuatim dicta sint aduersus eos qui censent esse aliquod signum quod cadit sub intelligentiam. Communiter autem licebit etiam aduersus eos dicere ea quæ dicta sunt aduersus eos qui dicunt ipsum esse sensile.

Signum & signatum simul sunt, si signum sit pronunciatum.

Si enim signum est pronunciatum, in recto connexo antecedens: & in omni connexo, id quod desinit seu est consequens sequitur antecedens: & consequentiæ sunt rerum præsentium, necessariò & signum & signatum in vno tempore prætereuntia simul erunt inter se: & neutrum à neutro indi-

cabitur

cabitur aut ſignificabitur: ſed ambo nota erunt ex ſeipſis. Præterea ſignum aperit ac reuelat deſinens ſeu conſequens ſignatum. Signatum autem aperitur ac reuelatur à ſigno. Ea autem non ſunt ex abſolutis, ſed ex iis quæ referuntur ad aliquid. Ex eo enim quod detegit, intelligitur quod detegitur: & ex eo quod detegitur, intelligitur id quod detegit. Si autem ambo cùm referantur ad aliquid, adſunt eodem tempore, ambo ſimul conſiſtunt inter ſe. Si autem ſimul conſiſtunt, vtrunque eſt ex ſeipſo comprehenſibile, & neutrum ex altero.

Si ſignum & ſignatum ſunt relatiua, vtrũque eſt à ſeipſo comprehenſibile.

Illud quoque dicendum eſt, quòd cuiuſmodicunque ſit ſignum, aut id habet naturam ad indicandum & ſignificandum id quod eſt incertum & non manifeſtum: aut nos recordamur eorum quæ ſimul cum illo ſunt aperta ac reuelata. Nos autem prout fuerimus prædíti memoria, ita nos habemus in rerum ſubſtantiam. Sed ſi neque ſignum eſt ſenſile, neque id cadit ſub intelligentiam, vt oſtendimus: præter hæc autem nihil eſt tertium, dicendum eſt aliquid non eſſe ſignum. Dogmaticis autem aduerſus vnunquodque horum argumentorum eſt os obſtructum. probantes autem contrarium, dicunt quòd homo non differt à brutis oratione quæ profertur, (nam & corui & pſittaci & picæ voces proferunt articulatas:) ſed quæ intrinſecus ſita eſt ratione. Neque ſimplici ſolùm phantaſia: (nam illa quoque pelluntur viſis) ſed diſcurrente & componente. Quamobrem notionem habens conſequentiæ, protinus habet etiã intelligentiam ſigni propter conſequentiam. Etenim ipſum ſignum eſt huiuſmodi: Si hoc eſt, illud eſt. Sequitur ergo hominis naturam & conſtitutionem quòd ſit ſignum. Conſtat autem demonſtrationẽ eſſe ſignum generi. Oſtendit enim & ſignificat concluſionem: & complexio quæ fit per eius propoſitiones, eſt ſignum quòd ſit concluſio: vt in hac complexione, Si eſt motus, eſt inane. Eſt autem motus, eſt ergo inane. Hoc complexum, Si eſt motus, eſt inane, complexum per propoſitiones, ſtatim eſt etiam ſignum concluſionis, nempe, Eſt inane. Aut ergo, inquiunt, ſunt orationes demonſtratiuæ quæ allatæ ſunt ab iis qui mouent dubitationes, aut non demõſtratiuæ. Et ſi non ſunt quidem demonſtratiuæ, ſunt incredibiles, cùm etiam ſi eſſent demonſtratiuæ vix fidem feciſſent. Sin autem demonſtratiuæ, eſt perſpicuum quòd eſt aliquod ſignum. Demonſtratio enim ſignum eſt ex genere. Sin autem nullum nullius eſt ſignum: aut aliquid ſignificãt quæ de ſigno efferuntur voces, aut nihil ſignificãt. Et ſi nihil quidem, ne ſigni quidem habent eſſentiam. Quemadmodum enim fieri poteſt, vt quæ nihil

Homo in quo differat à brutis.

Signi habet intelligẽtiam, qui notionem habet conſequẽtiæ.

Demonſtratio eſt ſignum ex genere.

nihil significant, fidem faciant quòd nullum sit signum? Sin autem significant, Sceptici sunt insipientes, qui verbo quidem signum expellunt, re ipsa autem id assumunt. Præterea si nulla est artis propria cōtemplatio, ars nihil differet ab inertia seu egestate artis. Sin autē est aliqua artis propria contemplatio, aut ea est apparens, aut non manifesta. Sed apparens quidem non est. Nam quę apparent, omnibus similiter & absque doctrina apparent. Sin autem non est manifesta, per signum considerabitur. Si autem est aliquid quod consideratur per signum, erit etiam aliquod signum.

Artes ostendūt esse signa.

Nonnulli autem sic quoque simul interrogant: Si est aliquod signum, est signum: si non est signū, est signum. Aut autem nullum est signum, aut est. Est ergo. Est quidē eiusmodi oratio. eius autem primam quidem propositionem dicunt esse rectam. est enim diuersificata. & id quod est esse signum, sequitur esse signum: quandoquidem si est primum, erit etiam secundum nihil differens à primo. Illud quoque, Si non est signum, est signum, est etiam rectum. Ei enim qui dicit nō esse signum, sequitur esse aliquod signum. Si enim nullum est signum, eius quòd nullum sit signū erit aliquod signum: & meritò. Nā qui dicit non esse aliquod signū, aut hoc censet dictione solùm & affirmatione, aut demonstratione. Et qui dictione quidem cēset & affirmatione, dictionem & affirmationem habebit aduersantem. Demonstrans autem quòd sit verum id quod ab eo dicitur, per orationem quæ ostendit non esse aliquod signum, significabit nullum esse signum. Hoc autem faciens, confitebitur esse aliquod signum.

Ex oratione quæ probat nullum esse signum, efficitur esse aliquod signum.

Sunt ergo, inquiunt, veræ duæ propositiones. vera est ergo etiam tertia. est enim disiuncta ex iis quæ inter se aduersantur, nempe & esse signum, & non esse. Nam si omne disiunctum tunc est verum, quando vnum habet verum: cernitur autem & alterum ex iis quæ inter se aduersantur esse verum: dicendum est id quod est eiusmodi, protinus esse verum. quo fit vt ex iis de quibus vt certis constat propositionibus simul colligatur per illationē. Est ergo aliquod signum.

Disiunctum quando sit verum.

Hac quoque, inquiunt, ratione ac methodo licet persequi. In oratione enim duo sunt connexa, & vnū disiunctum. Ex his autem, connexa quidem pollicentur ex iis quæ sunt in ipsis antecedentibus sequi quæ sunt in ipsis desinentia seu consequētia. Disiunctum autem habet vnum verū ex iis quæ sunt in ipso. Nam si ambo sunt vera, aut ambo falsa, totum erit falsum. Cùm autem sit eiusmodi virtus iis quæ sunt in propositionibus, & per positionem dederimus alterum esse verū ex iis quæ sunt in disiuncto, quomodo

colligitur illatio? Et primò ponatur illud verum, Est aliquod signũ. Ergo quoniam hoc est antecedens in primo connexo, habebit consequẽs id quod definit in illo connexo. Dicebat autem esse signum. Ergo quoniam hoc est antecedens in secundo connexo; habebit ei consequens id quod definit in secundo connexo. erat autem ei consequens esse aliquod signum, quod est etiam illatio. Hæc quidem Dogmatici. Ordine autem statim ad primum dicẽdum est, quandoquidem ex constitutione hominis colligebant esse aliquod signum, quòd ex eo quod magis quæritur, volũt docere id quod minus quæritur. Nam esse quidem signum, etsi nonnulli contradicunt, nempe Sceptici, attamen de eo conueniunt Dogmatici. At Dei prouidentia constitutum esse hominem, apud non paucos ex iis non est leuis controuersia. est autem valde violentum, ex iis quæ sunt magis incondcessa, velle docere ea quæ non ita se habent. Atqui disertis verbis dicit Heraclitus hominem non esse participem rationis: solum autem esse mente præditum id quod ambit. Empedocles autem adhuc magis admirabiliter & præter opinionem censebat omnia esse ratione prædita, nec solùm animantia, sed etiam plantas, disertis verbis scribens,

προνοητικῶς

De ne prouidentia constitutus sit homo, dubitatum est apud Philosophos aliquos.

Hominem non esse participem rationis scripsit Heraclitus.

Ratione prædita esse omnia censebat Empedocles.

» *Omnia namque scias mentem & prudentiam habere.*

Ad quod accedit, quòd probabiliter dicitur, bruta animãtia non esse expertia prudentiæ. Nam si est eis quæ profertur oratio, necesse est eis etiam esse internam rationem. Nam sine ea non potest consistere quæ profertur oratio. Quòd si etiam dederimus hominẽ differre ab aliis animãtibus, & ratione & phantasia transeũte & consequentia: sed non etiam in iis quæ sunt incerta & non manifesta, & in quibus cùm sit dissensio, nulla data est sententia, concedemus ipsum esse huiusmodi: sed in his quæ apparent quandam conseruantem habere consequentiam, per quam recordans de aliquibus aliqua contemplatur, & aliqua ante aliqua, & aliqua post aliqua, & ex priorum incursione cætera renouat ac in memoriam reuocat. At cùm pro certo, inquiunt, constet quòd sit demonstratio, signum est ex genere. & si non sunt quidem demonstrationes quæ allatæ sunt aduersus signũ, non sunt fide dignæ. Si autem sunt demonstrationes, est aliquod signum. Nos autem qui prius diximus quòd non insistimus in signo quod reuocat in memoriam, sed in signo indicante, possumus concedere quòd quæ aduersus signum allatæ sunt rationes, aliquid significent, sed non indicando, verùm in memoriam reuocãdo. Nos enim

Bruta nõ esse expertia prudentiæ.

Bruta habent rationem quæ profertur.

Homo in iis quæ apparent habet conseruantem quandam consequẽtiam.

Quæ aduersus signum afferũtur rationes, significãt nõ indicando, sed in memoriam reuocando.

eis

cis mouemur, & in memoriam reuocamus ea quæ dici poſſunt aduerſus ſignum indicans. Eadem etiam ſunt dicenda de conſequenti recordatione, ex qua rogabant, vtrum aliquid ſignificant voces quæ proferuntur contra ſignum, an nihil ſignificāt. Nam ſi omne ſignum tollamus, oporteret neceſſariò aut nihil ſignificare voces quæ proferuntur aduerſus ſignum, vt noſtra eſt ſententia: aut ſi eę ſignificent, concedi eſſe aliquod ſignum. Nunc autem vtētes diuiſione, aliquod quidem ſignum tollimus, aliquod verò ponimus. Nec ſi in eo quòd ſignificent aliquid voces quæ proferuntur aduerſus ſignum indicās, conceſſum ſit eſſe aliquod ſignum indicans, colligebatur quòd ſi eſt artis propria contemplatio, oportebit hoc non eſſe apertum & manifeſtum, ſed incertum & nō manifeſtum, & per ſignum apprehēdi: vt qui ignoremus quòd contemplatiuæ quidem aliorum artis nulla eſt contemplatio, vt poſtea docebimus: eius autem quæ verſatur in iis quę apparent, eſt propria quædam contemplatio. Nam per ea quę ſæpe ſunt obſeruata aut narrata, contemplationum efficit conſtitutiones. Quæ autem ſæpe ſunt obſeruata, ſunt propria eorum qui ſępe obſeruarūnt, non autem communia omnium. Nam quæ ab eis in fine rogata eſt oratio hoc modo, Si eſt primum, eſt primum. Si non primum, aut primum, aut non primum. ergo primum. fortaſſe quidē eſt praua propter redundantiā quæ eſt in propoſitiōnibus: citra controuerſiam autem ipſos quoque videtur premere. Dicendum eſt autem ordine de primo, hoc eſt de redundantia & ſuperuacaneo. Nam ſi verum eſt, id quod eſt diſiunctum in oratione, debere habere vnū verum, vt ipſi quoque prius dicebamus: vnum autem habens verum, alterum ex connexis arguit tanquam ſuperuacaneum. Nam etſi ex iis quæ ſunt in ipſo ponitur verum illud, Eſt aliquod ſignū, ad id colligendum eſt neceſſarium diuerſificatum connexum, nempe, Si eſt aliquod ſignum, eſt ſignum. redundat autem & eſt ſuperuacaneum reliquum, nempe, Si non eſt aliquod ſignum, eſt aliquod ſignum. Et ſi non eſſe aliquod ſignum, ex iis quæ ſunt in ipſo ponitur verum: id quidem quod diuerſificatur, redundat & eſt ſuperuacaneum ad id comprobandum. Illud autem, Si non eſt aliquod ſignum, eſt ſignū, eſt neceſſarium. Eſt ergo praua oratio propter redundantiam. Sed vt nunc quidem minutatim congrediamur cum aduerſariis, licet aliam ſimul rogare orationem quæ hoc modo ſe habet: Si is qui dicit non eſſe ſignum, cōuertitur ad hoc vt dicat eſſe aliquod ſignum, is etiam qui dicit eſſe aliquod ſignum, conuertitur ad hoc vt dicat non eſſe

Contēplatiuæ aliorum artis nulla eſt contemplatio.

Artis, quæ verſatur in iis quæ apparent, eſt quædā propria contemplatio.

Oratio praua propter redundantiam.

 ali-

aliquod signum. Qui autem dicit non esse aliquod signum scepticè, conuertitur ex eorum sententia ad hoc vt dicat esse aliquod signum: Ergo & qui dicit dogmaticè esse aliquod signum, cõuertetur ad hoc vt dicat non esse aliquod signum, vt ostendemus. Iam enim apud eũ qui dicit esse aliquod signum, oportet signo probare enunciationẽ. Cùm autem non sit cõcessum esse aliquod signum, quemadmodum si iste vsus fuerit signo, ad fidem faciendam quòd sit aliquod signum, conuertetur ad confitendum nullum esse signum. Si autem ex conuersione licebit hoc solum confiteri, signum indicare ac significare non esse signum, quid hoc eis proderit, cùm nullum possint dicere signum suorum dogmatum? Quamobrem est hoc quidem eis inutile, hoc, inquam, communiter confiteri esse aliquod signum. Illud autẽ fortasse est necessarium, ei quod est Esse aliquod signũ, subiicere aliquid definitum. hoc autem est signum definitè enunciatum. quod quidem non licet eis facere. Nam omne signum est æquè opinabile atque signatum, & de quo non minor est controuersia nullo decisa iudicio. Quomodo ergo est falsum, Aliquis nauigat per rupem, quoniam verum definitum ac terminatum non licet ei subiicere: ita quoniam huic Est aliquod signum, quod quidem est indefinitum, nullum definitum verum possumus subiicere, hoc autem est signum: est ergo falsum illud, Est aliquod signum: & quod ei aduersatur est verum, nempe Nullum est signum. Esto autem esse firmas ac validas eorum rationes: mansisse autem etiam Scepticorum rationes, aduersus quas contradici non potest, quid restat cùm ex altera parte par incurrat imbecillitas, nisi sustinere assensionem, & nihil definire de re quæ quæritur, neque dicendo esse aliquod signum, neque non esse, & non magis esse quàm non esse tutò proferendo? Sed quoniã videtur quoque Demonstratio esse signum ex genere, & per propositiones de quibus constat, aperire ac detegere conclusionem quæ non erat manifesta, an non conuenit considerationi de signo coniungere de eâ quæstionem?

Omne signum est æquè opinabile atque signatum.

In signo sustinenda assensio, cùm sint vtrinque, nẽpe & à Dogmaticis et à Scepticis, validæ rationes.

De Demonstratione.

QVANAM de causa de Demonstratione in præsentia quærimus, priùs ostensum est, quando considerabamus de eo quod iudicat, & de signo. Vt autem certa via ac ratione fiat expositio, tutòque possimus & sustinere assensionem, & contradicendo procedere aduersus Dogmaticos, ostendenda est eius notio. Est ergo demonstratio, ex genere

Demonſtratio quid ſit. *Oratio quid ſit.*

genere quidem oratio. Non eſt enim res ſenſilis,ſed quidam motus & aſſenſio cogitationis. quæ quidem pertinent ad orationem. Oratio autem eſt, vt ſimpliciter dicam,quod conſtat ex propoſitionibus & illatione. Propoſitiones autem vocamus,non aliqua themata quę corripimus,ſed quæ is qui diſſerit,eo quòd ſint euidentia,dat & concedit. Illatio autem eſt quod probatur ex his propoſitionibus: vt oratio quidem eſt totum hoc, Si dies eſt, lux eſt. Atqui dies eſt, lux ergo eſt. Eius autem ſunt propoſitiones,& Si dies eſt, lux eſt, & Atqui dies eſt. Illatio autem eſt,lux ergo eſt. Ex orationibus autẽ, aliæ quidem ſunt colligentes,aliæ verò non. Et colligẽtes quidem ſunt, in quibus cùm conceſſæ fuerint propoſitiones,ex illarum conceſſione videtur etiam ſequi illatio: vt ſe habuit in eo quod paulò ante fuit expoſitum. Nam quoniam conſtitit ex connexo, Si dies eſt,lux eſt. quod quidem pollicebatur, quòd ſi eſſet verum primum quod eſt in eo, futurum eſſet etiam verum quod eſt in eo ſecũdum. Et præterea ex eo,Dies eſt,quod quidem erat antecedẽs in connexo, dico quòd ſi datum fuerit verum eſſe connexum, vt ad id quod eſt in ipſo antecedens,ſequatur id quod eſt in eo deſinens ſeu conſequens,& datum ſit etiam eſſe id quod eſt primum ex iis quæ ſunt in ipſo, colligetur propter eorum eſſentiam, etiam ſecundum eorum quæ ſunt in ipſo, hoc eſt Lux eſt. quod quidem eſt illatio. Et colligentes quidem orationes in forma ſunt huiuſmodi. Non colligentes autem ſunt quæ non ſunt huiuſmodi. Ex colligentibus autem, aliæ quidem colligũt aliquid apertum ac manifeſtum: aliæ autem non apertum nec manifeſtum. Et apertum quidem ac manifeſtum,quomodo quæ expoſita fuit oratio, quæ ſic habet, Si dies eſt,lux eſt. Atqui dies eſt,lux ergo eſt. Lux enim eſt, æquè apparet atque Si dies eſt. Et rurſus hæc, Si Dion ambulat,mouetur. Ambulat autẽ Dion, mouetur ergo Dion. Nam illud, Mouetur Dion, quod eſt concluſio, eſt ex iis quæ per ſe poſſunt deprehendi. Quod non eſt autem manifeſtum colligit: vt hæc, Si ſudores fluũt per ſuperficiem,ſunt carnis pori ſeu meatus qui percipiuntur intelligẽtia. Atqui primum,ergo etiam ſecundum. eſſe enim carnis meatus qui percipiuntur intelligentia,eſt ex iis quæ non ſunt aperta ac manifeſta. Et rurſus, Quo ex corpore excreto,è viuis excedunt homines, illud eſt anima. Sanguine autem excreto,è viuis excedunt homines. Anima ergo eſt ſanguis. In ſanguine enim ſitam eſſe animæ ſubſtantiam, non eſt euidens. Ex iis autem quæ aliquid colligunt non manifeſtum, aliæ quidem certa ſola via ac ratione nos

Propoſitiones quæ ſint. *Illatio quid ſit.* *Orationes colligentes quænam ſint.* *Orationes nõ colligẽtes quænam ſint.* *Colligitur & manifeſtum et non manifeſtũ.*

inducunt ex propoſitionibus,tanquam ad concluſionem: alię autem ſimul & certa via ac ratione & aperiendo ac detegendo. Ex quibus certa quidem ſolùm via ac ratione inducunt,quæ videntur pendere ex fide & memoria, cuiuſmodi eſt hæc: Si ex Diis aliquis tibi dixit, quòd iſte erit diues, erit iſte diues. Si Deus autem (oſtendo autem Iouem per hypotheſim)dixit tibi, Iſte erit diues,iſte ergo erit diues. Hic enim aſſumimus concluſionem,nempe,iſtum futurum diuitem, non probatam ex vi propoſitæ orationis,ſed eo quòd credamus Iouis enunciationi. Simul autem certa via ac ratione,aperiendoque ac detegendo nos inducit à propoſitionibus ad concluſionem: vt qui de meatibus qui percipiuntur intelligentia,hoc fuerit rogatus, Si ſudores fluunt per ſuperficiem, ſunt carnis meatus qui percipiuntur intelligentia, & ſudores fluere per ſuperficiem, ex ipſorum natura docuit nos probare quòd ſunt carnis meatus qui percipiuntur intelligentia,hac ratione,propterea quòd ex corpore cui non ſunt meatus, fieri non poteſt vt fluat humor:fluit autem ſudor per corpus.Non eſt ergo ſolidum ac concretum corpus, ſed habens poros ac meatus.

Orationes colligentes ſolùm certa via ac ratione.

Orationes colligentes certa via ac ratione aperiendo ac detegendo.

Corpus non eſſe ſolidũ, ſed habere meatus, probatur ex ſudore.

Demonſtratio qualis eſſe debeat.

Cùm hæc autem ita ſe habeant,demonſtratio ante omnia debet eſſe oratio:ſecundò,colligens:tertiò autem,vera:quartò,incertam ac nõ manifeſtam habens concluſionem:quintò,& eam habens quæ reueletur ac detegatur ex vi propoſitionum. Hæc ergo oratio, cùm ſit dies, Si nox eſt, ſunt tenebræ: atqui nox eſt, ſunt ergo tenebræ: eſt quidem colligens. Datis enim eius propoſitionibus, colligitur etiã illatio. Sed non erat vera. In ſe enim habebat falſam propoſitionẽ, nempe,Nox eſt. Quamobrem nec eſt demonſtratiua. Rurſus hæc, Si dies eſt,lux eſt. dies eſt autem, ergo lux eſt: præter id quòd eſt colligens,eſt etiam vera:quandoquidem datis eius propoſitionibus datur etiam illatio,& per vera veri aliquid oſtẽdit. Cùm autem ſit eiuſmodi,rurſus non eſt demonſtratio, propterea quòd euidentẽ ac manifeſtam habeat concluſionem, nempe,Lux eſt,non autem non euidentem ac non manifeſtam. Iis congruenter ea quoque quæ ſic habet,Si quis Deus tibi dixit quòd iſte erit diues,erit iſte diues.Si Deus autem tibi dixit quòd iſte erit diues, iſte ergo erit diues: manifeſtam quidem habet concluſionem, futurum eum diuitem. non eſt autem demonſtratiua, propterea quòd non aperiatur ex vi propoſitionum, ſed ſit ex eo quòd Dei fides admittatur. Cùm ergo hæc omnia concurrerint, nempe quòd ſit & oratio colligens, & vera,& oſtendat id quod non eſt apertum ac manifeſtum, conſiſtit demonſtratio. Hinc

eam

Demonstratio quid sit.

eam sic describunt: Demonstratio est oratio, quæ per propositiones de quibus constat, ex collectione aperit non manifestam illationē: vt hæc, Si est motus, est inane. atqui est motus, est ergo inane. Nam & an sit inane est incertum & non manifestum: & per vera, nempe, Si est motus, est inane, & Est autē motus, ex collectione videtur aperiri. Atque quæ conuenit quidem præmittere de rei quæ quæritur notione, hæc sunt. Ordine autem est indicandum etiam ex qua sit materia.

Ex qua materia sit demonstratio.

Ex rebus, vt sæpe prius diximus, aliæ quidem creduntur esse euidentes, aliæ verò incertæ & non manifestæ. Et euidentes quidē, quæ ex phantasia seu visione sumuntur citra voluntatem, & ex affectione: vt nunc est illud, Dies est, quòd hoc est homo: & vnumquodque eorum quæ sunt huiusmodi. Non manifestæ autem quæ non sic se habent. Et ex rebus non manifestis, vt quidam dicunt diuidentes, aliæ quidem sunt natura incertæ & non manifestæ, aliæ autē per homonymiam seu æquiuocè dicuntur genere incertæ & nō manifestę.

Res natura incertæ quænam sunt.

Et natura quidē sunt incertæ & non manifestæ, quæ neque prius sunt comprehensæ, neque nunc comprehenduntur, neque postea comprehendentur, æternam autem habent ignorationem: vt est, Stellas esse pares aut impares. Et ideo dicuntur esse naturā incertæ & non manifestæ, non quòd ipsæ habeant naturā incertam & non manifestam quod ad se attinet: alioqui dicemus aliquid quod repugnet, vt qui simul & eas dicamus ignorare, & fateamur eas aliquam habere naturam. sed quòd nostræ quidem naturæ sunt incertæ & manifestę.

Res incertæ per homonymiam quænam sint.

per homonymiam autem seu æquiuocè genere appellentur incertæ & non manifestæ, quæ sua quidem natura sunt occultæ, per signa autem aut demonstrationes censentur cognosci: vt atoma esse elementa quæ feruntur in infinito inani. Cæterum cùm in rebus hæc sit differentia, dicimus demonstrationem neque esse manifestam: nō enim cognosceretur ex se ipsa & ex coacta affectione: neque natura non manifestam. non enim desperatur de eius comprehensione: sed de ea quæ restat incertorum & non manifestorum differentia: quæ demersam quidem & adumbratam nobis habēt naturam. videntur autem comprehendi ratione ex Philosophia. Hoc autem non firmiter dicimus ac stabiliter. esset enim ridiculum cùm cesserimus essentiā, de ea adhuc quærere, sed quòd notione mentisque conceptione est eius-

Demonstratio ex quo sit genere rerum.

eiuſmodi. Sic enim ex notione & mentis anticipata conceptione exurget oratio de eſſentia. Quòd ergo eorum quæ ſunt, notione incerta ſit demonſtratio, & per ipſam non poſſit agnoſci, ſic eſt conſiderandum: Id quidem quod eſt euidens & manifeſtum, eſt cuilibet manifeſtum & euidens, & de eo apud omnes conuenit, neque vllam admittit diuulſionem ac diſſenſionem. De eo autem quod eſt incertum & non manifeſtum, non conuenit, caditque id ſua natura in diſſenſionem & diſtractionẽ. & meritò. Omnis enim oratio iudicatur eſſe vera aut falſa, ex relatione quæ eſt ad rem de qua eſt allatum. Nã si inuenitur conſonans rei de qua eſt allatum, videtur eſſe vera. Sin autem diſcrepans, falſa: vt quando pronũciat quiſpiam quòd ſit dies, ſi id quod dicitur ad rem remiſerimus, & cognouerimus eius eſſentiã vnà orationi ferre teſtimonium, dicimus id quod dicitur eſſe verum. Quamobrem quando res quidem fuerit euidens ac manifeſta de qua affertur oratio, facile eſt ea remiſſa ad id quod dicitur, tunc ſic vel orationem dicere eſſe verã, ſi rei ferat teſtimonium: aut falſam, ſi non ferat. Quando autem res fuerit incerta & non euidens ac nobis occulta, tunc cùm non poſſit ad eam firmiter ac ſtabiliter remitti oratio, reſtat vt probabiliter dicamus, & ex veriſimilibus ad aſſenſionem mens attrahatur. Alio autem aliter coniiciente, & probabiliter loquente & veriſimiliter, oritur diſſenſio, cùm neque is qui aberrauit ſciat ſe aberraſſe, neque qui eſt aſſecutus, ſciat ſe eſſe aſſecutum. Ea de cauſa Sceptici admodum eleganter aſſimilant eos qui quęrunt de incertis & manifeſtis, iis qui in tenebris ad aliquem ſcopum tela iaciunt. Quomodo enim eſt veriſimile aliquem quidem ex iis ſcopum attingere, aliquem verò aberrare, ignorari autem quis attigerit: ita cùm in profundis tenebris ferè abſconſa ſit veritas, ad eam quidẽ multæ emittuntur orationes: ſed quænã ex ipſis ei conſonet & quænam diſcrepet, ſciri non poteſt, cùm ex euidentia ſublatum ſit quod quæritur. Hoc autem primum dixit Xenophanes:

Euidens nullam admittit diſſenſionem.

De non manifeſto eſt diſſenſio.

Oratio vera & falſa quomodo indicetur.

Probabiliter dicere quomodo intelligatur.

De incertis quærẽtes, ſunt iis ſimiles qui in tenebris ad ſcopum tela iaciunt.

Xenophanes quid dicat de rerum incertitudine.

„ *Nullus apertè vir ſcit, ſed neque vir ſciet vnquam*
„ *De diis, & cunctis à me quæ dicta fuerunt.*
„ *Namque licet ſit perfectum quod dixerit ille,*
„ *Neſcit, cum in cunctis inſit diuiſio rebus.*

Quamobrem ſi id quidem quod eſt euidens & manifeſtum, eſt conſonans propter prius dictam cauſam: diſcrepat autem id quod nõ eſt euidens ac manifeſtum, oportebit etiam diſcrepantem demonſtrationem eſſe incertam & non manifeſtam. Quòd autẽ re vera diſcre-

pet,

pet, non multis opus est verbis, sed breui aliqua & quæ est in promptu admonitione. siquidem dogmatici quidem Philosophi, & ratione vtentes Medici eam ponunt: tollunt autem Empirici. Fortè autem etiam Democritus. nam per regulas ei vehementer repugnauit. Sceptici autem eam seruarunt in sustinenda assensione, magis vtentes enunciatione. Iique qui ipsam ponunt, rursus inter se valde discrepant, sicut procedente docebimus oratione. Est ergo demonstratio aliquid incertum & non euidens. Præterea si omnis demonstratio continens dogma in suis propositionibus, protinus est dogma, de omni autem dogmate dissentitur: necessariò dissentitur de omni demonstratione. Et est rerum quæ quæruntur, vt Epicurus videtur validissimam posuisse demonstrationẽ huiusmodi, ad probãdum quòd sit inane. Si est motus, est inane. atqui est motus, est ergo inane. Huius autem demonstrationis propositiones si concederentur quidem ab omnibus, necessariò etiam illationem haberent consequentem, & quæ concederetur ab omnibus. Nunc autem aduersus eas obiecerunt aliqui, nempe quòd ex propositionibus non colligatur illatio: non quòd ea ex illis non sequatur: sed quòd illæ sint falsæ, & de illis non constet. Nam vt de connexo multa non persequamur iudicia: dicamus autem ex se rectum esse connexum, quod non incipit à vero & desinit in falsum, illud, Si motus est, est inane, ex Epicuri quidem sententia, incipiens à vero, nempe, Si est motus, & desinens in verum, erit verum. ex Peripateticorum autem sententia, incipiens à vero, nempe, Si est motus, & desinens in falsum, nempe, Est inane, erit falsum. Ex Diodori autem sententia, incipiens à falso, nempe, Est motus, & desinens in falsum, nempe, Est inane, erit ipsum quidẽ verum. assumptionem autem, nempe, Est autem motus, arguit tanquam falsam. Ex Scepticorum autem sententia, desinẽs in incertum & non manifestum, erit incertum & non manifestum. Nam illud, Est inane, ex eorũ sententia est ex iis quæ non possunt cognosci. Ex his ergo est perspicuum, quòd dissentitur de propositionibus demonstrationis. De quibus autem dissentitur, ea sunt incerta & non manifesta. Quamobrem quæ ex his quoque fit demonstratio, est omnino incerta & non manifesta. Præterea demonstratio est ex iis quæ referuntur ad aliquid. non enim per se apparet, sed consideratur ex iis quæ demonstrantur. Quæ autem referuntur ad aliquid, quæsitum est an ea sint. Fuerunt autem multi qui dixerunt ea non esse. Quod autẽ habet sententię distractionem, est incertum ac non manifestum.

Demonstratio est aliquid incertum & non euidens.

De omni dogmate dissentitur.

Ex propositionibus non colligitur illatio.

Propositio eadem aliis Philosophis vera, aliis videtur falsa.

Demonstratio est ex iis quæ referuntur ad aliquid.

Relatiua non esse quidã sunt opinati.

Ergo

Demonſtratio conſtat aut ex voce, aut ex iis quæ dicuntur.

Ergo hac quoque ratione eſt incerta & non manifeſta demõſtratio. Ad hæc accedit, quòd demonſtratio aut conſtat ex voce, vt dictum eſt ab Epicureis: aut ex iis quæ dicuntur, quæ ſunt incorporea, vt à Stoicis. Ex vtriſlibet autem conſtet, magna eſt quæſtio. Nam & quæ dicuntur, an conſiſtant, quæritur, & multùm de ea re agitatur: & an voces ſignificent, dubitatur. Si autẽ quæritur ex vtra materia ſit demonſtratio: quod autem quæritur eſt incertum ac non manifeſtum: erit omnino demonſtratio incerta & non manifeſta. Atque hoc quidem ponatur veluti elemẽtum futuræ contradictionis. Tranſeamus autem deinceps, & conſideremus an ſit demonſtratio.

Demonſtratio eſt incerta ratione materiæ.

An ſit demonſtratio.

CVM oſtenderimus ex qua materia ſit demonſtratio, conſequenter tentemus etiam tractare rationes quæ eam labefactant, conſiderantes vtrum eius notionem & anticipatam mentis conceptionem conſequatur eſſentia, an non. Quanquam nonnulli, & maximè qui ſunt ex ſecta Epicuri, ſolent ruſticius obiicere, dicẽtes: Aut intelligitis quid ſit demonſtratio, aut non intelligitis. Et ſi quidẽ intelligitis, & eius habetis notionẽ, eſt demonſtratio. Sin autem non intelligitis, quomodo quæritis quod nec à vobis quidem omnino intelligitur? Hæc enim dicentes, à ſeipſis propemodum euertuntur. Cõſtat enim notionem & anticipatam mentis conceptionem præcedere omnem quæſtionem. Quemadmodum enim poſſet quærere is qui rei quæ quæritur nullam habet notionem? Nam nec ſi fuerit aſſecutus, ſciet ſe eſſe aſſecutum: neque ſi aberrauerit, ſe aberraſſe. Quamobrẽ hoc quidem damus, & tantum abeſt vt dicamus nos rei quæ quæritur nullam habere notionem, vt etiam cenſeamus nos habere multas eius notiones & anticipatas mentis conceptiones: & propterea quòd nõ poſſimus eas diſcernere, & inuenire quænam ſit earum princeps, redigi ad ſuſtinendã aſſenſionem, & ad hoc vt nõ magis ad hanc quàm ad illam partem propendeamus. Nam ſi rei quæ quæritur, vnam ſolam haberemus anticipatam notionem, eam ſequentes, talem eſſe rem crederemus, qualis in vna incurreret notione. Nunc autẽ quoniam vnius multas habemus notiones, multipliceſque ac varias & inter ſe pugnantes, & ex æquo credibiles, propter quæ in ipſis ineſt probabilitatem, & propterea quòd ſint viri fide digni qui eas defendunt: & neque omnibus poſſumus credere, propterea quòd de iis depugnetur: neque omnibus nõ credere, quòd his nullam aliam habeamus

Epicurus ex notione probat eſſe demonſtrationem.

beamus magis fide dignam: neque alicui quidem credere, alicui verò non, propter ęqualitatem, necessariò eò venimus, vt sustineremus assensionem. Sed enim rerum quidē habemus anticipatas notiones eo modo quo ostendimus. Et propterea si anticipata quidem notio esset comprehēsio, fortasse in eo qui se habere diceret anticipatā rei notionem, fateremur etiam eius comprehensionem. Nunc autem quoniam notio & anticipata conceptio, non est rei essentia, nos quidem dicimus nos eius rei habere notionem, minimè autem comprehendere, propter causas quas prius diximus. Nam si anticipatæ notiones sunt comprehensiones, nos quoque vicissim eos rogabimus, vtrum Epicurus habeat anticipatam notionem & conceptionē quatuor elementorum, an non. Et si quidem non habet, quomodo apprehendet rem quæ quæritur, & eam quæret, cuius ne habet quidem notionem? Sin autem habet, quomodo non comprehendet esse quatuor elementa? Sed vt arbitror, dicent respondentes, quòd Epicurus quidem mente agitat & versat intelligentia quatuor esse elementa, sed non omnino comprehendit. Illa enim mentis agitatio est nuda & simplex motio cogitationis: cui adhærens, contradicit quòd sint quatuor elementa. Igitur nos quoque mente agitamus & intelligentia versamus demonstrationem: & ex ea mentis agitatione examinamus sítne an non. Et si autem eam habeamus mentis agitationem, non etiam fatebimur habere comprehensionem. Sed eis quidem rursus deinde respondebitur: Quoniam autem certa via ratione ac methodo facienda est contradictio, quæremus aduersus quámnam demonstrationem maximè velimus insistere. Et si velimus quidem insistere aduersus singulares & in singulis artibus demonstrationes, citra vllam certam rationem ac methodum insistemus & argumentabimur, cùm sint infinitæ & innumerabiles eiusmodi demonstrationes. Sed si sustulerimus eam quæ est in genere demonstrationē, quæ videtur comprehendere omnes quæ sunt in specie, est perspicuum quòd in ea cunctas habebimus sublatas. Quomodo enim si non sit animal, nec est homo: & si non sit homo, nec Socrates, cùm tollantur species simul cum generibus: ita si non sit in genere demonstratio, perit etiam vniuersa in specie demonstratio. Nam cum specie quidē non omnino simul tollitur genus: vt cum Socrate, homo. cum genere autem, vt dixi, circūscribitur species. Necesse est ergo iis qui labefactant demonstrationem, non aliam mouere quàm eam quæ est in genere, quam reliquas quoque sequi necesse est. Quoniam ergo

Notio non est comprehensio.

Notio non est rei essentia.

Elemēta quatuor non comprehēdit Epicurus.

ἐπίνοια.

Disputando aduersus singularia, citra methodū procedit argumentatio.

Demōstratione in genere sublata, tolluntur omnes species demōstrationis.

Cum specie non tollitur genus, sed cum genere tollitur species.

res est incerta ac non manifesta demonstratio, vt collegimus, ea debet demonstrari. Quicquid enim est incertum ac non manifestum, si sumatur citra demonstrationem, non est credibile. Aut ergo à demonstratione in genere constituetur aliquid esse demonstrationem, aut ab ea quæ est in specie. Sed ab ea quidem quæ est in specie, nequaquam. Nondum enim vlla in specie constituitur demonstratio, propterea quòd nondum constet de ea quæ est in genere. Quomodo enim, si nondum sit euidẽs quòd sit animal, neque quòd sit equus est cognitum: ita si nondum constet esse demonstrationem in genere, ex singularibus demonstrationibus nulla erit credibilis. & simul etiam incidimus in modum qui dicitur alter per alterum. Nam vt firma quidem sit & stabilis in genere demonstratio, oportet nos habere eam quæ est in specie, credibilem. Vt autem constet de ea quæ est in specie, firmã oportet habere ac stabilem eam quæ est in genere. Quo fit vt neque illam ante hanc habere possimus, neque hanc ante illam. Ergo non potest quidem fieri vt à demõstratione in specie demonstretur demonstratio in genere: sed nec à demonstratione in genere. ea est enim quæ quæritur. Cùm ipsa autem sit incerta ac non manifesta, & quæratur, ipsa seipsam minimè probauerit, vt quæ opus habeat iis quæ ipsam aperiant ac detegant. præterquam si sumpta ex hypothesi dicitur aliquid confirmare. Si autem ex hypothesi semel sumuntur aliqua & sunt credibilia, quid adhuc opus est ea demonstrare, cùm ex se ipsis ea possimus sumere citra demonstrationem, propterea quòd hypothesis ea habeat credibilia? Ad hæc accedit, quòd si demonstratio in genere demonstrationẽ in genere ostendat, erit eadem simul & perspicua & incerta ac non manifesta: eritque similiter credibilis & incredibilis. Credibilis quidem, quoniam aliquid aperit ac detegit. Incredibilis autem, quoniam aperitur ac detegitur. Est autem perquam absurdum, idem dicere simul manifestum & non manifestum, credibileque & incredibile. Ergo & censere demonstrationem in genere seipsam ostendere, est absurdum. Verumenimuero alio quoque modo fieri non potest, vt demonstratio, aut aliqua res alia ostendatur per demonstrationem in genere. Aut enim has quaspiam propositiones habet demonstratio in genere & hanc quampiam illationem. Has autem quaspiam habens propositiones, & hanc quampiam illationem, euasit vna ex iis quæ sunt in specie. Si autem non habet propositiones & illationem: quoniam non sine propositionibus & illatione colligit demonstra-

A demonstratione in specie nõ constituitur demonstratio in genere.

Demonstratio in genere non demõstratur à demõstratione in genere.

Per demonstrationem in genere nihil demonstratur.

monſtratio, nihil colliget demonſtratio in genere. Si nihil autẽ colligit, nec quòd ipſa quidem ſit colliget. Si ergo conſtet quòd oportet demonſtrari demonſtrationem: ipſa autem nec ex dẽmõſtratione in genere nec ex demonſtratione in ſpecie poteſt demonſtrari, perſpicuum eſt quòd cùm præter eas nihil aliud inueniatur, in quæſtione de demonſtratione debemus nos tenere in ſuſtinenda aſſenſione. Præterea ſi prima demonſtratur demonſtratio, aut demonſtratur à demonſtratione quæ quæritur, aut ab ea quæ non quæritur. Non autem ab ea quæ non quæritur. Omnis enim demonſtratio quæritur cùm prima ceciderit ſub dubitationem. Neque ab ea quæ quæritur. Rurſus enim illa ſi quæritur, debet conſtitui ab alia demonſtratione: & tertia à quarta: & quarta à quinta. idque in infinitum. Non poteſt ergo haberi firma ac ſtabilis demonſtratio. Demetrius autem Lacon inter Epicuri ſectatores inſignis, dicebat facilè ſolui poſſe huiuſmodi obiectionem. Nam ſi conſtituerimus aliquam vnam ex iis quæ ſunt in ſpecie demonſtrationibus, colligẽtem quòd atoma ſunt elementa, aut quòd eſt inane, eamque oſtenderimus firmam eſſe ac ſtabilem, eo ipſo in ea habebimus fide dignam ac credibilem quæ eſt in genere demonſtrationem. Vbi enim eſt ſpecies alicuius generis, ibi eſt etiam genus, vt ſuperius admonuimus. Hoc autem videtur quidem eſſe probabile, non poteſt autem fieri. Nam primùm quidem nemo ſinet Laconem conſtituere demõſtrationem in ſpecie, ſi non prius conſiſtat demõſtratio in genere. & vt ipſe cenſet, quòd qui habet demonſtrationem in ſpecie, ſtatim habet etiam eam quæ eſt in genere: ita etiam æquum cenſebũt Sceptici vt genus eius prius demõſtretur, vt credatur ſpecies. Verumenimuero etiamſi illi hoc ei permiſerint, nempe vt conſtituat demonſtrationem in ſpecie, ad confirmandam eam quæ eſt in genere, ij quidem qui ſunt ex ſectis quæ non ſunt eiuſdem generis, non ſilebunt: ſed quamcunque vt fide dignam propoſuerint demonſtrationem, eam euertent: & magna erit multitudo eorũ qui non ſinent eam poni: vt ſi ſumat demonſtrationem de atomis, innumerabiles reſiſtent & contradicent. Si ſumat de inani, cõplures contrà obiiciẽt. Si de imaginibus ac ſpectris, ſimiliter. Etſi ergo cum eius inſtituto maximè concurrant Sceptici, non poterit comprobare ac confirmare vnam ex iis quæ ſunt in ſpecie demonſtrationibus, propterea quòd pugnẽt inter ſe Dogmatici. Alioqui quámnam firmam ac ſtabilem dicit ſe habiturum demonſtrationẽ in ſpecie? aut enim eam habebit quæ ex ſeipſa ex om-

Demonſtratio firma ac ſtabilis non poteſt haberi.

Demetrius Lacon inſignis inter Epicureos.

Genus eſt demonſtrandum vt credatur ſpecies.

Demonſtratio ex ſpecie nõ poteſt haberi firma ac ſtabilis.

nibus ei placet, aut qualemcunque, aut eam quæ demonstratur. Sed eam quidem sumere quæ ei placet ex omnibus, est arrogantis, & ad sortitionem magis videtur accedere. Sinautem qualemcunque, omnes ponet demonstrationes, partim quidem Epicureorum, partim autem Stoicorum, & partim Peripateticorum. quòd quidem est absurdum. Sinautem eam quæ demonstratur, non est demonstratio. Quæritur enim an demonstretur. & si quæratur, non erit credibilis. Præterea propositiones eius, quam Lacon dicit demonstrationis aut sunt dubiæ, & non sunt credibiles ac fide dignæ: aut indubitabiles & fide dignæ. Sed si sunt quidem dubiæ & nō fide dignæ, omnino erit etiam quæ fit ex ipsis, non fide digna demonstratio ad aliquid probandum. Vt sint autem fide dignæ & indubitabiles, magis est in votis quàm in rei veritate.

Propositiones indubitabiles magis sunt optandæ, quàm re vera possūt haberi.

Si enim quæcunque sunt, aut sunt sensilia, aut cadunt sub intelligentiam: debent etiam propositiones demonstrationis aut esse sensiles, aut cadere sub intelligentiam. Quæsitum est autem síntne sensiles, an cadant sub intelligentiā. Nam sensilia quidem si ponuntur talia qualia apparent, aut inanes sunt affectiones, & figmenta cogitationis, aut aliqua quidem ex eis cum eo quòd apparent sunt etiam: aliqua autem solùm apparent, non autem etiam sunt res subiectæ. licetque videre viros insignes vniuscuiusque hæresis defensores.

Sensilē essentiam sustulit Democritus.

Epicurus sensile firmū dixit ac validum.

Siquidem Democritus omnem sensilem amouit essentiam. Epicurus autem quidquid est sensile, firmum esse dixit ac validum. Stoicus autem Zeno adhibuit diuisiones. Quo fit vt si sint propositiones sensiles, de iis dissentiatur. Similiter autem etiam si cadāt sub intelligentiam. Nam de iis quidem, partim in vita humana, partim in Philosophia, licet maximam videre concertationem, cùm alia aliis placeant. Ad ea quæ dicta sunt accedit, quòd si quidquid cadit sub intelligentiam, firmitatis ac stabilitatis initium & fontem habet

Propositiones demonstrationis siue sint ex sensilibus, siue ex intelligibilibus, sunt incredibiles infirmæ & instabiles.

ex sensu: de iis autem quę sensu cognoscuntur, dissentitur, vt collegimus: necesse est vt etiam sint huiusmodi quæ cadunt sub intelligentiam. Quo fit vt propositiones demonstrationis, ex vtrouis sint ordine, sint incredibiles & infirmæ ac instabiles. Propterea autem nec fide digna & credibilis est demonstratio. Et vt magis vniuersè dicamus, propositiones sunt apparentes: quæ autem apparent, quæritur

Propositiones apparentes nō efficiūt vt demonstratio sit firma ac stabilis.

síntne res subiectæ. Quæ autem quæruntur, non sunt ex se sumptæ propositiones, sed debent confirmari per aliquid. Quod ergo apparet, quale apparet & cuiusmodi sit res subiecta, per quódnam possumus ostendere? Aut enim per rem quæ est omnino incerta & non

euidens,

euidens, aut per rem quæ apparet. Sed per rem quidem quæ est incerta & non euidens, est absurdum. Tantum enim abest, vt id quod est incertum & nō euidens, possit aliquid aperire ac reuelare, vt contrà ipsum habeat opus eo quod sit ostensurum. Per id quod apparet autem, longè absurdius. est enim hoc ipsum quod quæritur. nec est quidquam ex iis quod quæritur quod seipsum probet ac confirmet. Nulla ergo ratione fieri potest, vt quæ apparent efficiant vt demonstrationem sic habeamus fide dignam ac credibilem. Sed oportet, inquiunt Dogmatici, ea quæ apparent omnino aliquid ponere, quoniam nihil habemus quod sit his credibilius & magis fide dignum. Deinde, inquiunt, quæ ea exagitat oratio, ipsa à seipsa euertitur. Aut enim dictione & affirmatione solùm vtens ea euertit, aut apparentibus, aut non apparentibus. Sed si dictione quidem & affirmatione vtatur, est incredibilis nec fide digna. est enim facile adducere dictionem seu affirmationem quæ ei aduersetur. Si autem non apparētibus, est rursus incredibilis, vt quæ velit per ea quæ non apparēt ea quæ apparent euertere. Si autem iis quæ apparent mouentur & agitantur quæ apparēt, omnino fide dignis. & ita ex se erunt fide digna & credibilia quæ apparent. Quamobrem etiam contra ipsos vsurpatur oratio. Nos autem, quòd quæ apparent, seu sint sensilia, seu cadant sub intelligentiā, magna lite & decertatione plena sint & apud Philosophos & in vita humana, prius ratiocinando collegimus. In præsentia autem aduersus eam quæ adducta est distinctionem illud dicendum est, quòd neque dictione seu affirmatione vtentes mouemus & exagitamus ea quæ apparent, neque non apparentibus, sed ea secum comparantes. Nam si inuenirentur sensilia consentire cū sensilibus, & quæ cadunt sub intelligentiam, cum iis quæ sub eam cadunt, & contrà: fortasse concederemus ea esse talia qualia apparent. Nunc autem in comparatione inuenientes pugnam ac contentionē quæ non potest diiudicari, per quam alia ab aliis expelluntur, propterea quòd neque omnia possimus ponere propter huiusmodi pugnam ac contentionem: neque aliqua, propter pares vires eorū quæ aduersantur: neque omnia expellere, propterea quòd nihil habeant credibilius ac fide dignius quàm apparere, deuenimus ad sustinendam assensionem. sed oratio quæ vt fidem faciat sumit ex apparentibus, in his mouēdis se quoque simul expellit. quod quidem est eorum qui corripiunt id quod quæritur. Non enim ex iis quæ apparēt confirmatur oratio: sed ex oratione ea quæ apparent confirmantur

Ex iis quæ quæruntur nihil seipsum probat ac confirmat.

Quæ apparēt exagitant Sceptici per comparationem.

Quæ apparēt, confirmantur ex oratione, nō contrà.

ac cor-

ac corroboratur. & meritò. Si enim de iis dissentitur, aliquibus quidem dicentibus ea esse res subiectas, aliquibus autem minimè, id constitui debet ex oratione. Huius autē rei non sunt alij testes quàm qui sunt diuersæ sententiæ; qui volunt oratione demonstrare quòd vera sunt quę apparent, & alioqui oportere credere iis quæ apparēt. Non enim ea quæ apparent, oratione, sed iis quæ apparēt est firmior ac validior oratio, vt quæ & sui & illorum fidem faciat. Si autem demonstrationis propositiones sunt incertæ & non manifestæ: incerta autem & non manifesta est illatio: quod autem constat ex incertis ac non manifestis, rursus est incertum ac non manifestum: demonstratio est incerta ac nō manifesta, & quærit quod sit facturum sui fidem: quod quidem non est demonstrationis. At non est, inquiunt, omniū postulanda demonstratio: sed sunt etiam quædam sumenda ex hypothesi. neque enim poterit nobis procedere oratio, nisi datum fuerit aliquid ex seipso esse credibile. Sed primum nos dicemus, nō esse necesse vt illorum procedant dogmatum rationes, cùm sint figmentis non dissimiles. Deinde quæ procedent? Cùm enim quæ apparēt hoc solùm ostendant quòd appareant: nequaquā autem possint ostēdere quòd sint res subiectæ, ponantur & propositiones demonstrationis quòd apparet, & similiter illatio. Sic enim colligetur quod quæritur, non autem adducetur veritas, manentibus nobis in dictione seu affirmatione & propria affectione. Quòd autem non solum appareat, sed sit etiam res subiecta, velle trahere, est eorum qui non sunt contenti necessario ad vsum, sed etiam student arripere quod potest fieri. In summa autem quoniam non solùm demonstratio censetur ex hypothesi promoueri dogmaticis, sed etiam tota propemodum Philosophia, tentabimus pauca persequi pro viribus, aduersus eos qui sumunt aliquid ex hypothesi. Ea enim quæ dicunt se sumere ex hypothesi, si sunt quidē credibilia propterea quòd ea sumpserint ex hypothesi, credibilia quoque apparebunt quæ sunt his contraria sumpta ex hypothesi. & ea ratione ponemus quæ inter se pugnant. Si autem in his, in contrariis, inquam, ad fidem faciendam imbecilla est hypothesis, erit etiam in illis. Quamobrem neutra ponemus per hypothesim. Hoc autem quod ponit quispiam per hypothesim, aut est verum & tale quale ipsum ponit, aut falsum. Et si est quidem verum, sibi facit iniuriam qui hoc ponit per hypothesim. siquidem cùm possit ipsum non petere, sed ex se sumere tanquam verum, confugit ad rem plenam suspicione, vt qui petat ad hypothesim rem quæ ex seipsa

Demonstratio omnium nō est postulanda.

Quæ apparent, quòd appareant ostendant, non quòd sint res subiectæ.

Demonstratio non est incipienda ab hypothesi.

Ex hypothesi sumere aliquid quale sit in philosophia.

seipsa est vera. Si est falsa, non sibi ipsi sed rerum naturæ facit iniuriam, qui vtitur hypothesi, vt qui velit sibi id quod non est ex eo ipso concedi, tanquam quod sit, & cogat falsum sumere tanquam verum. Quinetiam si quisquam velit firmum esse & stabile quidquid est consequens iis quæ sumpta sunt ex hypothesi, confundit vniuersam philosophicam inquisitionem. statim enim ponemus tria esse quatuor: & colligemus tanquam consequens sex esse octo. ex his autem erit verum, sex esse octo. Quòd si nobis dicant hoc esse absurdum, oportere enim firmum esse ac stabile quod positum est per hypothesim, vt confiteamur id quod est ei consequens, à nobis quoque audient, non oportere nihil velle ex seipso sumere, quidquid autem ponitur accuratè & exactè ponere. Præterea si quod ponitur per hypothesim, quatenus ponitur, est firmum ac stabile, ne ea ponant qui philosophantur dogmaticè, ex quibus colligunt id quod est incertum & non manifestum, sed hoc ipsum incertum & manifestum. hoc est, nō propositiones demonstrationis, sed illationem. Verùm etiam si hoc millies posuerint per hypothesim, non est credibile propterea quòd res sit incerta & quòd de eo sit quęstio. Perspicuum est vtique, quòd nec si petierint propositiones demonstrationis absque demonstratione, ad fidem faciendam nihil efficiunt, propterea quòd ea quoque sint ex dubitabilibus. Atqui solent respondentes dicere, hoc fidem facit quòd firma ac valida sit hypothesis, quòd verum inueniatur illud quod infertur ex iis quæ sumpta sunt ex hypothesi. Nam si est probum ac rectum id quod est his consequens, illa quoque sunt vera & minimè dubia ex quibus consequitur. Sed vnde, dicet quispiam, poterimus ostendere quòd verum sit id quod est cōsequens ei quod sumptum est ex hypothesi? Nunquid ex seipso, an ex propositionibus quas sequitur? Sed ex se quidem minimè possumus: est enim incertum & non manifestum. Sed nec ex propositionibus. De eo enim depugnatur, & oportet ipsum prius constitui. Verùm agè esto quòd verum sit consequens iis quæ sumpta sunt ex hypothesi: non tamen idcirco etiam ea quæ sumpta sunt ex hypothesi erunt vera. Nam siquidem ex eorum sententiâ ex vero solum sequeretur verum, procederet oratio. quòd si sit verum id quod est consequens ei quod sumptum est ex hypothesi, verum sit quod sumptum ex hypothesi. Nunc autem quoniam dicunt etiam ex falso sequi falsum, & ex falso verū, non necessariò si desinens seu consequens est verum, erit etiam verum antecedens. sed contingit cùm sit verum consequens, esse fal-

Ex vero sequatur verum: ex falso falsum, & quandoque verum.

sum antecedens. Atque obiter quidem, vt aiunt, & per interpositionem hactenus dictum sit, quòd non debeat demonstratio incipere ab hypothesi. Consequenter autem ostendendum est, quòd etiam incidit in modum qui dicitur alter per alterum. quod quidem est magis dubium. Nam quòd demonstratio quidem sit ex iis quæ sunt incerta & non manifesta, prius constituimus. Quidquid autem est incertum & non manifestum, opus habet diiudicatione. Quod autem opus habet diiudicatione, eget eo quod sit iudicaturum, ídne sit probum, an non. Quomodo enim quod est metiendum, id absque mensura secundum naturam metiri non licet: & quidquid est ad regulam dirigendum, absque regula non dirigitur: ita etiam quod iudicatur, non iudicatur absque eo quod vim habet iudicandi. Quoniam ergo quæsitum est an sit aliquid quod sit iudicandi vi præditum, cùm alij quidem dixerint nihil esse, alij verò esse aliquid, alij verò se cótinuerint in sustinenda assensione, rursus oportebit ostendere per aliquam demonstrationem quòd sit aliquid vim habens iudicandi. Sed vt habeamus credibilem ac fide dignam demonstrationem, oportebit reuerti ad id quod est præditum vi iudicandi. & ita cùm nec eam ab illo habeamus credibilem ac fide dignam, neque illud ab ea firmum ac stabile, fateri esse sustinendam de vtrisque assensionem. Licebit autem cum iis quæ dicta sunt, etiã ex notione seu mentis conceptione agitare & mouere demonstrationem. Quanquam si mente conciperetur, non omnino esset. Multa enim sunt quæ mente quidem concipiuntur, vt dixi, non habent auté vllam partem essentiæ. Nunc autem cùm etiam demonstrationis inuenitur non posse esse in mente conceptio, citra controuersiam abscinditur etiam spes essentiæ. Cùm sint ergo duæ demonstrationes, nempe & quæ est in genere, & quæ est in specie, eam quidem quæ est in genere, eo ipso inueniemus mente concipi non posse. Nemo enim nostrum nouit demonstrationem in genere: neque per eam vnquam potuit aliquid ostendere. Et alioqui operæpretium est interrogare, habeátne ea demonstratio propositiones & illationes, an non. Et si quidem non habet, quemadmodum potest adhuc mente concipi demõstratio, siquidem cuiusuis demonstrationis notio & in mente conceptio non constat absque eius propositionibus & illatione? Sin autem habet vtraque, nempe propositiones & illationem, est quædam in specie demonstratio. Nam si quidquid demonstratur, & quidquid demonstrat, est ex iis quæ sunt singularia, necesse est etiam demonstrationem esse

Demõstratio incidit in modum, qui dicitur alter per alterum.

Demonstrationis non potest esse in mente conceptio.

vnam

vnam ex iis quæ sunt in specie. Agebatur autem à nobis, non de ea quæ est in specie, sed de ea quæ est in genere. Non ergo mente concipitur quę est in genere demonstratio. Sed nec ea quæ est in specie. Dicebatur enim à Dogmaticis demonstratio esse oratio per collectionem, per quædam quæ apparent aperiens id quod est incertum & non manifestum. Aut ergo vniuersum compositum, hoc est, quod intelligitur ex propositionibus & illatione, est demõstratio: aut propositiones quidem solùm sunt demonstratio, illatio autem id quod demonstratur. Vtrumuis autem horum dixerint, labefactatur notio demonstrationis. Nam siquidem id quod est compositum ex propositionibus & illatione, est demonstratio, necesse est vt demonstratio quæ continet aliquid incertum & non manifestum, sit protinus incerta & non manifesta: cùm sit autem eiusmodi, necesse est vt egeat aliqua demonstratione. quod quidem est absurdum. Quod ergo constat ex propositionibus & illatione, nequaquã fuerit demonstratio. siquidem intelligimus demonstrationem neque incertam ac non manifestam, neque egẽtem demonstratione. Præterea demonstratio est ex iis quæ referuntur ad aliquid. Neque enim ad seipsam inclinatur ac propendet: neque intelligitur ex circunscriptione: sed habet aliquid cuius est demõstratio. Si ergo illatio fuerat in eo comprehensa: quidquid autem refertur ad aliquid, est extra illud ad quod dicitur relatum, ad nihil refertur quæ mente concipitur demonstratio, quandoquidem in ea comprehendebatur illatio. Sed etsi in aliis extrinsecus constituerimus illationem, ad quam relata intelligetur demonstratio, duæ erunt in loco illationes: vna quidem, quæ continetur in demonstratione: secunda autem quæ extrà, ad quam relata intelligitur ac mente concipitur demonstratio. Absurdum est autem vnius demonstrationis dicere duas esse illationes. Non est ergo demonstratio id quod constat ex propositionibus & illatione. Restat ergo vt id solum quod constat ex propositionibus, dicatur esse demonstratio. quod quidem est stultum. hoc enim neque est omnino oratio, sed res manca ac deficiens, & quæ cogitari non potest. siquidem nullus qui sapit seorsum dicit hoc, Si est motus, est inane. Atqui est motus, aut esse desinens seu consequens, aut aliquam seruare sententiam. Si ergo neque quod est compositum ex propositionibus & ex illatione, intelligitur ac mente concipitur demonstratio: neque id quod constat solum ex propositionibus, intelligi ac mente concipi non potest demonstratio. Præterea demonstratio, aut cùm sit mani-

Demõstratio cùm sit ex iis quæ referuntur ad aliquid, illatio est extra demonstrationem.

Demõstrationis vnius non possũt esse duæ illationes.

Demonstratio non potest esse quod cõstat ex solis propositionibus.

Demonstratio nec est manifesta rei manifestæ, nec non manifesta non manifestæ, nec non manifesta manifestæ, nec manifesta non manifestæ. ex quo infertur eam nihil esse.

festa, est rei manifestæ demonstratio, aut non manifesta non manifestæ: aut non manifesta manifestæ, aut manifesta non manifestæ. Nihil est autem horum, vt ostendemus. Non est ergo aliquid demonstratio. quandoquidem manifestum non opus habet demonstratione: non manifesta autem rei non manifestæ rursus non fuerit demonstratio, quandoquidem ipsa opus habet aliquo quod eam ostendat. cùm sit autem non manifesta, non aliud quidquam ostendet. Similiter neque non manifesta rei manifestæ. vtraque enim concurrent dubia. Nam & quod demonstratur, nō opus habebit aliqua demonstratione cùm sit manifestum, & demōstratio opus habebit eo quod sit eam ostensurum, cùm sit non manifesta. Quamobrem neque non manifesta rei manifestæ vnquam fuerit demonstratio. Restat ergo vt dicatur manifesta rei non manifestæ. quod ipsum quoque est ex dubiis. Si enim non eorum quæ ex circunscriptione intelliguntur absolutè est demonstratio, sed eorum quæ referuntur ad aliquid. Quæ autem referuntur ad aliquid, vt ostendimus in quæstione de signo, simul inter se comprehenduntur, quæ autem simul comprehenduntur, non à se inter se aperiuntur ac reuelantur, sed sunt ex seipsis manifesta, non erit demonstratio manifesta rei non manifestæ demonstratio, propterea quòd id quoque quod simul cum illa comprehenditur, per se incurrat. Si ergo neque vt res apparens rei apparentis est demonstratio: neque vt res manifesta rei non manifestæ: neque vt res non manifesta rei non manifestæ: neque vt res non manifesta rei apparentis: neque vt res apparens rei non manifestæ: præter hæc autem nihil est, dicendum est nihil esse demonstrationem. Consequenter autem iis quæ dicta sunt, quoniam Stoici maximè videntur callere modos demonstratiuos, agè aduersus eos quoque paucis disseramus, ostendentes quòd, si spectentur eorum hypotheses, fortè quidem omnia sunt incomprehensibilia, peculiarius autem demonstratio. Atque est quidem demonstratio, vt ex eis licet audire, comprehendentis phantasiæ consensio. Quæ quidem videtur res esse duplex, & habere aliquid quidem inuoluntarium, aliquid verò voluntarium, & situm in nostro iudicio. Nam phātasia quidem & visis pelli non est voluntarium, nec situm est in eo qui afficitur, sed in eo qui visione apprehendit sic esse affectum, vt ad candorem quidem appositè, si color albus irruerit: aut appositè ad dulcedinem, si gustui dulce fuerit admotum. Assentiri autem huic motioni, situm est in eo qui admittit phantasiam. Quamobrem comprehensio habet præcedentem

Demonstratio dicitur à Stoicis comprehendentis phantasiæ comprehensio.

tem comprehendentem phantaſiam quòd ſit aſſenſio. Comprehendens autem phantaſia præcedentem habet phantaſiam, cuius eſt ſpecies. Si enim non ſit phantaſia, nec eſt phantaſia cõprehendens: quoniam ſi non ſit genus, nec eſt ſpecies. & ſi non ſit quidẽ comprehendens phantaſia, nec eſt eius aſſenſio. Si autẽ comprehendentis phantaſiæ tollitur aſſenſio, tollitur etiam comprehenſio. Hinc ſi oſtenſum fuerit per demonſtrationem, quòd non poſſit eſſe phantaſia ex ſententia Stóicorum, erit perſpicuum quòd nec conſiſtet aliqua demonſtrationis comprehendens phantaſia. Quòd ſi ea non ſit, neque eius erit aſſenſio. quod quidem eſt comprehẽſio. Quòd autem non ſit phantaſia demonſtrationis ex ſententia Stoicorum, oſtẽditur, primum quidem ex eo quòd communiter apud eos diſſentiur quídnã ſit phantaſia. Nam cùm hactenus conſenſerint quòd dicant eam eſſe impreſſionem in facultate animæ quę tenet principatum, de ipſa diſſident impreſſione, Cleanthe quidem propriè audiente eam quæ intelligitur cum eminentia intrinſeca & extrinſeca: Chryſippo autem per abuſionem pro alteratione. Si autem ex illorum ipſorum ſententia huc vſque apud eos non conſtat de impreſſione, neceſſe eſt etiam de phantaſia de qua huc vſque diſſentitur ſuſtinere aſſenſionem, & de demonſtratione quæ ab ea dependet. Deinde detur etiã qualem volunt eſſe phantaſiam, ſiue propriè impreſſionem cum interna & externa eminentia, ſiue alterationem: ſed quemadmodum fiat ipſa impreſſio demonſtrationis, eſt maximè dubium. eſt enim perſpicuũ quòd id quidem quod viſis pellitur, debet agere: facultas autem animæ quæ tenet principatum, pati. illud quidem vt imprimat: hoc autem vt imprimatur. aliàs enim non eſt conſentaneum euenire phantaſiam. Atque facultatem quidem animæ quæ tenet principatum, fortaſſe concedet quiſpiam poſſe pati, etiamſi non ſit concedendum. Demonſtrationem autem quemadmodum cõſentaneum eſt agere? Aut enim ex eorum ſentẽtia eſt corpus aut incorporeum. Atque corpus quidem non eſt, conſtat enim ex iis quæ dicuntur quæ ſunt incorporea. Sin autem incorporeum, quandoquidem incorporea ex eorũ ſententia neque à natura habent inſitum vt aliquid agant, neque vt patiantur: & cùm ſit incorporea, nihil poterit agere: & ſi nihil agat, in facultatem quæ tenet principatum animæ nihil imprimet. Si in eã autem non imprimat, neque in ipſa eius efficiet phantaſiam ac viſionem. Quod ſi ita ſit, neque comprehendentem phantaſiam. Quòd ſi ea comprehendens phantaſia non ſit in facultate animæ quæ tenet princi-

Demõſtrationis nulla eſt phantaſia.

De phantaſiæ impreßione diſſident Stoici.

Demõſtrationis impreßio quomodo fiat eſt maximè dubium.

Demõſtratio non poteſt agere.

principatum, neque eius erit comprehenſio. Ex Stoicorum ergo quę traditur arte, demonſtratio eſt eiuſmodi vt non poſſit comprehēdi. Sed neque dici poteſt quòd incorporea nō agunt aliquid, neque nos phantaſia ac viſis pellunt: ſed nos ſumus qui ab illis viſis pellimur. Si enim conſtat quòd omnis effectus non cōſiſtit abſque eo quòd agit & patitur, debet etiam phantaſia quæ eſt effectus demonſtrationis non intelligi ſine eo quod agit & patitur. Atque quòd facultas quidem animæ quæ tenet principatum, ſit patiens, concesserunt Stoici Philoſophi. Quidnam ſit autem quod agit & patitur ex eorum ſententia, diſcere eſt operæpretium. Aut enim eſt demonſtratio, quæ imprimit facultatem tenentem principatum animæ, & mouet ſuam phātaſiam: aut ipſa facultas quæ tenet principatum animæ, imprimit & viſis pellit. Sed demonſtratio quidem minimè impreſſerit facultatem animæ quæ tenet principatum. eſt enim incorporea. Incorporeum autem ex eorum ſententia neque agit neque patitur. Sin autem facultas tenens principatum animæ, aut qualis eſt typus, tale eſt etiā quod imprimit: aut diuerſum quidem eſt typus, eius autem diſſimile eſt quod imprimit. Et ſi diſſimile quidem eſt diuerſo, diuerſorum ſubiectorum diuerſæ erunt phantaſiæ. quòd rurſus ad hoc concludit Stoicos, vt omnium rerum nulla ſit comprehenſio. Si autem typus eſt ſimilis ei quod imprimit, quoniam facultas animæ quæ tenet principatum ſeipſam imprimit, accipiet phantaſiam non demonſtrationis, ſed ſui. quod rurſus eſt abſurdum. Alij autē conantur rem exemplis reddere faciliorem. Quomodo, inquiunt, puerorum exercēdorum magiſter, & qui docet eos arma tractare, aliquādo quidem prehenſis manibus pueri, componit & docet eum mouere aliquos motus: aliquando autem ſtans eminus, & certo modo ſe mouens in numerum, ſe præbet illi imitandum: ita etiam eorum quæ cadunt ſub phantaſiam, nonnulla quidem veluti contrectantia & tangentia facultatem quæ tenet animæ principatum, in ea efficiunt impreſſionē, cuiuſmodi eſt album & nigrum, & communiter corpus. Nonnulla autem habent eiuſmodi naturam facultatis quæ tenet animæ principatum, quæ ſub eis non autem ab eis phantaſia pellitur, cuiuſmodi ſunt ea quæ dicuntur quæ ſunt incorporea. Qui autem hoc dicunt, probabili quidem vtuntur exemplo, non colligunt autem propoſitum. Nam qui pueros quidē exercet, & qui ad arma erudit, ſunt corpus. & ea ratione poſſunt puero ingenerare phantaſiam. Demonſtratio autem erat incorporea, & ideo quærebatur an poſſet facultatem

Impreſſio quomodo fiat in principe animæ parte, docetur ſimilitudine magiſtri exercendorum puerorum.

Demonſtratio differt à magiſtro exercendorum puerorum, quod attinet ad impreſſionem.

tem quæ tenet animæ principatum imprimere phantasticè. Quo fit vt non sit ab eis demõstratum quod quærebatur ab initio. His itaque demonstratis, transeamus & consideremus, an etiam ex contemplatione dialecticâ possit eis conseruari demonstrationis professio. Existimant ergo tres orationes inter se esse coniugatas, nempe & collectiuam & veram & demõstratiuam. Ex quibus demonstratiuam quidem esse omnino veram & colligẽtem: veram autem omnino quidem esse colligẽtem, non necessariò autem etiam demonstratiuam: colligentem autem neque omnino veram, neque omnino demonstratiuam. Et huiusmodi quidem oratio cùm sit dies, Si nox est, sunt tenebræ: atqui nox est, sunt ergo tenebræ: colligit quidẽ, propterea quòd sit rogata in proba & recta figura. non est autem vera, vt quæ secundam falsam habeat propositionem, nempe adsumptionem, Atqui est nox. Quæ autem sic habet cùm sit dies, Si dies est, lux est: atqui dies est, lux ergo est: simul est & colligẽs & vera, quòd & in proba ac recta rogata sit figura, & per vera verum colligat. Dicunt autẽ colligentem iudicari orationem quòd sit colligẽs, quando eam quæ per eius propositiones fit connexionem sequitur conclusio: vt hanc cùm sit dies, Si nox est, sunt tenebræ: atqui nox est, sunt ergo tenebræ: etiamsi non sit vera, quoniam ducit ad falsum, dicimus esse colligentem. Cùm enim propositiones sic complexuerimus, Nox est, & si nox est, sunt tenebræ: facimus connexam ratiocinationem, incipientem quidem ab huiusmodi complexione, desinentem autem in huiusmodi cõclusionem, Nox est: & si nox est, sunt tenebræ. Hoc enim connexum est verum, propterea quòd nunquam incipiens à vero desinat in falsum. Nam si sit quidem dies, incipit à falso, Sunt tenebræ. & ita erit verum. Si nox autem, incipiet quidem à vero, & definet in verum. & ex eo hoc erit verum. Ergo colligens quidem tunc erit vera, quando cùm nos complexuerimus propositiones & connexum fecerimus, quòd incipit quidem à complexione per propositiones, desinit autem in conclusionem, inuenitur hoc ipsum connexum verum. Vera autem oratio iudicatur esse vera, non ex eo solùm quòd connexum quod incipit à complexione per propositiones, desinit autem in conclusionem, sit verum, sed etiam ex eo quòd complexum per propositiones sit probum ac rectum: adeò vt si alterum ex his inueniatur falsum, oratio quoque sit necessariò falsa: vt hæc cùm sit nox, Si dies est, lux est. atqui dies est, lux ergo est. propterea quòd habeat falsam propositionem illam, Dies est, falsa est.

Orationes tres, nempe collectiua, vera, & demonstratiua, sunt inter se coniugatæ.

Oratio colligens nec est omnino vera, neque demonstratiua.

Oratio colligens quomodo iudicetur.

Oratio vera quomodo iudicetur verà.

Sed si complexum quidem, Si dies est, est falsum: connexum autem quod incipit à complexione per propositiones, & desinit in conclusionem, verum erit. Nunquam enim à vero incipiens desinit in falsum, sed noctu quidem incipit à falsa complexione. Interdiu autem vt incipit à vero, ita etiam desinit in verum. Et rursus hæc, Si dies est, lux est: lux autem est, est ergo dies: est falsa, quæ per veras propositiones nos potest ad falsum deducere. Sed si examinemus, potest quod complexũ est per propositiones verum esse si sit dies: vt hoc, Lux est. & Si dies est, lux est. Connexum autem quod incipit à complexione per propositiones, & desinit in conclusionem, est falsum: vt est hoc, Si lux est, dies est. & Si dies est, lux est. Potest enim hoc connexum, si sit nox, à vera incipere complexione, & in falsum desinere, nempe Dies est, & ideo esse falsum. Quamobrem vera est oratio, neque quando complexum solum fuerit verum, neque quando connexum, sed quando ambo vera. Demonstratiua autem differt à vera, quoniam vera quidem potest omnia habere euidentia, propositiones, inquam, & illationem. Demonstratiua autem vult aliquid habere amplius, nempe vt à propositionibus simul aperiatur ac reueletur illatio quæ est non manifesta. Vnde hæc quidem, Si dies est, lux est: atqui dies est, lux ergo est: euidentes habens propositiones & illationem, vera quidem est, sed non demonstratiua. Ista autem, Si hæc habet lac in vberibus, hæc concepit, cum hoc quòd est vera, est etiam demonstratiua. Cùm enim incertam ac non manifestam haberet conclusionem, nempe Hæc concepit, eam aperit per propositiones. Cùm sint ergo tres orationes, nempe & colligens, & vera, & demonstratiua, si sit aliqua quidem demonstratiua, ea longè est prius vera & colligens. Si qua autem sit vera, non est necessariò demonstratiua, sed omnino colligens. Si qua est autem colligens, non est omnino vera, vt neque est omnino demonstratiua. Cùm ergo eis omnibus communiter debeat euenire proprietas colligens, si ostenderimus quòd à Stoicis inueniri non potest oratio colligens, ostendemus quòd inueniri non potest neque vera neque demonstratiua. Quòd autem non sit vlla oratio colligens, est facile cognoscere. Si enim colligentem dicunt esse orationem, quando verum fuerit connexum, quod incipit quidem à complexione eius propositionum, desinit autem in illationem, oportebit prius diiudicatum esse verum connexum, & tunc firmiter ac stabiliter sumi orationem colligẽtem quæ ex eo videtur depẽdere. Non fuit autem hactenus diiudicatum probum

Oratio demõstratiua quando differat à vera.

lego ἀποδεικτικός.

Oratio colligens nulla est.

Connexum rectum hactenus

probum & rectum connexum. Neque ergo potest esse nota colligens oratio. Quomodo enim si non stet mensura, sed aliàs aliter mutetur, nec stat quidem quod cadit sub mensuram: ita quoniam est veluti mensura colligendi orationem probum ac rectum connexum, sequetur vt si hoc non posit diiudicari, ne illa quidem sit dilucida. Quòd autem non posit diiudicari probum & rectum connexum, Stoicorum docent institutiones, in quibus multa & diffidentia, & huc vsque non diiudicata eius exponunt iudicia. Vnde cùm sit huiusmodi colligens, omninò est etiam vera. & ideo etiam de demonstratiua debet sustineri assensio. Quòd si hac relicta obiectione, pergamus ad artificiosam eorum quæ finiunt & quæ sunt infinita tractationem, inuenietur fieri non posse vt demonstratiuæ orationis constituatur constitutio. Atque cùm sit quidẽ magna exactaque & accurata quæstio de iis quæ finiunt, non est necesse nunc disserere: de orationibus autem infinitis, aliquantum est ostendendum.

non est diiudicatum.

Si mensura nõ stet, nec id quod cadit sub mensuram.

Dicunt ergo quatuor modis esse infinitam orationẽ, aut per diremptionem, aut per redundantiam, aut propterea quòd in mala rogata sit figura, aut per defectum. Et per diremptionem quidem, quando propositiones nullam habent coniunctionem & communionem inter se, nec cum illatione: vt in hac oratione, Si dies est, lux est. atqui frumentũ venditur in foro, lux ergo est. Videmus enim quòd in hoc, neque illud Si dies est, vllam habet conspirationem & connexionem cum hoc, Frumentum venditur in foro: nec vtrunque eorum cum illo, Lux ergo est. sed vnumquodque dependet ab aliis.

Oratio est infinita quatuor modis.

Oratio infinita per diremptionem.

Per redundantiam autem infinita fit oratio, quãdo extrinsecus & superuacaneè assumitur aliquid ad propositiones: quomodo in eo quod sic habet, Si dies est, lux est. atqui dies est, sed & virtus prodest, lux ergo est. Virtutem enim prodesse, superuacaneè adsumptum est simul cum aliis propositionibus; siquidem eo ablato, potest per ea quæ restant, nempe Si dies est, lux est, & Atqui dies est, fieri illatio, Lux ergo est.

Oratio infinita per redundantiam.

Per hoc autẽ quòd in mala rogata sit figura, infinita fit oratio, quando fuerit rogata in aliqua earum quę considerantur præter probas ac rectas figuras: vt cùm hæc sit proba & recta figura, Si primum, secundũ, est autem primum, est ergo secundum. At si sit & hæc, Si est primum, est secundum. non est autem secundum, est infinita. non quòd in hac figura non posit rogari oratio quæ per vera verũ colligat. potest enim, vt hæc, Si tria sunt quatuor, sex sunt octo. Non sunt autem tria quatuor, non sunt ergo sex octo: sed quòd in ea

Oratio infinita quòd rogata sit in mala figura.

Figuræ probæ & rectæ, & contrà.

poſſint quædam malæ collocari orationes: vt eſt hæc, Si dies eſt, lux eſt. atqui non eſt dies, non eſt ergo lux. Per defectum autem fit infinita oratio, quando deeſt aliqua ex colligentibus propoſitionibus: vt, Aut diuitiæ ſunt malum, aut diuitiæ ſunt bonum. non ſunt autem diuitiæ malum, ſunt ergo malum diuitiæ. Deeſt enim in diſiunćto illud, Diuitias eſſe indifferentes. Quo fit vt hæc ſit melior & ſanior interrogatio, Aut diuitiæ ſunt bonum, aut malum, aut indifferẽs. Sed nec bonum nec malum ſunt diuitiæ, ſunt ergo indifferens. Cùm autem apud Stoicos ſit huiuſmodi artis ſita ratio, num, quod ad eam attinet, non poſſumus infinitam cognoſcere orationem. Sed ſecundus quoque modus infinitorum erat per redundantiam, quando extrinſecus ad propoſitiones aſſumitur aliquid ſuperuacaneum, vt ad confirmationem concluſionis. Quod ad hoc autem attinet, oportebit orationem quæ rogatur in primo & ſecundo modo per redundantiam eſſe infinitam: quandoquidem in eo redundat id quod pertinet ad modum. & hoc ſciemus à nobis additis orationibus. Hanc eſſe dicunt infinitã, Si dies eſt, lux eſt. atqui dies eſt, ſed & virtus prodeſt. lux ergo eſt. Redundat enim in ea illud, Virtus prodeſt, ad confirmandam concluſionem, propterea quòd eo ſublato, ex reliquis duabus propoſitionibus citra defectum colligatur illatio. Occurrentes itaque dicent Sceptici, quòd ſi eſt infinita per redundantiam, in qua, ſublata aliqua propoſitione, ex iis quæ reſtant colligitur illatio, dicendum eſt eſſe infinitam eam quæ interrogatur in primo modo. ſic autem habet, Si dies eſt, lux eſt. atqui dies eſt, lux ergo eſt. In ea enim redundat ad confirmandam concluſionem, illud ad modum pertinens, Si dies eſt. & poteſt ex eo, Dies eſt ſolùm, colligi, Lux ergo eſt. Hoc autem eſt ex ſe quidem manifeſtum: licet autem hoc quoque leuius & facilius reddere, ab ea quæ eſt tanquam ad illos conſequentia. Aut enim ad id quod eſt, Diem eſſe, dicent ſequi eſſe lucem, aut non ſequi. Et ſi dicant quidem ſequi, cùm eo ipſo conſtet verum eſſe illud, Dies eſt, colligitur etiã Lux eſt, neceſſariò conſequens ei quod eſt concluſio. Si autem non ſequitur, nec ſequetur in connexo. & propterea falſum erit connexum, ſi in eo deſinens non ſequatur antecedens. Quo fit vt duorum alterum, quod attinet ad prius dictam artis rationem; nempe vt vel inueniatur infinita quæ fuit in primo modo interrogata, cùm in ea redundet quod ad modum pertinet, aut omnino falſa, propterea quòd ſit in ea falſum quod ad modum pertinet. Nam dicere quidem non placere Chryſippo orationes

Oratio infinita per defectum.

Oratio infinita non poteſt cognoſci.

Oratio infinita inuenitur in primo modo & ſecundo.

nes quæ ſunt vnius propoſitionis, quod fortè dicent aliqui aduerſum hoc argumẽtum, eſt planè nugatorium. Neque enim Chryſippi vocibus tanquam præceptis Apollinis neceſſe eſt parere: neque attendendum eſt teſtimonium virorum in ſuum dictum à teſte qui dicit contrarium. Antipater enim vir clariſſimus in ſecta Stoica, dicebat poſſe conſiſtere orationes ex vna propoſitione. Præterea ſecundo modo infinita dicebatur oratio, propterea quòd rogata ſit in mala figura. Rurſus ergo dictione ſeu affirmatione ſolùm contenti, dicent in mala aliqua figura interrogatam eſſe orationem, aut orationem ad hoc aſſument. Et ſi ſunt quidem contenti affirmatione ſeu dictione, nos quoque opponemus dictionem ſeu affirmationem quæ dicit, quòd non rogata ſit in mala figura. Si autem aſſumunt orationẽ, eſt omnino, verum, ſtultum. Quòd autem vera ſit hæc oratio, hæc, inquam, quæ oſtendit quòd in mala figura rogata ſit aliqua oratio, probam & rectam orationem dicit eſſe aſſumptam. Vt ea autem ſit proba & recta, oportet eam rogari proba & recta oratione. Et ideo cùm nec proba & recta oratio credi poſſit eſſe proba & recta antequam figura: neque figura quòd ſit proba & recta, antequam ea quæ ipſam iudicauit oratio, conſiſtit is modus qui eſt alter per alterum, qui eſt maximè dubius. Porrò autem aduerſus infinitarum orationũ quæ reſtat differẽtiam, nempe eam quæ eſt ex defectu, iam ferè quidem contradiximus. Si enim inueniri non poteſt perfecta oratio, vt ſuperius oſtendimus, debet etiam eſſe ignota quæ eſt manca & deficiens. Inueniri autem non poteſt perfecta, vt oſtendimus. erit ergo etiam ignota quæ eſt manca ac deficiens. Si autem cùm ex Stoicorum ſententia ſint quatuor modi, per quos fit oratio infinita, oſtendimus in vnoquoque eorum non cognoſci infinitas orationes, ſequetur etiam eſſe ignotam eam quę finit. Si ea autem non cognoſcatur, inueniri etiam non poterit oratio demonſtratiua. Ad hæc accedit, quòd cùm cuiuſuis veræ orationis iudicari oporteat propoſitiones (nã ſi eæ concedantur, conſequenter eis datur illatio) quoniam autem demonſtrationis diiudicari non poſſunt propoſitiones, ſicut oſtendimus, non ergo poterit vera oratio eſſe demonſtratio. Connexum enim, vt prius oſtendebamus, cenſent eſſe probum & rectum, quando à vero incipiens definit in falſum: aut à falſo in verum: & vno modo falſum, quando incipiẽs à vero definit in falſum. Hæc autem cùm ita habeant, inuenietur diiudicari non poſſe in demonſtratione. Nam omnino incipiens ab aſſumptione, definit in illatio-

Orationes vnius propoſitionis non placebant Chryſippo.

Orationes poſſunt conſiſtere ex vna propoſitione, vt volebat Antipater.

Infinita non eſt oratio, quòd dicatur rogata in mala figura.

Oratio infinita nõ eſt per defectum.

Oratio perfecta non poteſt inueniri.

Demonſtrationis propoſitiones non poſſunt diiudicari.

Connexũ quale ſit probum & rectum.

lationem, vt se habet in huiusmodi illationibus. Atqui est motus, est ergo inane. Hic enim connexum & incipit ab assumptione, Est motus, & desinit in illationem. Aut ergo illatio res est aperta & manifesta & quæ cognoscitur ab omnibus, aut non manifesta & ignota. Et si sit quidem manifesta & cognita, non est vtique oratio demonstratiua, quæ ex omnibus manifesta redditur, partim quidem propositionibus, partim autem illatione. Si autem non est manifestum, necessariò connexum est huiusmodi vt nõ possit diiudicari. Nam quòd ab aliquo quidem incipiat nobis est notum, est enim manifestum. In quidnam autem desinat ignoratur propter incertitudinem. Nesciẽtes autem vtrùm hoc sit verum an falsum, neque diiudicabimus connexum. Si connexum autem non potest diiudicari, erit etiam praua oratio. Præterea demonstratio est ex iis quæ referuntur ad aliquid. Quæ autem referuntur ad aliquid, mente tantùm concipiuntur, non sunt autem. Demonstratio ergo est tantùm in mentis conceptione, & non in essentia. Quòd autem re vera quæ ita se habent vt aliquo modo referantur ad aliquid, conseruentur sola mentis conceptione, non sit autem eis essentia, docere licet ex confessione Dogmaticorum. Describentes enim id quod refertur ad aliquid, vno consensu dicunt, Id refertur ad aliquid, quod intelligitur relatum ad alterum. Si autem particeps esset essentiæ, non id sic definiissent, sed potius hoc modo: Id refertur ad aliquid, quod est ad alterum. In iis ergo rebus quæ sunt, non aliquid subiicitur id quod refertur ad aliquid. Et alioqui quidquid est, non potest aliquam suscipere mutationem & alterationem absque affectione: vt color albus non potest fieri niger, nisi sit conuersus & mutatus. & niger non potest mutari in aliũ colorem, si niger maneat. Et similiter dulce non potest fieri amarũ, si sit impatibile & inalterabile. Quamobrẽ quidquid est, non absque aliqua affectione suscipit mutationem in alterum. Quod autem refertur ad aliquid, mutatur absque affectione, & absque vlla quæ in ipso fiat alteratione: vt lignum cubitale, si quidem ei ex aduerso opponatur cubitale, dicitur illi esse æquale. Si autẽ bicubitale, non amplius æquale sed inæquale, cùm in ipso nulla fiat mutatio & alteratio. Et si cogitauerimus quempiam ex vase aquam profundentem, is posito quidem vase aliquo dicetur infundens: non posito autem, effundens, etiamsi ipse nullam susceperit mutationem & alterationem. Quamobrem si ei quidem quod est, accidit vt nõ sine affectione sustineat mutationem: ei autẽ quod refertur ad aliquid, nihil tale accidit:

Connexum nõ potest diiudicari.

Demõstratio est ex iis quæ referuntur ad aliquid.

Demonstratio est tantùm in mentis conceptione.

Relatiua sunt solùm in mente, non in essentia.

Relatiuũ quomodo definiatur.

Nihil mutatur & alteratur absque affectione.

Relatiua suscipiunt mutationem in alterũ absque affectione.

accidit: dicendũ est non esse id quod refertur ad aliquid. Ad hæc accedit, quòd id quod refertur ad aliquid, est seiunctum ab eo ad quod refertur. Id enim quod est infrà, est seiunctum ab eo quod est suprà. Si est autem id quod refertur ad aliquid, & non versatur in sola cogitatione, erunt vnum contraria. Non est ergo id quod refertur ad aliquid, sed solùm mente concipitur. Rursus enim corpus cubitale, ex appositione quidem semicubitalis, dicitur maius: ex additione autem bicubitalis, minus. Idem autem eodem tempore & esse maius & minus, hoc est contraria, est ex iis quæ nõ possunt fieri. Nam mente quidem concipi fortasse poterit, per eam quæ fit cum alio collationem. fieri autem non potest vt sit. Non ergo sunt ea quæ referuntur ad aliquid. Verumenimuero si sunt ea quæ referuntur ad aliquid, erit idem sibi ipsi contrarium, sed hoc non est. Igitur nec ea ratione dicẽdum est esse id quod refertur ad aliquid. Præterea si est id quod refertur ad aliquid, erit aliquid sibi ipsi contrarium. Non est autem consentaneum aliquid esse ipsum contrarium sibi ipsi. Nec ergo est consentaneum vt sit id quod refertur ad aliquid. Suprà enim & infrà sunt sibi inuicem contraria. Idem autem vt ad id quidem quod est subiectum, est suprà: ad id autẽ quod est suprà positum, infrà. Si sunt autem tria, suprà & infrà, & medium: eius quod est suprà & infrà, si ad subiectum referatur, erit suprà: ad id autem quod suprà situm est, infrà. & erit idem suprà & infrà. quod quidem nõ potest fieri. Non est ergo id quod refertur ad aliquid. Si est autem id quod refertur ad aliquid, idem erit suprà & infrà. Propterea autẽ et si est, dicitur idem suprà & infrà ex ea quæ est tanquam ad aliud habitudine. Idem ergo erit seorsum à seipso. quod est omnium absurdissimum. Sed si non sunt ea quæ referuntur ad aliquid, omnino etiam demonstratio, cùm sit ex iis quæ referuntur ad aliquid, minimè erit. Ostensum est autem ea non esse quæ referuntur ad aliquid. erit ergo etiam demonstratio ex iis quæ non sunt. Atque hæc sunt quidem quæ dicuntur ad ostendendum quòd non sit demonstratio. Consideremus autem etiam orationem quæ ei aduersatur. Existimant enim dogmatici Philosophi, eum qui censet non esse demonstrationem, ipsum à seipso euerti: & per quæ eam perimit, per ea ipsam definire. Vnde etiam dicunt resistentes Stoicis: Qui dicit nihil esse demonstrationem, aut id dicit vtens falsa & quæ demonstrari non potest dictione seu affirmatione, aut id demõstrans oratione. Et si nuda quidem dictione vtens seu affirmatione, nemo eorum qui admittunt demõstrationem, cre-

Relatiua sunt seiuncta ab iis ad quæ referuntur.

Si relatiua sint, quænam sequantur absurda.

Pro demonstratione tuenda quid dicant Dogmatici.

det ei qui vtitur nuda & ſola dictione ſeu affirmatione: ſed cohibebitur per aduerſam affirmationem alicuius qui dixit eſſe demonſtrationem. Sin autem demonſtraris non eſſe demonſtrationem, (hoc enim dicunt) eo ipſo confitetur eſſe demonſtrationem. Oratio enim demonſtrans non eſſe demonſtrationem, eſt demonſtratio quòd ſit demonſtratio. Et in ſumma quæ de demonſtratione enuntiatur oratio, aut eſt demonſtratio, aut non. Et ſi non eſt quidem demõſtratio, non eſt fide digna. Si eſt autẽ demonſtratio, eſt demonſtratio. Nonnulli autem ſic quoque interrogant: Si eſt demonſtratio, eſt demonſtratio. Si non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio. Aut eſt autem, aut non eſt demonſtratio: eſt ergo demonſtratio. Et huius quidem orationis propoſitionũ in promptu eſt perſuaſio. Nam & primum connexum, nempe, Si eſt demonſtratio, eſt demonſtratio: cùm ſit diuerſificatum, eſt verum. Ad id enim quod eſt in ipſo primum, ſequitur id quod eſt in ipſo ſecũdum, cùm non ſit ab illo alterum. Secundum autem connexum, nempe, Si non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio, rurſus eſt probum & rectum. Ei enim quod eſt, Non eſſe demonſtrationem, quod eſt antecedens, conſequens eſt eſſe demonſtrationem. Ipſa enim oratio quæ oſtendit non eſſe demõſtrationem, cùm ſit demonſtratiua, confirmat eſſe demonſtrationem. & diſiunctum, nempe, Aut eſt demõſtratio, aut non eſt, conſtans ex duobus diſiunctis, nempe & eſſe demonſtrationem, & non eſſe, vnum debet habere verum, & propterea eſſe verum. Quamobrem cùm veræ ſint propoſitiones, ſimul etiam infertur illatio. Licet autẽ aliter quoque docere quòd ſit eis conſequens. Nam ſi diſiunctum eſt verum, cùm vnum in ſe habeat verum, vtrumuis ex iis verum poſuerimus, ſimul etiam colligetur illatio. Ponatur autem primum ex iis quæ in ipſo ſunt verum, nempe, eſſe demonſtrationem: ergo quoniam hoc antecedens eſt in ipſo connexo, ad id conſequetur id quod deſinit ſeu eſt conſequens in primo connexo. Dicebat autem, Eſt demonſtratio, quod erat etiam illatio. Dato ergo quòd in diſiuncto ſit verum, eſſe demonſtrationem, ſequetur etiam illatio rationis. Idem eſt ſuadendi modus etiam in eo quod reſtat pronunciato, nempe, non eſſe demonſtrationem. Id enim antecedebat connexum quod in ſecundo habebat conſequentem orationis illationem. Cùm autem Dogmaticorũ ſit eiuſmodi obiectio, breuiter etiam aduerſus eam occurrunt Sceptici. Dicent enim, Si non contingit quidem reſpondere ad interrogationem qua quærebant, vtrùm ſit demonſtratio ora-

Pro demonſtratione infirmanda quid reſpondeant Sceptici.

tio

tio aduerſus demonſtrationem, an non demonſtratio, debent æqui boni conſulere, ſi non poſſint reſpondere ad quæſtionem tam dubiam. Sinautem eſt eis facile, faciant quod Scepticis imperant, reſpondentes vtrum dicant orationem demonſtrationis eſſe demonſtrationem, an non. Nam ſi non eſt demonſtratio, ex ea non licebit docere, quòd non ſit demonſtratio. Neque dicere, quòd hæc oratio ſit demonſtratio, quoniam non eſt demonſtratio. confeſſi enim ſunt eam non eſſe demonſtrationem. Si autem eſt demõſtratio, omnino veras habet propoſitiones & illationem. Nam cum earum veritate intelligitur demonſtratio: erat autem eius illatio, non eſſe demonſtrationem. Verum eſt ergo non eſſe demõſtrationem. Sic enim demonſtratiuam oſtendere volentes orationem aduerſus demonſtrationem, non magis eam ſtatuunt quàm tollunt. Et tamen ſi Scepticos oporteat pro ſe reſpondere, ij tutò reſpondebunt. Dicent enim orationem aduerſus demonſtrationem, eſſe ſolùm probabilem. & in præſentia eis perſuadere & inducere aſſenſionem: ſe autem ignorare an rurſus talis ſit futura, propterea quòd ſit varia & multiplex humana cogitatio. Cùm enim ſic reſponderint, nihil amplius dicere poterit Dogmaticus. Aut enim hoc docebit, quòd non ſit vera oratio adducta aduerſus Demonſtrationem; aut hoc oſtendet, quòd nõ perſuadet Sceptico. Sed primum quidem oſtendens, non pugnat cũ Sceptico, propterea quòd nec ille de ea oratione affirmet tanquam vera: ſolùm autem dicat quòd id ſit probabile. Faciens autem ſecundum, erit temerarius, vt qui alienam affectionem expugnare velit oratione. Quomodo enim ei qui lætatur, nemo oratione poteſt perſuadere quòd non lætetur: & ei qui triſtitia afficitur, quòd non ſit triſtis: ita neque ei qui perſuadetur, quòd non perſuadeatur. Ad hæc accedit, quòd ſi cum aſſenſione quidem affirmarent Sceptici quòd nihil ſit demonſtratio, fortaſſe euerterentur ab eo qui docet eſſe demonſtrationem. Nunc autem quoniam verba tantùm nudè ponunt aduerſus demonſtrationem abſque eo quòd eis aſſentiantur, tantum abeſt vt eis obſint qui confirmant cõtrarium, vt magis proſint. Nam ſi quæ aduerſus demonſtrationem allatæ ſunt orationes, firmæ manent ac ſtabiles, & aduerſus quas non poſſit contradici: validæ autẽ rurſus ſunt rationes quæ adſumptæ ſunt pro demonſtratione, neque ad illas, neque ad has accedentes, profitemur nos ſuſtinere aſſenſionem. Quòd ſi conceſſum fuerit eſſe demonſtratiuam quæ aduerſus demonſtrationem affertur orationem, non ideo id iuuabit Dogma-

Oratio aduerſus demonſtrationem eſt ſolũ probabilis.

Oratione expugnari nõ debet aliena affectio.

ticos ad hoc quòd ſit Demonſtratio, vt iam admonuimus. colligit enim non eſſe demõſtrationem. idque cùm ſit verum, falſum eſt eſſe demonſtrationem. Sed quæ colligit nõ eſſe demonſtrationem, cùm ſit demonſtratiua, ſeipſam expellit. Ad quod dicendum eſt, quòd nõ

Per exceptionem multa dicuntur.

omnino ſeipſam expellit. Multa enim dicuntur per exceptionem. & quomodo dicimus Iouem eſſe patrem Deorum & hominum, per huius ipſius exceptionem: neque enim ipſe ſuus erat pater: ita etiam cùm dixerimus nullam eſſe demõſtrationem, dicimus per exceptionem orationis quæ oſtendit quòd non ſit demonſtratio. hæc enim ſola eſt demonſtratio. Quòd ſi etiã ſeipſam expellat, non ideo con-

Multa eo ſe afficiunt quod aliis faciunt.

firmatur eſſe demonſtrationem. Multa enim ſunt quæ quod aliis faciunt, eo ſeipſa quoque afficiunt: vt quomodo ignis cùm cõſumpſerit materiam, ſe quoque ſimul interimit. & quomodo purgantia medicamenta cùm humores eiecerint ex corporibus, ſeipſa quoque ex-

Per demõſtrationem demonſtrari poteſt et eſſe & nõ eſſe demonſtrationem.

pellunt: ita etiam & oratio quę eſt aduerſus demonſtrationem, poſtquàm omnem ſuſtulerit demonſtrationem, poteſt ſe quoque ſimul circunſcribere. Et rurſus quomodo non difficiliter poteſt fieri vt qui per aliquas ſcalas aliquem altum locum conſcenderit, poſt aſcẽſum pede ſcalas euertat: ita etiam eſt ſatis probabile, Scepticum, qui tanquam per aliquas ſcalas proceſſit per orationem quæ oſtendit non eſſe demonſtrationẽ, ad cõfirmandum propoſitum, tunc eam ipſam quoque ſuſtuliſſe orationem. Sed cùm huc vſque dubitauerimus de iis quæ pertinent ad viam ac rationem logicam, deinceps etiam procedamus ad inquirendum aduerſus Phyſicos.

Sexti Empirici commentariorum liber octauus.

De principiis naturalibus. De cauſa & patiente. De Diis. De toto & parte. De corpore.

De corpore.

CAVSAM quidem propter quam, poſt logicã Philoſophiæ partem, naturalis nobis venit conſideranda, etiamſi tempore videatur alias præcedere, ſuperius in memoriam reuocauimus. Rurſus au-

Clitomachus & Academici immorantur in refellendis ſingularibus.

tem hic conſtituamus eundem inquirendi modum, non immorantes in ſingularibus, vt fecit Clitomachus, & vniuerſa caterua Academicorum. alienam enim ingreſſi materiam, & verba facientes de conceſſione eorum qui diuerſa dogmata ſtatuerunt, immoderata & nimis

mis prolixa vsi sunt oratione: sed ea mouentes quæ sunt præcipua & magis continentia, in quibus cætera quoque habebimus de quibus est dubitatum. Quomodo enim in vrbium obsidionibus, qui muri fundamentum effoderunt, cum eo turres quoque simul deiiciunt: ita etiã qui in philosophicis considerationibus prima rerum fundamenta expugnant, vi ac potestate abrogant & abolẽt cuiuslibet rei comprehensionem. Nonnulli itaque non improbabiliter assimilant eos qui se demittunt ad singulares quæstiones, venatoribus qui ferarũ vestigiis insequuntur, aut iis qui calamo piscantur, aut iis qui visco & arundine aues aucupantur. eos autem qui ex iis quæ plurima continent, singularia omnia labefactant, iis qui lina & vallos & sagenas circundant. Vnde vt multo est artificiosius vna via ac ratione multa venari, quàm in vnaquaque laborare venatione: ita multo est elegantius communiter aduersus omnia afferre cõtradictionem, quàm volutari in singularibus. Quoniam ergo qui videntur accuratius in loco naturali cõstituisse de principiis naturalibus, ex iis alia quidem dicunt agentia, alia verò materialia, quorum sententiæ videtur esse auctor Homerus, & post eum Anaxagoras Clazomenius, & Empedocles Agrigẽtinus, & alij plurimi. Poëta enim de his scribẽs, dicit vbi loquitur allegoricè de Proteo & Eidothea, primam quidem & maximè principem causam vocans Proteum: quæ autem in species vertitur essentiam, Eidotheam. Anaxagoras autẽ dicit: Res omnes simul erant: mens autem veniens eas digessit ac ordinauit. Atque mentem quidem, quæ ex eius sententia est Deus, agens ponit principium, similarium autem partium commistionem, materiale. Aristoteles autem dicit & Hermotimum Clazomenium, & Parmenidẽ Elentem, & diu ante Hesiodum ea sensisse. Vniuersorum enim ortum constituentes, amorem quoque simul acceperunt, hoc est causam mouentem, & ea quæ sunt conciliantem. Hesiodus quidem dicens,

,, *Est ortum chaos in primis, amplisque mamillis*
,, *Dein Tellus, est quæ rerum firmissima sedes.*
,, *Atque amor, est qui inter longè pulcherrimus omnes*
,, *Immortales.* Parmenides autẽ disertis verbis pronuntians,
Omnibus eque Diis primum prouidit amorem.

Potest etiam videri, vt prius dixi, talis esse Empedocles. Nam cum quatuor elementis annumerat contentionem & amicitiam. Amicitiam quidem, vt causam conciliantem: contentionem autem, vt dissoluentem. Dicit enim,

Fundamenta singularũ sunt euertenda, non singularia.

Principiorum alia sunt agentia, alia materialia.

Proteus apud Homerum prima efficiens causa.

Eidothea essentia quæ vertitur in species.

Mens est principium agens, vt voluit Empedocles.

Amor causa mouens & ea quæ sunt concilians, ex Hesiodo, Parmenide & Empedocle.

„ *Ignis, aqua, & tellus, elementiaque aëris alti,*
„ *Perniciosa absque iis & quæ contentio par est*
„ *Vndique, amicitia ex æquo lata atque procera.*

Deum & materiam expertem qualitatis principia constituunt Stoici.

Quinetiam Stoici quoq; qui duo dicũt esse principia, nempe Deum & materiam expertem qualitatis: Deum quidem existimarunt agere, materiam verò pati & conuerti. Cùm ergo apud præstãtissimos Physicos sit hic ordo, agè de agentibus principiis primùm dubitemus, aliquando quidem velut dogmaticè de Deo considerantes, aliquando verò dubitatiuè, quòd nihil sit quod agat aut patiatur. Sed quoniam in omni quæstione prius ponitur rei de qua quæritur intelligentia, videamus quemadmodum statim Dei notionẽ accepimus. De Diis oratio videtur valde necessaria iis qui philosophantur dogmaticè. Hinc dicunt philosophiam esse exercitationem sapientiæ: Sapientiam autem esse scientiam rerum diuinarum & humanarum. Vnde si ostenderimus illam de Diis quæstionem versari in dubio, vi ac potestate confirmauerimus, neque sapientiam esse scientiam rerum diuinarum & humanarum, neque Philosophiam esse exercitationem sapientiæ. Nonnulli enim dicunt eos qui primi præfuerunt hominibus, & quid humanæ vitæ conferret cõsiderarunt, cùm essent intelligentes ac prudentes, finxisse eam quæ de Diis habetur suspicionem, & fabulosam de Diis opinionem. Cùm enim fuisset olim vita agrestis ac fera & immoderata, & nullo certo procedens ordine, fuit enim tempus, vt dicit Orpheus,

Philosophia quid sit.
Sapiẽtia quid sit.
Dij qui fuerint primi.

„ *Victum cùm ex se homines exesa carne pararent,*
„ *Atque ex debilibus fortes conniuia inirent.*

De Diis varia fuit opinio.

iniuriam facientes volentes reprimere, primùm quidem leges tulerunt, vt ij punirentur qui manifestè iniuriam facerent. Postea autem Deos quoque finxerunt, qui inspicerent quæcunque ab hominibus scelerate aut ex virtute geruntur, vt ne clanculum quidem auderent facere iniuriam, cùm persuasum haberent, quòd

„ *Dij totam terram peruadunt aëre amicti,*
„ *Cernentes quidnam prauè rectéue geratur,*

Euhemerus ἄθεος quid de Diis sentiat.
Prodicus Chius de Diis quid dicat.

„ Euhemerus autem, qui ἄθεος fuit cognominatus, dicit: Cùm esset vita hominum insolens & incomposita, qui cæteros superabant viribus & prudentia, adeò vt ex eorum iussis omnes viuerent, sibi ipsis affinxerunt quandam excellentem & diuinam potentiam, vnde etiã à multis Dij sunt existimati. Prodicus autem Chius, Solem, inquit, & lunam & fluuios & fontes, & in summa quæcunque prosunt vitæ

nostræ,

nostræ, veteres Deos existimarunt, propter vtilitatem quæ ex eis accipitur. quomodo AEgyptij Nilum. & ideo panem quidem existimatum esse Cererẽ: vinum verò Bacchum: aquam Neptunum: ignẽ Vulcanum, atque adeò vnumquodque eorum quæ sunt vsui. Democritus autem dicit quædam simulachta appropinquare hominibus. & ex iis alia quidem esse benefica, alia verò malefica. Hinc etiam precatur vt assequatur simulachra ratione prædita. ea autem esse magna & ingentia, & difficiliter quidem interire, non esse tamen interitui non obnoxia. significare autem hominibus futura, ratione vtentia, & voces emittentia. Vnde ea visione apprehendentes veteres Deos esse existimarunt, cùm præter hæc non sit alius Deus, qui habeat naturam in quam non cadat interitus.

Democritus de Diis quid sentiat, quos dicit simulachra hominibus appropinquãtia.

Aristoteles autem dicebat ex duobus principiis ortam esse Dei notionẽ inter homines, nempe & ex iis quæ in anima accidunt, & ex sublimibus. Ex iis quidem quæ in anima accidunt, propter diuinos eius in somnis afflatus, & diuinationes. Quando enim, inquit, in somnis anima per se fuerit, tunc sua propria recepta natura, & diuinat, & futura prædicit. Talis est autem etiam dum in morte separatur ab incorporeis. Admittit enim Homerum quoque Poëtã, vt qui hoc obseruauerit. Fecit enim Patroclum quidem, dum interimeretur, prædicentem cædem Hectoris, Hectorem autem Achillis. Ex his ergo, inquit, suspicati sunt homines, Deum esse aliquid quod ex se est simile animæ, & est omnium scientissimum. Sed & ex sublimibus. Nam cùm contemplati essent Solem quidem interdiu circumeuntem, noctu autem ordinatum aliarum stellarum motum, existimarunt esse Deum aliquem, auctorem huius motionis & ordinis. Atque hæc quidem Aristoteles.

Aristoteles de Diis quid sentiat.

Alij autem sunt qui dicũt, quòd mens cùm sit velox & mobilis, dum mutatur sua natura, venit etiam ad demonstrationem vniuersitatis, & suspicata est esse aliquam intelligentem eorum quæ exuperant vim ac potestatem, & proportione quidem ei respondentem, natura autem diuinam.

Deorũ notiones ex mentis cum superiorũ proportione.

Sunt autem qui ex rebus admirabilibus quæ in mundo fiunt, suspicati sunt nos venisse in notitiam Deorum. In qua opinione videtur etiam esse Democritus. Videntes enim, inquit, veteres quæ in sublimi accidunt, vtpote tonitrua, & fulgura, & fulmina, & astrorum coitus, Solisque & Lunæ defectus, terrebantur, existimantes Deos esse eorum auctores.

Deorũ notiones ex rebus in mundo admirabilibus, vt vult Democritus.

Epicurus autẽ putat, ex iis quæ in somnis occurrunt visionibus, Dei notionem attraxisse homines. Magnis enim, inquit, & humana forma præditis simulachris in somnis incur-

Deorum notio ex somniis secundum Epicurum.

 renti-

Deorum notio ex ordinato motu cœlestium.

rentibus, existimarunt esse re vera quosdam huiusmodi Deos hominis forma præditos. Nonnulli autem accedẽtes ad certum constantemq́ue & ordinatum motum cœlestium, dicunt omnino Deorum notiones ex eo primũ ortas esse hominibus. Quomodo enim si quispiam sedẽs super Troianam Idam, vidisset Græcorum exercitum decenter & ordinatè in campis procedere, equites quidem primũ cum equis & curribus, deinde retrò pedites, ei omnino venisset in mentem, quòd sit aliquis qui regit ac moderatur, & militibus qui ab ipso reguntur, eum ordinem seruare imperat, nempe Nestor, aut aliquis alius ex Heroibus, qui scit & equos regere & homines scutiferos: & quomodo qui est nauis peritus, cùm primùm conspexerit nauẽ quæ secundo vento fertur, & velis bene est instructa, intelligit esse aliquẽ qui eam regit, & ad portus deducit propositos: ita qui primùm cœlũ suspexerunt, & contemplati quidem sunt Solem ab Oriente vsque ad Occidentem cursum suum veluti in stadio conficientem, stellarũ autem quasdam ordine procedentes choreas, inquirebant opificem pulcherrimæ huius ordinationis, eam coniectantes casu non accidere, sed à quadam potente natura & in quam non cadit interitus, quæ quidem est Deus. Ex recentioribus autem Stoicis dicunt nonnulli, primos, & è terra ortos homines, fuisse iis qui nunc sunt intelligentia longè præstãtiores. vt licet discere ex nostra comparatione cum veteribus. & illos Heroes, vt qui aliquem sensum habuerint, intendissẽ mentis aciem in diuinam naturam, & intellexisse quasdam Dei virtutes. Atque hæc quidem sunt quæ dicuntur à dogmaticis Philosophis de Deorum notione. Non existimamus autem opus esse vt aduersus ea dicamus. Varia enim & multiplex enunciatio obsignat tótius veri ignorationem, cùm possint quidem esse multi modi Dei notionis, quod autem est in eis verum non comprehendatur. & tamen etiamsi ad singula pergamus literarum monimentis mandata, nihil ex iis quæ dicta sunt, inuenietur firmum ac stabile. Iam enim ij qui existimant aliquos legis latores & prudentes homines, de Diis opinionem aliis indidisse, non satis videntur id quod quæritur attingere. Quærebatur enim à quónam principio incitati homines venerũt ad existimandum esse Deos. Illi autem, cùm ambo videantur, dicũt quosdam legis latores de Diis opinionem indidisse hominibus, nescientes quòd eis maneat absurdum quod erat ab initio, cùm sit quęsiturus aliquis, Vndénam legis latores, cũ nemo prius eis Deos tradidisset, in Deorum venerũt notionem? Deinde omnes quidem homines

Homines primi orti è terra fuerunt cæteris præstantiores, qui in diuinam naturam intenderunt aciem.

De Diis nihil traditur firmũ ac stabile.

Legis latores vndénam in Deorum venerunt notionẽ.

mines eorum habent notionem, ſed non ſimiliter & eodem modo. Sed Perſæ quidem, exempli cauſa, ignẽ in Deos referunt: AEgyptij autem aquam: alij autem aliquid aliud eiuſmodi. Eſſet autem abſurdum, omnes homines ſimul collectos à legis latoribus, de Diis aliquid audiuiſſe. Neque enim ſimul mixta erant hominum genera, erantque ignota. In nauis autem Argus nauigatione, primam quæ nauigauit ſcapham accepimus ex hiſtoria. At ante hæc omnia, fortaſſe dicet aliquis, qui erãt apud ſingulos legis latores & duces, eam confinxerunt notionem. & propterea alij alios eſſe Deos exiſtimarunt. quod quidem eſt ſtultum. Rurſus enim omnes homines communem & anticipatam de Deo habent notionem, ex qua eſt quoddam beatum animal, & ab interitu alienum, & in felicitate perfectũ, & in quod nullum poteſt malum cadere. Eſt autem planè à ratione alienum, omnes forte fortuna ad eaſdem applicari proprietates, non autem ſic moueri naturaliter. Non ergo ex inſtituta impoſitione, neque vllà lata lege antiqui Deos eſſe acceperunt. Qui autem dicũt primos homines, cùm fuiſſent rectores & adminiſtratores rerum publicarum, cùm magnam ſibi comparaſſent potẽtiam & honorem ad hoc vt pareret populus, eos poſt aliquod tempus, cùm è viuis exceſſiſſent, exiſtimatos eſſe Deos, rurſus non intelligunt quod quæritur. Illi enim qui ipſos in Deos referebant, quemadmodum acceperunt notionem Deorum, qua eos in Deorum numero habuerunt? Hoc enim prætermittitur, cùm opus habeat demõſtratione. Et alioqui non eſt id quod cenſetur probabile. Quæ enim fiunt à ducibus & principibus, & maximè falſa, ſolummodo ſimul manent cum ducibus ac principibus viuentibus, cùm autem deceſſerint, tolluntur. Licetque multos recenſere, qui vitæ quidem tempore relati ſunt in Deos, poſt mortem autẽ ita habiti ſunt contemptui, vt Deorum reprimerentur appellationes: vt Hercules Alcumenæ & Iouis filius. Erat enim quidem ab initio ei nomen Alcæus, vt aiunt. inuaſit autem appellationem Herculis, qui eo tempore exiſtimabatur Deus. Vnde etiam fama eſt Thebis inuentam olim fuiſſe ſtatuam propriam Herculis, quæ habebat inſcriptionem, Alcæus Amphitryonis, ad gratias agendas Herculi. Dicunt etiã Tyndaridas rurſus vſurpaſſe gloriam Dioſcurorum, qui putabantur eſſe Dij. Duo enim hemiſphæria, nempe & id quod eſt ſuper terram, & id quod eſt ſub terram, ſapientes eius tẽporis homines Dioſcuros, id eſt Iouis filios dicebant. Quamobrem Poëta quoque hoc tacitè innuens, de eis dicit,

Deorũ omnes habẽt notionem, ſed nõ eodem modo.

De Diis qualis ſit hominibus notio.

Qui aliquos in Deos retulerunt, de Diis prius aliquam habebant notionem.

Hercules dictus eſt Alcæus qui fuit filius Amphitryonis.

Tyndaridæ vſurparunt gloriam Dioſcurorum, id eſt, duorum Hemiſphæriorum.

Alter-

Homerus.

" *Alternisque aliàs vicibus viuunt, aliasque*
" *Mortem obeunt, æquum Diis nanciscuntur honorem.*

Pileosque eis imponunt,& super eos stellas, tacitè innuentes constitutionem Hemisphæriorum. Illi quidem qui in honorem Deorum sic irrepserunt, propositum quodammodo obtinuerunt. Qui autem seipsos Deos pronuntiarūt,magis sunt habiti contēptui. Quinetiam qui dicunt, quòd veteres Deos esse existimarunt, omnia quæ vitæ prosunt, vt Solem & Lunam, fluuiosque & lacus, & similia, cum eo quòd non probabilem tenent opinionem, eiusdem arguuntur stultitiæ cuius & veteres,vt suprà diximus. Non est enim consentaneum illos esse adeò insipiētes,vt quæ oculis cernuntur interire, Deos esse notione anticipent: aut iis quæ ab ipsis deuorantur & dissoluuntur vim diuinam tribuant. Nam aliquam quidem fortè habet rationem & terram Deam existimare, non eam essentiam quæ in sulcos proscinditur aut foditur, sed vim quæ ipsam regit & administrat, naturamque frugiferam, & re vera beatissimam. Lacus autem & fluuios, & si qua alia sua natura nobis prosint, Deos existimare, est summi stuporis & sensus vanitatis. Ita enim oporteret etiā homines, & eos maximè qui philosophantur, arbitrari esse Deos. Nobis enim prosunt & quę in ædibus sunt animantia, vasaque, & quidquid est his humilius & abiectius. Sed hæc quidem sunt valde ridicula. Dicendum est ergo non esse bonam ac rectā quæ fuit exposita sententiam. Democritus autem non est fide dignus, qui minus dubium docet per maius. Nam ad hoc quidem quòd Deorum notionem aliquo modo habuerint homines, natura dedit multas & varias occasiones,& multa adminicula. Quòd autem in aëre qui ambit sint simulachra ingētia & humanis formis prædita, & in summa talia qualia sibi vult effingere Democritus, est omnino eiusmodi vt admitti non possit. Eadē autem dici possunt etiam aduersus Epicurum, qui existimat quòd ex visis simulachrorum quæ formas habent humanas, quorum species apparet in somnis, Dij in mentem venerunt. Cur enim magis ex his, quàm ex ingenribus hominibus in mentem venerunt Dij? Et vt semel dicam, ad omnes quæ sunt expositæ opiniones licebit dicere, quòd non ex nuda & sola magnitudine animalis humana forma præditi,accipiunt homines Dei notionem, sed cum eo quòd sit beatus & ab interitu alienus, & vim maximam habeat in mundo. quæ quidem non docent à quónam principio, aut quomodo in mentem venerit iis qui Dei primam attraxere notitiam, qui causantur visa quæ occur-

In Deos qui seipsos retulerunt, habiti sunt contēptui.

Deus non est existimandus qui vitæ prodest.

Simulachra quæ fingit Democritus, non sunt Dii.

De Deo est in hominibus notio quòd sit beatus, & ab interitu alienus, & vim maximam habeat in mūdo.

occurrunt in somnis, constantemque & pulchrum ordinem rerum cœlestium. Alij autem ad hoc quoque dicunt, quòd principium quidem notionis quòd sit Deus, ortum sit ex iis quę apparent in somnis, aut ex iis quæ contemplamur in mundo. Quòd autem Deus sit æternus, & interitui non obnoxius, & perfectus in beatitudine, hoc venit à transitu ab hominibus. Quòmodo enim cùm communem hominẽ phantasia auxerimus, habemus notionem Cyclopis,

Quòd Deus sit, notio est ex iis quæ apparent in somnis.

Quòd Deus est æternus, etc. notio venit à transitu ab hominibus.

Homerus.

„ *Non homini similis vescenti pane; sed alta*
„ *Rupi in syluosis quæ est montibus, atque remota*
„ *Cernitur.*

ita cùm felicem & beatum hominem intellexerimus, aut omnibus bonis repletũ, deinde ea amplificauerimus, qui est in illis summus Deus nobis venit in mentem. Et rursus, cùm veteres longæuum quempiam visione apprehendissent hominem, id auxerunt in tempus infinitum; & cùm tempori præsenti præteritum & futurum coniunxissent, & deinde in sempiternam accessissent notionem, dixerunt etiam Deum esse sempiternum. Ii qui hæc dicunt, probabilem quidem defendunt opinionem: sensim autem incidunt in eum modum qui dicitur alter per alterum, qui quidem est maximè dubius. Nam vt primum felicem & beatum intelligamus hominẽ, & ex eo Deum per transitionem, debemus intelligere quídnam sit felicitas, cuius participatione intelligitur beatus. & dicitur beatus Græcè εὐδαίμων, qui dæmonem seu genium bene habet affectum. Quamobrem vt hominis quidem rectè accipiamus beatitudinem, debemus prius habere Dei & dæmonis notionem. Vt autem Deum intelligamus, debemus prius habere Dei & hominis notionẽ. Cùm ergo vtrunque expectet ab altero notionem, id à nobis mente non potest comprehendi. Atque hæc quidem dicta sint ad eos qui quærunt quemadmodum priores homines Dei habuerunt notionem. Consequenter autem quæramus an sint Dij.

An sint Dij.

QVONIAM non quidquid mẽte agitatur est particeps essentiæ, sed potest aliquid mente quidem agitari, non autem esse, vt Hippocẽtaurus & Scylla, oportebit post quæstionem de Deorum in mente conceptione, etiam cõsiderare de Dei essentia. Fortasse enim stabilior ac constantior inuenietur Scepticus quàm ij qui aliter philosophantur, dicens esse Deos congruẽter patriis moribus & legibus, & faciens quidquid pertinet ad eos venerandos ac colendos, quod

autem

autem ad philosophicam attinet quæstionem, nihil agens temere ac præcipitanter. Atque ex iis quidē qui de Dei essentia considerarunt, alij quidem dicunt esse Deum, alij verò non esse: alij autem non magis esse quàm non esse. Et esse quidem plures ex Dogmaticis, & communis vitæ anticipata notio. Non esse autem qui appellati sunt ἄθεοι, & Diagoras Melius, & Prodicus Ciûs, & Theodorus, & permulti alii. Ex quibus dicebat quidem Euhemerus, eos qui existimātur esse Dii, fuisse aliquos potentes homines, & ideo ab aliis relatos in numerum Deorum, visos esse Deos. Prodicus autem id quod vitæ prodest, Deum esse existimatum, vt Solem, & Lunam, & fluuios, & prata, & fructus, & quidquid est eiusmodi. Diagoras autē Melius, qui fuit, vt dicunt, primū Dithyrambicus, vt si quis alius superstitiosus, qui etiam poësim suam ita inchoauit hoc modo: A dæmone & » fortuna fiunt omnia. Iniuria autem affectus ab aliquo qui peierauerat, & propterea nihil passus fuerat, eo deductus est vt diceret non esse Deum. Critias quoque vnus ex iis qui Tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur esse ex ordine impiorum, dicens quòd antiqui legislatores finxerunt Deum inspectorem rerum quæ bene & malè fiunt ab hominibus, vt nemo proximum suum clanculum iniuria afficiat, cauens ne à Deo puniatur. Disertis autem verbis ita dicit: Fuit » tempus quādo erat hominum vita inordinata & beluina, & ministra » virium, cùm neque bonis vllum esset præmium, neque vllum malis » supplicium. Deinde mihi videntur homines leges tulisse quæ pœnas » irrogarent, vt tyrannus esset Iustitia, & ancillam haberet Contume» liam. Multabatur autem si quispiam peccaret. Deinde quoniam le» ges quidem ipsos eò adducebant vt palam scelera non admitterent, » clanculum autem ea admittebant, tunc mihi videtur vir aliquis inge» niosus & prudens cognouisse quòd operæpretium faceret, si inter » mortales inuenisset quemadmodum malis metus esset incutiendus » etiam si clam agerent, aut dicerent, aut cogitarent. Hinc Deum in» troduxit, nempe quòd sit Deus minimè interitui obnoxia vigens vi» ta, menteque audiens & aspiciens, cogitansque, & hæc attendens, & » diuinam gestans naturam. A quo auditur quidem quidquid dictum » est inter homines: quidquid autem fit, videre poterit. Si quis autem » apud se tacitus aliquid cogitet mali, hoc Deos nō latebit. inest enim » prudentia. Hæc autem dicens, induxit documentum longè iucundissimum, nempe falsa oratione tegere veritatē. Semper autem hic » dicebat Deos, vt maximè terreret homines eo ducens. Vnde præsciuit

Deos non esse qui nant dicāt, quos vocamus ἀθέους.

Euhemerus dicebat fuisse Deos aliquos potentes homines.

Prodicus dicebat existimatum esse Deum id quod prodest homini.

Diagoras Melius cur dixerit non esse Deum.

Critias Tyrannus dicebat legislatores finxisse Deum inspectorem, vt cauerēt qui malè agebāt ne à Deo punirentur.

Documentum iucundissimū, falsa oratione tegere veritatem.

» uit timores esse mortalibus, laboresque & afflictiones calamitosæ » vitæ ex superno circuitu, vbi vidit esse fulgura, & horrendos sonos » tonitrui, & stellatum cœli corpus, affabre factum & varium opus sa- » pienris artificis: vnde & candens procedit astri globus, humidusque » in terram imber proficiscitur. Ad hos timores reduxit homines, per » quos verbis Dęmonem pulchrè & in decenti loco fecit habitare: ini- » quitatem autem exrinxir legibus. Er cùm pauca adiecisset, subiunxit: » Sic autem primum arbitror aliquem persuasisse mortalibus vt existi- » marēt esse genus Dæmonum. Cum his autem hominibus congruit etiam Theodorus Arheos, & vt nonnulli sentiunt, etiam Protagoras Abderitanus, cùm ille quidem in opere quod inscripsit de Diis, quæ apud Græcos in Deos sunr relara variè confutauerit. Protagoras au- » rem disertis verbis scripserit. De Diis autem neque an sint, neque » quales sint possum dicere. Multa enim sunt quæ me prohibent. Quā ob causam cùm eum capitis damnassent Athenienses, fugiens in mari periit naufragio. Meminit autem huius historiæ Timon quoque Phliasius in secundo libro eorum quos inscripsir σίλλυς, id est, Sales seu scommara, hæc referens:

Theòdorus ἄθεος.

Protagoras Abderitanus.

Timon phliasius de Protagora quid scripserit.

» *Persuasit qui Protagoræ, cui lingua diserta,*
» *Iucunda & prudens, satis atque volubilis. O si*
» *Possem eius cinerem tetris immittere scriptis,*
» *Qui scripsit se nec nouisse Deos, neque quales,*
» *Aut quinam ij essent vnquam potuisse videre.*
» *Obseruans æqui. Sed ei non profuit istud.*
» *Namque fuga sibi consuluit, ne frigida potans*
» *Pocula Socratica, Ditis penetralia adiret.*

Epicurus autem, vt nonnullis videtur, quod ad vulgus quidem attinet, relinquit Deum. quod autem attinet ad rerum naturam, nequaquam. Non magis aurem esse quàm non esse Deos, per parem vim aduersanrium orationum dixerunt Sceptici. Hoc autem sciemus, si quæ vtrinq; fiunt argumenta breuiter persequamur. Qui ergo Deos esse censent, quatuor modis conanrur probare propositum. Quorū vnum quidem est, consensus omnium hominum: secundum autem, ordo mundi & distriburio: rertium autem, absurda quæ consequuntur iis qui Deum tollunt: quartum aurem & vltimum, ablatio rarionū quæ obiiciuntur. Ex communi quidem notione, dicentes, quòd omnes homines tam Græci quàm Barbari Deum esse existimār. & ideo communi consensu quidem sacrificant & vota concipiunt, Diisque

Epicurus Deos non esse sensit.

Sceptici non magis esse quā non esse Deos asserunt.

Deos esse quatuor modis probatur.

Deum esse et communis notio & omniū hominum consensus.

L templa

templa excitant. Alij aurem aliter hæc faciunr, vt qui hoc quidem communiter habeanr persuasum aliquid esse Deum, de eius autem natura non eandem anriciparam habeant notionem. Si aurem falsa esser eiusmodi anticipata notio, non omnes sic cõsentirent. Sunr ergo Dij. Nam alioqui falsæ opiniones, & quæ sunt ad rempus naturę, non vlterius extenduntur, sed simul excedunr cum illis quorum causa conseruabantur: vt homines honore afficiunt Reges, sacrificiisque arque aliis ritibus & ceremoniis, quibus Deos prosequũrur. Sed hæc ad illos ipsos vsque conseruant. cùm autem è viuis excesserint, relinquunt ranquam quædam nefaria & impia. Deorum autem notio, & fuir ab æterno, & permanet in æremum, vt cui ea ipsa quæ fiunt ferant restimonium, vr est consenraneum. Verumenimuero si vulgi & imperitorum relinquenda est opinio, credendum aurem est viris doctis & pręclaris, licer videre Poëticam nihil magnum nec pręclarum efferre, in quo non sit Deus, à quo dependet rerum quæ fiunt vis & potestas: vr apud Homerum Poëram in bello quod scripsit Græcorum & Troianorum. Licet aurem videre eriam Physicam consonare cũ Poërica. Pythagoras enim & Empedocles, & Ionici, Socratesq; & Plato & Aristoteles, & Sroici, & forrasse etiam ij qui sunt ex hortis, vt testãrur Epicuri electæ dictiones, Deum relinquunt. Quomodo ergo si quæreremus de aliquibus quæ cadunr sub aspectum, merirò iis crederemus quibus visus est acurissimus: ira considerantes de aliquibus quæ cõremplatur ratio, non aliis debemus credere, quàm iis quibus est acurum ingenium, & perspicax ratio: cuiusmodi sunt Philosophi. Sed aduersarij respondere solent ad obiectionem, quòd eriam de iis quæ esse apud inferos fertur in fabulis, habenr omnes homines communem norionem, & pro se habenr consensum Poërarum, & de his magis quàm de Diis. Sed non dixerimus ea esse vera quæ feruntur in fabulis, non intelligẽres, primùm quidem, quòd accidir vt non solùm ea quæ finguntur in fabulis, sed etiam communiter omnis fabula, contineat in se repugnantiam, & quód non potest fieri.

Poëtica nihil præclarũ edit in quo non sit Deus.

Physica Deos esse censet.

De inferis habent omnes cõmunem notionem.

Fabula continet in se repugnantiam, & impoßibilitatem.

Hom. Odyß. λ. quẽ secutus est Virgilius.

Tityi suppliciũ fabulosum.

" *Nec non & Tityon terræ omnipotentis alumnum*
" *Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus*
" *Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco*
" *Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis*
" *Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto*
" *Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.*

Ille

„ *Ille tamen manibus non se defendere tentat.*
„ *Nam Latona ab eo stuprum passa est Iouis vxor.*

Nam si Tityus quidem erat inanimus, quomodo cùm nullum haberet sensum, subibat supplicium? Sinautem habebat animam, quomodo mortem obierat? Et rursus quando dicitur,

Hom. Odyss. *Tantali fabulosum supplicium.*

„ *Tantalus est à me visus, qui sæua ferebat*
„ *Tormenta in fluuio stans, eius qui propè mentum*
„ *Tangebat. sitiens miser hunc captabat, at ipsum*
„ *Prendere non poterat fugientem. nec bibere illi*
„ *Concessum est, lymphæ cùm se incuruaret ad haustum.*
„ *Nam cùm captaret, solum irrorata recessit.*
„ *Pro pedibus nigra at terra apparebat, erántque*
„ *Dæmonis arentes fauces.*

Si enim nunquam gustabat humorem & alimentum, quomodo permanebat, non autem interibat egestate & penuria rerum necessariarum? Sinautē erat immortalis, quomodo est eiusmodi? pugnat enim natura immortalis cum tormentis & doloribus. nam quidquid dolet, est mortale. Sed fabula quidem sic in se continet sui confutationem. Sed non est huiusmodi de Diis concepta opinio, neque vllam suscipit repugnantiam, sed cernitur conuenire cum iis quæ fiunt. Neque enim licet animas suspicari deorsum ferri. Nā cùm sint subtiles, & non minus igneæ quàm spirituales, sua leuitate magis feruntur in loca superiora. Quinetiam per se permanent. neque, vt dicebat Epicurus, solutæ à corporibus disperguntur instar fumi. neque enim erat prius corpus quod eas secerneret: sed ipsæ erāt causæ corpori vt simul manerent: sed multo magis sibiipsis. Cùm eæ itaque fuerint extra Solis tabernaculum, habitant locum qui est sub Luna. & hinc propter puritatem aëris accipiunt maius tempus ad permanendum: & vtuntur alimento conuenienti, nempe exhalatione ex terra, vt cætera astra. nec habent in iis locis quòd eas sit dissoluturū. Si ergo permanent animæ, fiunt eædem quæ Dæmones. Si autem sunt Dæmones, dicendum est eas quoque esse Deos, earum essentiæ minimè nocente anticipata notione de iis quæ fabulosè narrantur apud inferos. Atque ea quidem quæ ex communi & consentiēte de Deo opinione sumitur ratio, est huiusmodi. Consideretur autem ea quoque quæ sumitur ex ornatu ambeuntis aëris. Eorum ergo quæ sunt essentia, inquiunt, cùm ex se sit immobilis & nulla figura prædita, debet moueri & figurari ab aliqua causa. & ideo quomodo cùm

Animæ non feruntur deorsum.
Animæ per se permanent.
Animæ aluntur exhalatione ex terra.
Animæ eadē quæ Dæmones.
Deū esse probat mundi ordo et ornatus.

conspeximus aliquod pulchrum & affabre factũ opus, desideramus eius scire artificem, vtpote quòd materia sit per se immobilis: & ideo vniuersorum contemplantes materiam moueri, esseque & formatã & ornatam, iure considerauerimus causam quæ eam mouet, variisq; & multiplicibus eam formis exornat. Probabile est autem eam non esse aliquid aliud quàm vim quandam quæ per ipsam peruasit, quomodo per nos peruadit anima. Hæc ergo vis aut est per se mobilis, aut ab alia vi mouetur. Et si ab alia quidem mouetur, fieri non potest vt moueatur altera, nisi moueatur ab alia. quod quidem est absurdũ. Est ergo vis aliqua per se mobilis, quę est diuina & æterna. Aut enim mouebitur ab æterno, aut ab aliquo tempore. Sed ab aliquo quidem tempore non mouebitur. Nulla enim erit causa vt ea moueatur ab aliquo tempore. est ergo vis æterna quæ mouet materiam, & quæ ordinatè eam deducit ad ortus & mutationes. Ea itaque est Deus. Præterea quod gignit id quod est rationis particeps & prudens, omnino rationis particeps fuerit & prudens. Vis autem de qua prius diximus, natura habet insitum vt construat homines. erit ergo rationis & prudentiæ particeps, quod quidem est diuinæ naturæ. Sunt ergo Dij. Et ex corporibus alia quidem sunt vnita: alia autem ex iis quæ compinguntur: alia autem ex distãtibus ac disiunctis. Sunt ergo vnita quidem quæ ex vno continentur habitu, vt sunt plantæ & animãtia. Ex his autem quæ compinguntur, sunt ea quæ constant ex iis quę iuxta sita sunt, & ad vnum tendunt caput, vt catenæ, & turriculæ, & naues. Ex distantibus autem, quæ sunt composita ex disiunctis & separatis, & per se subiectis, vt exercitus, & greges, & chori. Quoniam igitur mundus est corpus, aut est corpus vnitum, aut ex iis quæ compinguntur, aut ex distantibus. Sed neque ex iis quæ compinguntur, neque ex distantibus, vt ostendimus ex iis quæ in ipso per consensum accidunt. Nam in Lunæ incremento & decremento, multæ animantes terrestres & marinæ decrescunt & augentur. aquarumque refluxus & inundationes fiunt in aliquibus partibus maris. Similiter autem & in aliquo ortu & occasu stellarum, accidũt mutationes ambeuntis aëris & variæ cõuersiones, aliquando quidem in melius: aliquando verò pestilentes. ex quibus est perspicuum, quòd mundus est aliquod vnitum corpus. In iis enim quæ constant ex iis quæ compinguntur, aut quæ sunt distantia, partes minimè inter se afficiuntur per consensum. siquidem cùm in exercitu omnes fortè perierint milites, nihil ex impertitione videtur pati is qui saluus euasit. In iis autẽ quæ

Causa quæ mundũ mouet & ornat, mundum peruadit vt nos peruadit anima.

Est aliqua vis æterna quæ mouet materiam.

Diuina natura gignit homines.

Corpora quotuplicia sint.

Corpora vnita quæ sint.

Corpora compacta quæ sint.

Corpora ex distantibus & disiunctis.

Mundus est corpus vnitũ.

quæ ſunt vnita, eſt quædam affectio per conſenſum, ſiquidem ſciſſo digito totum corpus ſimul afficitur. Vnitum eſt ergo corpus etiam mundus.

In corporibus vnitis eſt affectio per conſenſum.

Sed quoniam ex vnitis corporibus alia quidem continentur à ſolo habitu, alia autem à natura, alia verò ab anima: & ab habitu quidem, vt lapides & ligna: à natura autem, vt plãtæ: ab anima autem, vt animantia: omnino mundus quoque ab aliquo ex iis continetur.

Corpora vnita continentur, vel ab habitu, vel à natura, vel ab anima.

Et à ſolo quidem habitu minimè poteſt contineri. Nam quæ ab habitu continentur, nullam mutationem ſuſcipiunt & conuerſionem quæ ſit alicuius momenti: vt ligna & lapides, ſed ſolùm eam patiuntur affectionem quæ eſt ex relaxatione & ex cõpreſsione. Mundus autem ſuſcipit magnas & magni momenti mutationes, cùm aër quidem qui ambit, ſit aliquando frigidus, aliquando verò calidus, & aliquando quidem ſiccus, aliquando verò humidus, aliquando verò aliter alteratus à motu cœleſtium. Non ergo à ſolo habitu continetur mundus. Si autem ab eo non continetur, omnino continetur à natura. Quæ enim continentur ab anima, à natura longè prius continebantur. Neceſſe eſt ergo eum contineri ab optima natura, quandoquidem omnium continet naturas. Quæ autem continet naturas omnium, eas quoque continet quæ ſunt participes rationis. Sed & quæ continet naturas participes rationis, ea eſt omnino rationis particeps. Neque enim fieri poteſt vt totum parte ſit deterius.

Mundus continetur ab optima natura, quæ eſt animata & particeps rationis.

Sed ſi eſt optima & præſtantiſsima natura quæ mundum adminiſtrat, ea eſt & intelligens & bona & immortalis. Cùm autẽ ſit eiuſmodi, eſt Deus. Sunt ergo Dij.

Deus eſt optima & præſtãtiſsima natura quæ mundum adminiſtrat.

Et ſi in terra & mari, cùm magna ſit craſſitudo, multa conſiſtunt animantia, quæ animalem & ſentientem participant facultatem, eſt longè probabilius in aëre, qui habet longè plus puritatis & ſinceritatis quàm terra & aqua, eſſe animata & mente prædita animantia.

Animantia in aëre.

Cui rei congruit, quòd Dioſcuri ſunt boni quidam Dæmones ſeruatores nauium, & quod ſcriptum eſt,

Dioſcuri boni Dæmones ſeruatores nauium.

„ *In tellure alma ter nam ſunt millia dona,*
„ *Quæ ſeruant homines, nec ſunt obnoxia morti.*

Sed ſi eſt probabile animantes eſſe in aëre, eſt omnino conſentaneũ in æthere quoque eſſe naturam animantium. Vnde etiam ſunt homines intelligẽdi facultatis participes, vt qui illinc eam hauſerint.

Animãtia ſunt in æthere.

Cùm ſint autem ætherea animantia, & videantur terreſtribus longè antecellere, quòd in ea nõ cadat nec interitus nec ortus, dabitur quoque eſſe Deos qui hac in re non differunt.

In æthere ſunt Dij.

Cleanthes autem ſic rogabat, Si eſt natura natura melior ac præſtantior, erit etiam aliqua optima

Si animal aliquod est animalium præstantissimum, id sit Deus necesse est, secundum Cleanthem.

ac præstãtissima natura. Et si ergo est animal animali melius & præstantius, erit aliquod animal optimum & præstantissimum. ea enim suapte natura non cadunt in infinitum, vt neque natura poterat in infinitũ augeri in melius, nec anima, nec animal. Atqui animal est animali præstantius, vt equus testudine, & taurus asino: omnibus autem terrestribus animantibus, & corporis & animæ affectione homo est melior ac præstantior. erit ergo animal optimum & præstantissimũ. Non potest autem homo esse animal præstantissimum & optimum. vt iam per vitium ingreditur, si non omni, plurimo quidem certè tẽpore. Nam si aliquando consequatur virtutem, serò & in vitæ occasu eam consequitur. estque caducum & imbecillum, & quamplurimis egens auxiliis & adminiculis, nempe alimento & vestimento, & aliis quæ sunt necessaria ad gerendam curam corporis, quod instar alicuius sæui tyranni nobis præest, & quotidianum tributum exigit, morbosque & mortem minitatur, nisi exhibuerimus quo se lauet, & vngat, amiciat & nutriat. Quamobrem neque perfectum animal est homo, sed imperfectum & à perfecto multùm separatum. Quod autem est perfectum optimumque ac præstantissimum, est quidem homine melius ac præstantius, & omnibus virtutibus absolutũ & consummatum, & in quod nullum malum potest cadere. Hoc autem à Deo non differet. Est ergo Deus. Et sic quidem Cleanthes. Rogauit quoque Socraticus Xenophon orationem ad probandum esse Deos, Socrati tribuens probationem quærenti apud Aristodemum

Mundum esse animatum, & intelligentia præditũ, & ideò Deum, quomodo probet Xenophon.

» his verbis: Dic mihi, ô Aristodeme, sunt ne quos habuisti in admiratione propter sapientiam? Certè, inquit. Quinam sunt isti? Propter Poëticam quidem Homerum habui in admiratione: propter artem autem statuariam, Polycletum: propter picturam verò, Zeuxim. An non autem eos probas ac commendas, propterea quòd quæ sunt ab eis constructa, excellenter & affabrè sint fabricata? Maximè, inquit. Si ergo Polycleti statua fieret animata, an non longè amplius probares artificem? Certè. Videns ergo statuam quidem, diceres eam ab aliquo artifice fabrefactam: videns autem hominem & rectè moueri, & corpore pulchrè esse exornatum, an nõ existimas esse fabrefactum ab aliqua excellenti intelligentia? Deinde autem videns posituram & vsum partium, primùm quidem quoniam erectum fecit hominem, dedit illi oculos, vt videret quæ sunt aspectabilia: auditum autem, vt audiret audibilia: odoratus autem quisnam esset vsus, nisi addidisset nares? & saporum similiter, nisi effecta esset lingua quæ

eos

„ cos agnoſceret ac diſcerneret? idq́ue cùm ſcias, quòd terræ in cor- „ pore exiguam habes partem, cùm ea ſit ampla ac lata, & parum hu- „ moris, cùm is ſit plurimus, ignisq́ue & aëris ſimiliter. Mentem autem, cũ nuſquam eſſet, vndénam fortunate videris arripuiſſe? Atque talis quidem eſt oratio Xenophontis, quæ vim habet inducentẽ hoc modo, quòd cùm terræ plurimum ſit in mundo, eius modicam habes partem. Eſt ergo mundus mente præditus & intelligẽs, & ideo Deus. Detorquent autem quidem comparando orationem, mutantes eius propoſitiones, & dicunt. Cùm ſit plurimum terræ in mundo, eius paruam habes partem. Sed & cùm multus humor ſit in mundo, eius paruam habes partem, & etiam aëris & ignis. Ergo & cùm multa ſit bilis in mundo, eius modicam habes partem, & phlegmatis & ſanguinis. Hinc ſequetur quòd mundus quoque ſit bilis efficiens, & procreator ſanguinis. quod quidem eſt abſurdum. Illi verò reſpondent & dicunt comparationem eſſe diſſimilem ei quod dicit Xenophon. Nam ille quidem quæſtionem agitat in ſimplicibus & primis corporibus, vtpote terra & aqua, aëreq́ue & igne. Illi autem vtentes comparatione, tranſilierunt ad ea quæ ſunt concreta. Bilis enim & ſanguis & omnis humor qui eſt in corporibus, non eſt primum & ſimplex, ſed conſtans & compoſitum ex primis & elementaribus corporibus. Licet autem ſic quoque eandem rogare orationem: Si non eſſet in mundo aliquid terreſtre, nec aliquid terreſtre eſſet in te. & ſi in mundo non eſſet aliquid humidum, nec in te eſſet aliquid humidi. & ſimiliter in aëre & igne. Ergo & ſi non eſſet aliqua mens in mundo, neque vlla mens in te eſſet. Eſt autẽ in te mens aliqua. ergo eſt etiam in mundo. Et ideo mundus eſt mente & intelligentia præditus. Cùm ſit autem mente & intelligentia præditus, eſt etiam Deus. Eandem autem vim habet etiam quæ hoc modo ſe habet oratio: Num ſi videris effigiem pulchrè & affabre factam, dubitaueris an mens hoc effecerit artifex, an nec te tenueris quò minus tale quid ſuſpiceris, adeò vt admireris operis & artis excellentiam? Num ergo externam huius videns figuram, fers teſtimonium ei qui condidit, & dicis eſſe aliquem opificem: in te autem videns imaginem quæ tam variis modis cuiuis antecellit imagini & picturæ, cùm ea cadat ſub intelligentiam, caſu eam exiſtimas eſſe factam, non autem ab aliquo opifice qui præſtantem vim habet & ſapientiam, qui non alibi verſatur quàm in mundo eum adminiſtrans, & quæ in eo ſunt gignens & augens? Is autem eſt Deus. Sunt ergo Dij. Zeno autem

Mẽtem homo nõ haberet, niſi mundus eſſet mente præditus.

Deus cognoſcitur ex ea quæ eſt in homine imagine.

tem Cittieus, à Xenophonte accepta occasione, sic interrogat: Quod emittit semen eius quod est particeps rationis, est ipsum quoque rationis particeps. Mundus autem emittit semen eius quod est particeps rationis. est ergo mundus rationis particeps. Cùm quo simul infertur eius quoque essentia. Est autem interrogationis euidēs probabilitas. Cuiusuis enim naturæ & animæ principium motus, videtur oriri ab ea facultate quę tenet principatum in anima. & omnes quæ ad totius partes emittuntur facultates, emittuntur ex præcipua facultate animæ tanquam ab aliquo fonte. Quo fit vt omnis vis & facultas quæ est in parte, sit etiam in toto, propterea quòd distribuatur à præcipua quæ est in ipsa facultate. Vnde qualis est pars facultate, tale longè prius est totum. Et ideo si mundus emittit semen animalis ratione præditi, non sicut hominem æstu quodam & feruore: sed quatenus continet semina animalium præditorum ratione, continet vniuersum. Non vt dixerimus vineam continere acinos, hoc est per circunscriptionem, sed quia seminariæ rationes animantium participum rationis in eo continentur. Quo fit vt sit tale id quod dicitur: Mundus continet seminarias rationes animalium participum rationis. est ergo mundus particeps rationis. Et rursus dicit Zeno: Si quod est particeps rationis, est melius ac præstantius eo quod est illius expers: est ergo mundus particeps rationis. Et similiter in eo quod est mente præditum, & in eo quod est inanimum. Nam quod est mente præditum, est melius ac præstantius eo quod non est prędítum. & animatum est inanimo melius ac præstantius. Nihil est autem mundo melius ac præstantius. Mente ergo præditus & animatus est mundus. Est autem apud Platonem quoque eiusmodi potestate oratio, eo scribente his verbis: Dicamus quámnam ob causam ortum & hanc vniuersitatē condiderit qui condidit. Bonus erat. Bono autem inest nulla de vlla re inuidia. Cùm autē esset ab ea remotus, omnia maximè voluit sibi fieri similia. Hoc autem ortus & mundi præcipuum principium accipiens à viris prudentibus rectissimè acceperis. Deinde cùm pauca subiunxisset, infert dicens: Propter hanc autem considerationem, mentem quidem in anima, animam verò in corpore constituens, vniuersitatem est fabricatus, efficiens vt optimum & præstantissimum opus esset secundum naturam pulcherrimum. Ratione ergo probabili & verisimili dicendum est hunc mundum esse animal animatum, & re vera mente præditum, propterea quòd factus sit Dei prouidentia. Vi autem ac potestate eandē quam

Mundus cōtinens seminarias rationes animalium ratione præditorum, est particeps rationis.

Plato in Timæo.

Mundus animal animatum secundum Platonem.

quam Zeno protulit orationem. Hic enim dicit vniuersum esse pulcherrimum opus effectum secundum naturam, & probabili ac verisimili ratione esse animal, animatum,& intelligentia ac ratione præditum. Sed Alexinus quidem cum Zenone comparando conflictabatur hoc modo: Poëticum est melius ac præstantius non poëtico, & grammaticum non grammatico. & quod consideratur conueniẽter aliis artibus, est melius ac præstantius eo quod non est huiusmodi. Poëticum ergo & grammaticum est mundus. Cui comparationi occurrentes dicunt Stoici, quòd Zeno accepit id quod est omnino melius ac præstantius, nempe rationis particeps, eo quod est expers rationis: & intelligentia præditum eo quod non est præditum: & animatum inanimo. Non ita autem Alexinus. Non enim est omnino poëticum melius ac præstantius non poëtico: & grammaticum non grãmatico. quo fit vt in orationibus magna cernatur differẽtia. Ecce enim Archilochus cùm sit poëticus, non est melior ac præstãtior Socrate non poëtico: & Aristarchus cùm sit grammaticus, non est melior ac præstantior Platone non grammatico. Præterea à mundi quoque motu conantur probare quòd sint Dij,& Stoici, & qui cum iis consentiunt. Quòd enim moueatur mundus, cõfitebitur quilibet ad hoc inductus. Aut ergo mouetur à natura, aut suo arbitratu, aut vertigine ac necessitate. Sed à vertigine quidem & necessitate non est consentaneum. Aut enim est ordinata vertigo aut inordinata. Et si est quidem inordinata, non poterit aliquid mouere ordinatè. Si quid autem mouetur cum ordine & consensu,erit diuina. Nunquam enim totum moueret ordinatè & salutariter, si non esset mente prædita & diuina. Si sit autẽ eiusmodi,non erit amplius vertigo. ea enim res est inflexibilis & breuis temporis. Quamobrem à necessitate & vertigine moueri non potest mundus, vt dicebat Democritus. Sed neque natura quæ cadit sub visionem, quandoquidem intelligens menteque prædita natura, est ea melior. cernuntur autem huiusmodi naturæ contineri in mundo. Necesse est ergo eam quoque naturam habere mente præditam & intelligentem, à qua mouetur ordinatè, quæ certè est Deus. Ea quidem certè quæ sua sponte mouentur opera,sunt magis admirabilia quàm ea quæ non sunt huiusmodi. Archimedis quidem certè sphæram contemplantes valde obstupescimus, in qua mouetur Sol & Luna & reliqua astra,non ligna admirantes,nec eorum motum,sed artificem & causas quæ mouẽt. Vnde quò quæ sentiunt sunt magis admirabilia iis quæ nõ sentiunt,eo sunt magis

Alexini cum Zenone conflictatio de mundo ratione prædito.

Deum esse, à mundi motu probant Stoici.

Opera quæ sua sponte mouẽtur, sunt magis admirabilia quàm ea quæ non sponte mouentur.

Archimedis sphæra.

Rerum admirabilium causa est magis admirabilis.

magis admirabiles causæ quæ ea mouent. Quoniam enim equus est arbore ac planta magis admirabilis: & causa quæ mouet equum, est magis admirabilis quàm causa plantæ: & quoniam elephantus est equo magis admirabilis, causa quoque quæ mouet elephantum, tantam molem portans, est equi causa admirabilior. His autem omnibus, summa ratione, Solis quoque & Lunæ & stellarum, & ante ea, mundi natura, quæ est etiã eorum causa, est admirabilior. Nam partis quidem causa non extenditur ad totum, nec est eius causa. Causa autem totius extenditur ad partes. Quamobrem est magis admirabilis quàm causa partis. Quare cùm mundi natura sit causa totius mundi ornatus & dispositionis, erit etiam causa partium. Quod si ita est, ea est optima ac præstantissima. Si est autem optima ac præstantissima, est ratione & mente prædita. Præterea est etiam æterna. Ea autem natura est eadem quæ Deus. Est ergo Deus. Ad hæc accedit, quòd in omni corpore quod multas habet partes & regitur secundũ naturam, est aliquid quod dominatur. Qua ratione in nobis quidem in corde id esse censetur, aut in cerebro, aut in aliqua alia parte. In arboribus autem & plantis non itidem: sed in nonnullis quidem in radicibus, in aliis autem in coma, in aliis autem in ligni corde seu medulla. Quamobrem cùm mundus regatur à natura, vt qui constet ex multis partibus, est aliquid in eo quod dominatur, & quod incipit motum. Fieri autem non potest vt sit aliquid eiusmodi, nisi rerum quæ sunt natura, quæ quidem est Deus. Est ergo Deus. Sed dicent forte aliqui, quòd hac ratione cõtingit vt terra maximè principatum obtineat & dominetur in mundo: & aër magis obtineat principatum & dominetur. nam absque eo fieri non potest vt constet mundus. Quamobrẽ & terram & aërem dicemus esse Deum. quod quidem est stultum, ac perinde ac si dicas murum maximè dominari & principatum obtinere in domo. absque eo enim fieri non posse vt consistat domus. Quomodo enim hic re vera fieri non potest vt absque muro consistat domus, non tamen præstat & est melior domus eius domino: ita etiam in mundo fieri quidem non potest vt absque terra & aëre constet vniuersitas, ea tamen non sunt præstantiora natura quæ mundum regit & administrat, quæ quidem non differt à Deo. Est ergo Deus. Atque huiusmodi quidem est genus orationũ.

Mundi causa est cæteris magis admirabilis.

In corpore quod regitur secundum naturam, est aliquid quod dominatur.

Deinceps autẽ consideremus etiam modum absurdorum quæ sequuntur apud eos qui Deos tollunt de medio. Nam si non sunt Dij, ne religio quidem est solùm ex virtutibus. Est enim religio, scientia cultus

Si Dij nõ sint, non est religio.

cultus Deorum. eorum autem quæ non ſunt, nullus poteſt eſſe cultus. Vnde eius nulla erit ſcientia. & vt fieri non poteſt vt Hippocentaurorum colendorum vlla ſit ſcientia, cùm non ſint Hippocentauri: ita nec colendorum Deorum vlla erit ſciẽtia ſi non ſint Dij. Quamobrem ſi non ſint Dij, non eſt religio. Eſt autem religio. dicendum eſt ergo Deos eſſe. Et rurſus ſi non ſunt Dij, non eſt ſanctitas, vt quę ſit iuſtitia aduerſus Deos. Eſt autem ex communi omnium hominũ ancicipata notione ſanctitas, quatenus eſt etiam aliquid ſanctum. eſt ergo Deus. Quòd ſi non ſunt Dij, tollitur ſapientia rerum diuinarũ & humanarum ſcientia. Et quomodo nulla eſt ſcientia rerum humanarum & Hippocentaurearum, propterea quòd ſunt quidem homines, non ſunt autem Hippocentauri: ita nulla erit ſcientia rerum diuinarum & humanarum, ſi ſint Dii, nõ ſint autem homines. Abſurdum eſt autem dicere non eſſe ſapientiam: abſurdum eſt ergo etiam cenſere Deos non eſſe. Præterea ſi iuſtitia eſt introducta ex hominum inter ſe & cum Diis coniunctione, ſi non ſunt Dii, neque conſiſtet iuſtitia. quod quidem eſt abſurdum. Atque Pythagoras quidem & Empedocles & Italicorum Philoſophorum caterua, dicunt non ſolùm eſſe nobis inter nos aliquam & cum Diis coniunctionem, ſed etiam cum brutis animantibus. Eſt enim vnus ſpiritus, qui inſtar animæ totum mundum peruadit, & nos illis vnit. Quamobrẽ & ea occidentes, & earum carnibus nos alentes, iniuriam faciemus, & nos impiè geremus, vt qui cognatos interimamus. Hinc ſuadebant hi Philoſophi abſtinere ab animatis, & impios eſſe dicebant homines, qui

Si non ſunt Dii, non eſt ſanctitas.

Si nõ ſunt Dij, tollitur ſapientia.

Si nõ ſunt Dij, nõ eſt iuſtitia.

Cum brutis eſt nobis aliqua cõiunctio.

Animalia nõ occidenda nec ſacrificanda.

„ *Rubra Deûm calida faciunt altaria cæde.* Empedocles.

Et alicubi dicit Empedocles:

„ *Non deſiſtetis crudelem admittere cædem?*
„ *Pulchrûm ne afflicta ſic vos diſcerpere mente.*
„ *Inter vos, forma mutatâ namque parentes*
„ *Charos occidunt natos permulta precati.*
„ *Stulti. aliique Ioui facientes ſacra precantur.*
„ *Aſt alius non exauditus in ædibus iſtum*
„ *Occidit clamans, miſeras epulaſque parauit.*
„ *Atque pater nati crudeli cæde perempti,*
„ *Et matrum nati carnes in viſcera condunt.*

Hæc quidem ſuadebant Pythagorei errantes. Non enim ſi eſt ſpiritus per nos & illos peruadens, protinus eſt nobis aliqua iuſtitia cum brutis

Iuſtitia nõ intercedit nobis cum brutis, vt neque cũ plantis.

brutis animantibus. Ecce enim & per lapides & per plantas peruadit quidem ſpiritus, adeò vt nos ipſis vniamur: nullum tamen nobis ius intercedit cum plantis & lapidibus. Sed nec iniuriã facimus eiuſmodi corpora ſcindentes & ferra diſſecantes. Quid eſt ergo, inquiũt Stoici, homines habere iuſtitiam aliquam & coniunctionem inter ſe & cum Diis? Non quatenus eſt ſpiritus qui omnia permeat, quoniã conſeruaretur nobis ius aliquod etiam cum brutis: ſed quoniam habemus rationẽ quæ inter nos & ad Deos porrigitur. cuius cùm bruta nullam habeant partem, nullum ius poſſunt habere nobiſcum. Quamobrem ſi intelligitur iuſtitia ex quadã hominum inter ſe coniunctione, & hominum cum Diis, oportebit, ſi non ſunt Dii, ne eſſe quidem iuſtitiam. Eſt autem iuſtitia. dicendum eſt ergo eſſe Deos.

Iuſtitiam homines habere cum Diis quid ſit.

Ad hæc accedit, quòd ſi non ſunt Dii, nec eſt diuinatio, quæ eſt ſcientia contemplans & interpretans ſigna quæ à Diis dantur hominibus, ſed nec quæ ex diuino fit afflatu, nec quæ ex aſtris, nec quę ex oratione, nec quæ ex ſomniis fit prædictio. Abſurdum eſt autem rerum tantam tollere multitudinem quæ iam creditur apud omnes homines. Sunt ergo Dii.

Si nõ ſunt Dij, non eſt diuinatio.

Zeno autem hanc quoq; rogabat orationem: Deos iure quiſpiam honorauerit. Sunt ergo Dij. Cuius orationis ſimilitudini congruenter quidem dicunt: Sapientes iure quiſpiam honorauerit. Qui autem non ſunt, iure non honorauerit. Sunt ergo ſapientes. Quod quidem non placuit Stoicis, cùm ex eorum ſententia hactenus inueniri non potuerit ſapiens. Adductæ autem ſimilitudini occurrens Diogenes Babylonius, dicit ſecundam propoſitionẽ orationis Zenonis talem eſſe poteſtate: Eos autem quibus non eſt innatum vt ſint, non iure quiſpiam honorauerit. Nam ſi hoc ſumatur, eſt perſpicuum quòd ſunt Dij natura. Si autem hoc eſt, iam ſunt. Nam ſi ſemel aliquando fuerunt, nunc quoque ſunt. vt ſi fuerunt atomi, nunc quoque ſunt. in eos enim non cadit ortus & interitus conuenienter notioni corporum. & ideo illationem colliget oratio. Sapientes autem, non, quoniam eis innatum eſt vt ſint, iam ſunt etiam. Alij autem dicunt primam Zenonis propoſitionem, nempe, Deos iure quiſpiam honorauerit, veram eſſe: alteram autem non itidem. Sumi autem primam. quod quidem erit falſum in ſapientibus. Atque hæ quidem ſunt, & huiuſmodi, quæ & apud Stoicos, & eos qui ſunt aliarum ſectarum, adducuntur rationes ad probãdum quòd ſint Dij.

Ab honore qui Diis exhibetur, probatur eſſe Deos.

Quòd autem nec propterea deſint paris momenti ad perſuadendum rationes, iis qui dicunt non eſſe Deos, proximè eſt oſtendendum. Si

quidem

quidem ſunt Dii, ſunt animalia, & qua ratione docebant Stoici quòd mũdus eſt animal, eadẽ vtens probabis quòd Deus eſt animal. Animal enim eſt melius ac præſtantius non animali. Nihil eſt autẽ Deo melius ac præſtantius. Deus ergo eſt animal, ſi ſimul ſumatur cum hac ratione & communis hominum notio, ſiquidem & vulgus & Poëtæ & præſtantiſsimorum Philoſophorum caterua, adteſtatur Deum eſſe animal. Quo fit vt conſeruetur conſequentia. Si enim ſunt Dii, ſunt animalia. Si ſunt autem animalia, ſentiunt. Omne enim animal ex participatione ſenſus intelligitur animal. Si autẽ ſentiunt, amarore afficiuntur & dulcedine. Non enim per alium quidem ſenſum apprehendunt ſenſilia, & non etiam per guſtum. Vnde eum à Deo amputare, aut vllum, vt ſemel dicam, ſenſum, eſt planè nõ probabile. Plures enim habens ſenſus eis melius vtetur homo, cùm magis oporteat, vt dicebat Carneades, cum omnibus qui ſunt quinque ſenſibus, alios quoque plures ei tribuere, vt poſſit res plures apprehendere, non autem quinque auferre. Dicendum eſt ergo Deum habere aliquem guſtum, & per eum apprehendere quæ ſunt guſtabilia. Sed ſi per guſtum apprehẽdit, etiam amarore afficitur & dulcedine. Dulcedine autem & amarore affectus, aliquibus delectabitur & offendetur. Aliquibus autem offenſus erit etiam capax moleſtiæ, & mutationis in deterius. Quod ſi ita eſt, in eum quoque cadit interitus. Quamobrem ſi ſunt Dii, in eos cadit interitus. Non ſunt ergo Dii. Et ſi eſt quidẽ Deus, eſt animal. Si eſt animal, ſentit etiam. Animal enim à non animali non aliquo alio differt quàm eo quod eſt ſentire. Si autẽ ſentit: & audit, & videt, & odoratur, & tangit. Quod ſi ita eſt, ſunt quædam in vnoquoque ſenſu quæ ipſum ſibi familiaritate coniungunt & alienant: vt in viſu quidem, quæ cum eo habent ſymmetriam ac proportionem, & non aliter. In auditu autem voces modulatæ ac numeroſæ, & non quæ aliter ſe habent. Similiter autẽ in aliis quoque ſenſibus. Quod ſi ita eſt, ſunt quædam Deo moleſta. Et ſi ſunt aliqua Deo moleſta, exiſtit Deus in mutatione ad id quod eſt deterius. Quamobrẽ exiſtit etiam in interitu. In Deum ergo cadit interitus. Hoc autem eſt præter communem eius notionẽ. Non eſt ergo Deus. Licet autem in vno quoque ſenſu efficacius componere orationem, vtpote in viſu, Nam ſi eſt Deus, eſt animal. Si eſt animal, totus videt.

Deus eſt animal.

Dij ſenſibus ſunt prædit.

In Deos cadit interitus, non ſunt ergo Dij.

Si Dij ſentiũt, quot ſequũtur abſurda in vnoquoque ſenſu.

,, *Totus namque videt, totus mens, totus & audit.* Si autẽ videt, & alba videt & nigra. Sed quoniam album quidẽ eſt quod diſpergit ac

disgregat visum, nigrum autem quod congregat ac confundit, Deus visum congregat & confundit. Si autē est capax discretionis & confusionis, est etiam capax interitus. Si est autem, in Deum cadit interitus. In Deum autē non cadit interitus. Non est ergo Deus. Quinetiā

Sensus est alteratio.

sensus est alteratio. Fieri enim nō potest vt quod per sensum aliquid apprehendit, non alteretur, sed ita afficiatur vt afficiebatur ante apprehensionem. Si ergo Deus sentit, & alteratur. Si autem alteratur, est capax alterationis & mutationis. Si est autem capax mutationis, est etiam omnino capax mutationis in deterius. Quod si ita est, in eū etiam cadit interitus. Est autem absurdum dicere in Deum cadere interitum. Est ergo etiam absurdum censere eum esse. Ad hæc accedit, quòd si est Deus, aut est finitus, aut infinitus. Et infinitus quidem

Deus non est infinitus.
Infinitum nō mouetur.
Quod mouetur, non est infinitum.
Infinitum est inanimum.

esse non potest: esset enim & immobilis & inanimus. Si enim mouetur infinitum, transit à loco in alium. Transiens autem à loco in locum, est in loco. Cùm sit autem in loco, est finitum. Si est ergo aliquid infinitum, est immobile. aut si mouetur, non est infinitum. Similiter autem est etiam & inanimum. Si enim continetur ab anima, omnino continetur motum à mediis ad fines, & à finibus ad media. In infinito autem nullum est medium neque finis. Quare nec infinitum est animatum. Et ideo si Deus est infinitus, neque mouetur, neque est animatus. Deus autem mouetur, & censetur esse particeps

Deus non est finitus.
Totum est sua parte melius.

animationis. Non est ergo Deus infinitus. Sed nec finitus. Nā quoniam finitum est pars infiniti: totum autem est parte melius ac præstantius: perspicuum est quòd infinitum erit Deo melius ac præstantius, & in diuinam naturam obtinebit dominatum. Absurdum est autem dicere Deo esse aliquid melius ac præstantius, & obtinere dominatum in diuinam naturam. Ergo nec Deus est finitus. Sed si nec

Si Deus non est finitus nec infinitus, nō est Deus.
Deus non est res incorporea.
Deus non est corpus.
In Deum cadent virtutes omnes.

est finitus nec infinitus, & præter hæc non potest tertium intelligi, nihil erit Deus. Quinetiam si est Deus, aut est corpus, aut res incorporea. Sed neque res est incorporea. nam res incorporea erit inanima, & insensilis, & quę nihil valet agere. Neque corpus. nam omne corpus est mutabile, & in id cadit interitus. In Deum autem non cadit interitus. Non est ergo Deus. Si est quidem certè Deus, omnino est etiam animal. Si est autem animal, omnino est & omni virtute præditum, & felix ac beatum. Beatitudo autem absque virtute non potest consistere. Si est autem omni virtute præditus, omnes etiam habet virtutes. Sed non omnes habet virtutes, & non habet etiam continentiam & fortitudinem. Non autem has quidem habet virtu-

tes.

tes. Et non ſunt aliqua à quibus ſe difficiliter abſtinere & continere poſſit Deus. Eſt enim continentia virtus quæ ſuperari nōn poteſt, eorum quæ fiunt ex recta ratione. aut eſt virtus, quæ nos reddit ſuperiores iis quæ videntur eſſe huiuſmodi vt difficiliter ab iis poſſit abſtineri. Continens eſt enim, inquiunt, non qui à moribunda vetula abſtinet: ſed qui cùm Laide & Phryne poſſit frui, ſe abſtinet. Fortitudo autem ſeu tolerantia, eſt ſcientia eorum quæ ſunt ſuſtinenda & non ſuſtinenda, virtus, inquam, quæ nos reddit ſuperiores iis quæ videntur eſſe toleratu difficilia. Vtitur enim fortitudine ac tolerantia qui ſecatur & vritur, idque fert forti & magno animo, non autem qui bibit mulſum. Erunt ergo quædam quæ à Deo difficiliter poterunt tolerari, & à quibus is difficiliter ſe abſtinebit. Nā ſi non erunt, non habebit has virtutes, nempe continentiam & fortitudinem ac tolerantiam. Si autem has non habet virtutes, quoniam inter virtutem & vitium nihil intercedit, habebit vitia quæ aduerſantur virtutibus, vtpote mollitiem & intemperantiam. Quomodo enim qui non habet ſanitatem, habet morbum, ita qui non habet continentiam & fortitudinem, eſt in vitiis quæ ipſis aduerſantur. quod quidem in Deo dici eſt abſurdum. Si ſunt autem aliqua à quibus difficiliter abſtinere, & quæ non facilè ferre poteſt Deus, ſunt etiam quædam quæ eum mouent in deterius, & quæ ei moleſtiam afferunt. Sed ſi ita eſt, Deus eſt capax moleſtiæ ac perturbationis & mutationis in deterius. & ideo etiam interitus. Quamobrē ſi eſt Deus, in eum cadit interitus. Non autem ſecūdum: nec ergo primum. Ad ea autem quæ ſunt propoſita accedit, quòd ſi Deus eſt omni virtute præditus, habet etiam magni & excelſi animi virtutem ſeu fortitudinem. Si eam autem habet, habet ſcientiam eorum quæ ſunt grauia ac difficilia, & eorum quæ non ſunt, & eorum quæ ſunt intermedia. Et ſi ita eſt, eſt aliquid Deo graue ac difficile. Neque enim propterea quiſquam eſt vir fortis magnique & excelſi animi, quòd ſciat quænam ſunt proximo grauia ac difficilia, ſed quæ ſibi. quæ quidem non poſſunt commutari cum iis quæ ſunt proximo grauia ac difficilia. Quare cùm ſit Deus fortis magnique & excelſi animi, eſt ei aliquid graue ac difficile. Si eſt Deo aliquid graue ac difficile, eſt aliquid quòd Deo afferat moleſtiam. Quòd ſi hoc, eſt etiam quod afferat interitum. Quo fit vt ſi eſt Deus, in eum cadat interitus. In eum autem non cadit interitus: non eſt ergo. Præterea ſi eſt Deus omni virtute præditus, habet ſublimem & erectum animum. Si eſt autem ſublimi & erecto animo, habet

Continentia quid ſit.

Continens quis dicatur.

Fortitudo quid ſit.

Si in Deum cadant virtutes, quot ſequātur abſurda.

Vir fortis ſcit quæ ſunt ſibi grauia, nō autem proximo.

habet ſcientiã quæ efficit vt extollatur ſupta ea quæ accidunt. Quod ſi ita eſt, ſunt quædam quæ ei accidunt moleſta. & ita in eum cadet interitus. Non eſt autem hoc: neque ergo quod ab initio. Præterea ſi habet Deus omnes virtutes, habet etiam prudentiam. Si prudentiam, habet etiam ſcientiam bonorum & malorum, & eorum quæ vocant indifferentia. Si eorum autem habet ſcientiam, nouit quænam ſunt bona & mala & indifferentia. Quoniam autem labor eſt etiam indifferentium, nouit etiam laborem, & cuiuſmodi ſit ſecundum naturam. Quòd ſi hoc, etiam in ipſum incidit. Nam ſi non incidiſſet, non habuiſſet eius notionem. Sed quomodo qui in album & nigrum colorem non incidit, proptetea quòd ſit cæcus ab ortu, non poteſt coloris habere conceptionem: ita Deus qui in laborem non incidit, non poteſt eius habere in mente notionem. Quando enim nos qui in eum ſæpe incidimus, non poſſumus apertè cognoſcete proprietatem doloris eorum qui laborant podagra, neque aliquibus eum nobis teferentibus coniicere: neque ab iis qui eum ſunt perpeſſi, congruenter audire, propterea quòd alij aliter eum intetpretantur: & aliis quidem cõſequi vt dicant eum eſſe ſimilem totmini, alij autem fractioni, alij verò punctioni: Deus quidem certè qui in nullum incidit dolorem, non poteſt doloris habere notionem: ita ſit ſanè, inquiunt, in laborem quidem non incidit, ſed incidit in voluptatem, & ex ea illius habuit notitiam. quod quidem eſt ſtultum. Nam primùm quidem fieri non poteſt, vt ſi non ſit expertus laborem aut dolorem, voluptatis accipiat notionem. Sua enim natuta conſtat voluptas ex ablatione cuiuſlibet quod dolore afficit. Deinde hoc quoque conceſſo, rurſus ſequitut vt in Deum cadat interitus. Nam ſi Deus eſt capax huiuſmodi diffuſionis, erit etiam capax mutationis in deterius. & in eum cadit interitus. Non eſt autem hoc: quate nec quod eſt ab initio. Et ſi Deus eſt præditus omni virtute, & habet prudentiam, habet etiam conſilij capiendi virtutem: quandoquidem virtus capiendi conſilij eſt prudentia in conſultationibus. Si autem habet virtutẽ capiendi conſilij, conſultat etiam. Si autem conſultat, eſt ei aliquid incertum & non manifeſtum. Nam ſi nihil eſt ei incertum, non conſultat. Si autem habet conſilij capiendi virtutem: eo quòd conſilium verſetur in aliquo incerto, vt quòd ſit quæſtio quemadmodum rectè nos geramus in rebus præſentibus: eſt autem abſurdum Deum non conſultare, neque habere virtutem capiendi conſilii, eam ergo habet, & eſt ei aliquid incertum. Si eſt autem Deo aliquid incertum, non

Doloris aliorum non poſſumus noſſe proprietatem.

Voluptatẽ nõ cognoſcit qui non eſt expertus dolorem.

Voluptas conſtat ex amotione eius quod affert dolorẽ.

εὐβουλία conſilij capiẽdi virtus non eſt in Deo.

non est aliquid quidem aliud Deo incertum, non autem & quod est huiusmodi vt an sint aliqua quæ in infinitate ei interitũ afferant. Sed si hoc est ei incertum, est omnino ex expectatione eorum quæ ei possunt afferre interitum, ex quibus erunt quoque motiones in conturbatione, & terrebitur. Si est autem in huiusmodi commotione, erit etiam capax mutationis in deterius. & ideo in eum cadet etiam interitus. Cui est consequens vt non sit omnino. Et alioqui si Deo nihil est incertum, sed ex seipso à natura omnia comprehendit, non habet artem. sed quomodo in rana aut delphino qui sunt natatiles, non dixerimus esse artem natandi: ita nec in Deo qui à natura omnia comprehẽdit, dixerimus esse artem, eo quòd ars attingat aliquid incertum, & quod ex se non comprehenditur. Sed si in Deo nõ est ars, nec in eo erit ars humanæ vitæ. Quòd si hoc ita est, neque virtus. Non habens autem virtutem, Deus non est. Et alioqui cùm sit Deus ratione præditus, si non habet virtutem, omnino habet vitium quod ei aduersatur. Non habet autem vitium quod ei aduersatur: Deus ergo habet artem, & est aliquid Deo incertum. Cui est consequens vt in eum cadat interitus, vt prius collegimus. In eum autẽ non cadit interitus: non est ergo. Et si non habet, vt admonuimus, prudentiam, neque habet temperantiam. Est enim temperantia, habitus seruans iudicia prudentiæ in iis quæ sunt eligenda & fugienda. Et alioqui si nihil erit quod Dei moueat appetitionẽ, nec sit aliquid quod Deum attrahat, quemadmodum dicemus eum esse temperantem; cùm hac ratione eius habuerimus in mente notionem? Quomodo enim columnam non dixerimus esse temperantem, eodem modo nec Deum esse temperantem dicemus. Si hæ autem ab eo auferantur virtutes, tollitur etiam iustitia, & cæteræ. Sed si Deus nullã habet virtutem, nequaquam est. Est autem antecedens: ergo est etiã desinens seu consequens. Rursus si est Deus, aut habet virtutem, aut non habet. Et si quidem non habet, Deus est malus & Cacodęmon. quod quidem est absurdum. Si autem habet, erit Deo aliquid melius ac præstãtius. Quomodo enim equi virtus est ipso equo melior ac præstantior: & hominis virtus est melior ac præstantior eo qui ipsam habet, eodem modo Dei virtus erit ipso quoque Deo melior ac præstantior. Si est autem Deo melior ac præstantior, & perspicuũ quòd cùm sit mancus ac defectus, malè habebit, & in eum cadet interitus. Sed si inter ea quidem quæ inter se aduersantur nihil est medium, in neutrum autem eorum quę aduersantur, Deus cernitur incidere,

Deus non habet artem.

Deus non habet virtutem.

Temperãtia quid sit.

Si Deus habet virtutem, erit Deo aliquid melius.

Deus nec vocalis nec mutus.

dere, dicendum est non esse Deum. Et præterea si est, aut est vocalis aut mutus. Et Deum quidem dicere esse mutum, est planè absurdum, & repugnans communibus notionibus. Sinautem est vocalis, voce vtitur, & habet instrumenta vocalia, nempe pulmonē, & asperam arteriam, & os, & linguam. hoc autem est absurdum & non procul recedens à fabulis Epicuri. Dicendum est ergo non esse Deum. Etenim si voce vtitur, colloquitur. Si autē colloquitur, omnino aliquo sermone colloquitur. Quod si ita est, cur magis vtitur Græca quàm barbara lingua? Et si Græca, cur magis Ionica quàm AEolica, aut aliqua alia? Atqui neque omnibus. Nulla ergo. Etenim si Græca vtatur, quomodo vtetur barbara, nisi quispiam eam docuerit? Nisi habeat interpretes similes iis qui apud nos possunt interpretari. Dicendum est ergo Deum non vti voce, & ideo non esse.

Deus nec est incorporeus nec corpus.

Rursus si est Deus, aut est corpus, aut res incorporea. Sed non est incorporeus propter causas quas prius diximus. Sinautem est corpus, aut est concretum ac compositum ex simplicibus elemētis, aut est corpus simplex & elementare. Et si est quidem concretum ac compositum, in ipsum cadit interitus. Quidquid enim est confectum ex coitione aliquorum, necesse est vt dissolutum intereat. Si verò est corpus simplex: aut est ignis, aut aër, aut aqua, aut terra. Quodcunque autem sit ex iis, est inanimum & expers rationis. quod quidem est absurdum. Si ergo neque compositum corpus est Deus, neque simplex: præter hæc autem nihil est: dicendum est nihil esse Deum. Atque huiusmodi quidem est genus eorum orationis.

Deos non esse soritice probat Carneades.

Rogauit autem Soriticè Carneades quoque quasdam orationes, quas eius familiaris Clitomachus conscripsit vt optimas & efficacissimas, quæ se habent hoc modo: Si Iuppiter est Deus, Neptunus quoque est Deus.

„ *Tres sumus; enixa est Saturno quos Rhea fratres:*
„ *Iuppiter, atque ego, tertius est & qui imperat Orco*
„ *Pluto. sunt in tres diuisa atque omnia partes.*
„ *Quilibet atque suum est in eis sortitus honorem.*

Quamobrem si Iuppiter est Deus, Neptunus quoque cùm sit eius frater, erit Deus. Si autem Neptunus est Deus, Achelous quoque erit Deus. Si autem Achelous, etiam Nilus. Si Nilus, & quilibet fluuius. Si quilibet fluuius, riui quoque erunt Dii. Si autem riui, etiam torrentes. Non sunt autem riui: nec Iuppiter ergo est Deus. Si autē essent Dii, Iuppiter quoq; esset Deus. Nō sunt ergo Dii. Quinetiam si Sol esset Deus, dies quoque esset Deus. Dies enim non est aliud

nisi

nisi Sol super terrã. Si autem dies est Deus, mẽsis quoque est Deus. Mensis enim constat ex diebus. Si autẽ mensis est Deus, annus quoque est Deus. Annus enim constat ex mensibus. Sed hoc non est: neque ergo quod est ab initio. Et simul etiam dicunt esse absurdum, dicere quidem diem esse Deum, auroram autem & meridiem & vesperam non esse. Si autem Diana est Dea, est etiam Triuia seu Hecate, & προθυραία, id est liminalis, & ἐπιμύλιος, id est molaris, & ἐπικλιβάνιος, id est furnaria. Sed hoc non est. ergo nec quod ab initio. Si Venerem quidem dicimus esse Deam, erit etiam Amor seu Cupido, cũ sit filius Veneris, Deus. Sed si Amor est Deus, Misericordia quoque erit Dea. Sunt enim ambo animi affectiones. & consecratur Misericordia similiter atque Cupido. Apud Athenienses quidem certè sunt quædam aræ Misericordiæ. Si autem Misericordia est Dea, Timor quoque est Deus aspectu deformissimus. Sum enim, inquit, Timor, qui sum minimè omnium pulchri particeps Deus. Si autem metus, reliquæ animi affectiones & perturbationes. Non sunt autẽ hæc: nec Venus ergo est Dea. Si autem essent Dii, Venus quoque esset Dea. Preterea si Ceres est Dea, terra quoq; est Dea. Ceres enim, inquiunt, est Δημήτηρ quasi γῆ μήτηρ, hoc est terra mater. Si terrá autẽ est Dea, etiam montes, & promontoria, & quiuis lapis erit Deus. Non est autem hoc, ergo nec quod ab initio. Alios quoque huiusmodi Soritas interrogat Carneades ad probandum non esse Deos, quorum genus ex iis quæ sunt proposita satis euasit perspicuũ. Atq; hęc quidem sunt quæ dogmatici Philosophi inter se argumentantur, ad probandum Deos esse & non esse. Hinc fit vt Sceptici suam sustineant assensionem, maximè cùm eis accesserit etiam ex communi vita de Diis inæqualitas. Nam alii quidem alias & non consentientes habent de Diis opiniones. Quo fit vt neq; omnes sint credibiles, propterea quòd inter se pugnent: neque aliquæ, propterea quòd sint paris momenti, cùm hoc quoque obsignent quæ apud Theologos & Poëtas sunt confictæ fabulæ. Sunt enim plenæ omni impietate. Hinc etiam Xenophanes refellens Homerum & Hesiodum, dicit,

Probri & dedecoris quidquid mortalibus vsquam est,
Id totum antiqui Dijs attribuêre Poëtæ,
Furtum & adulterium, inter se & fallere seipsos.

Sed cùm ex his ostenderimus, quòd ad ea quæ dogmaticè dicta sunt agentia principia sequitur vt sit sustinenda assensio; post hoc iam magis scepticè ostendamus, quod communiter dubium est & perplexum

εἰνοδία.

Aræ misericordiæ apud Athenienses.

Ceres cur dicatur Græce Δημήτηρ.

Sceptici cur de Diis suam sustineãt assensionem.

Xenophanes quid dicat de Homero & Hesiodo.

Xenophanes Antiqui Poëtæ Homerus scilicet & Hesiodus.

plexum quod dicitur de causa efficiente & de materia quæ patitur.

De causa efficiente & de eo quod patitur.

DE MOTV quidem causæ alibi disseruimus. Nunc autem contenti crassa eius intelligentia, dicimus quòd ex iis qui de ea considerarunt, alij quidem dixerunt esse aliquam alicuius causam: alii autem non esse. Alii autem non magis esse quàm non esse. Et esse quidem plurimi Dogmatici, aut omnes ferè. Non esse autem, Sophistæ, qui sustulerunt motum mutationis & transitus. Non absque eo enim cōsistit quod efficit. Non magis autem esse quàm non esse dicunt Sceptici. Quòd autem non id faciant temerè & inconsideratè, licet discere ex eorum argumētis ad vtrumque. Ducatur autem principium ab iis qui censent esse causam alicuius. Si est, inquiunt, semen, est etiā causa: quandoquidem semen est causa eorum quæ ex ipso nascuntur & gignuntur. Est autem semen, vt ostenditur ex iis quæ feruntur, & ex animalibus quæ generantur. est ergo causa. Et rursus, si est natura, est aliqua causa. est enim eorum quæ nascuntur & enata sunt causa natura: Ea est autem, vt est perspicuum ex effectibus. Esset enim, inquiunt, absurdum, si cùm ad statuarii quidem officinam accesserimus, & ex statuis alias quidem viderimus perfectas & absolutas, alias autem semiperfectas, alias autē quæ incipiunt effingi, credere quòd sit eorum aliquis artifex & opifex: in hunc autem mundum ingressi, & terram quidem cernentes in medio, post eam autem aquam, & tertio loco expansum aërem, cœlumque & stellas, lacusque & fluuios, & omne genus animantium, plantarumque & arborum varietates, non æstimemus esse etiam aliquem eorum opificij auctorem & causam. Si est ergo natura, est etiam aliqua causa. Atqui est primū: ergo & secundum. Et aliter. Si anima est aliquid, est causa. ea enim est causa & viuendi & moriendi. viuendi quidem, si adsit: moriendi autem, si separetur à corporibus. Est autem, inquiunt, anima, siquidē etiam is qui eam dicit non esse animam, ea vtens hoc pronunciat, est ergo causa. Ad hæc accedit quòd si est Deus, est causa. is enim est qui administrat vniuersitatem. est autem ex communibus hominum notionibus Deus. est ergo causa. Atque adeò etiam si non sit Deus, est causa. Quòd enim non sint Dii, fit propter aliquam causam. Ergo & ad hoc quòd sit Deus, & ad hoc quòd nō sit, ex æquo sequitur esse causam aliquam. Porrò autem cùm multa sint quæ nascuntur & intereunt, augenturque & minuuntur, mouenturque & sunt immobilia,

Causam esse probatur ex semine.

Causam esse probatur ex natura.

Causam esse probatur ex anima.

Causam esse probatur ex Deo.

Causam esse probatur, etiā si non esset Deus.

Causam esse probatur ex effectibus.

lia, necessariò fatendum est esse aliquas horum causas, alias quidem ortus ac generationis, alias verò interitus, & alias quidem augmenti, alias verò diminutionis, motus quoque & immobilitatis. Quòd si etiam non sint hi effectus, solùm autē appareant, rursus infertur quòd sint causæ. Nam quòd ea quidem nobis appareant tanquam subiecta, non sint autem, est causa aliqua. Præterea si nulla sit causa, oportebit quælibet nasci ex quolibet, & præterea in quouis loco, & quouis tempore. quod quidem est absurdum. Iam enim si nulla est causa, nihil est quod vetet quò minus homo constituatur ex equo: est ergo aliqua causa. Si nihil autem sit quod vetet, constituetur aliquando equus ex homine. & sic fortè ex equo arbor. Similiter autem fieri poterit vt nix quidem concrescat in AEgypto : siccitas autem & sudum sit in Ponto: & in hyeme quidem fiant quæ sunt æstatis: æstate autem quæ sunt hyemis. Vnde si cui est consequens aliquid quod potest fieri, erit ipsum quoque eiusmodi vt fieri possit. Quòd autem non sit causa, est ex iis quæ esse non possunt. Et qui dicit non esse causam, aut hoc dicit sine causa, aut cum aliqua causa. Et si quidem sine aliqua causa, non erit fide dignus. & simul etiam sequetur, vt non magis hoc censeat quàm quod ei aduersatur, cùm non prius sit iusta causa, propter quam dicunt non esse causam. Sin autem cum aliqua causa, subuertitur, & dicendo non esse causam aliquam, ponit esse aliquam causam. Vnde etiam eadem virtute licebit interrogare orationem quæ prius est data in signo & demonstratione, quæ hanc habebit compositionem: Si est aliqua causa, est causa. Sed & si non est aliqua causa, est causa. Aut est ergo, aut non est. Nam & ad id quod est esse causam, sequitur esse aliquam causam, consequente non differente ab antecedente. & ad id quod est nullā esse causam, rursus sequitur esse aliquā causam: quandoquidem qui nullam esse causam dicit, ab aliqua causa motus dicit nullam esse causam. Quò fit vt disiunctū, præter duo connexa, sit verū ex aduersantibus, & simul cū huiusmodi propositionibus inferatur illatio, vt superius diximus. Et hæc quidem, vt summatim dicam, cōsueuerunt dici in hanc partem apud Dogmaticos. Consequenter autem consideremus ea quoque quæ dicuntur apud eos qui sunt dubitantes. Videbuntur enim ea quoque esse paris momenti cum iis quæ exposuimus, & quod ad persuadendum attinet, ab eis non differre. Causa ergo, inquiunt, est ex iis quæ referuntur ad aliquid. est enim alicuius causa: & vt scalpellum est alicuius causa, nempe sectionis : alicui autem, nempe carni. Quod autem

Causam esse probatur ex eo quòd nō quodlibet nascatur ex quolibet.

Qui causam non esse dicit, seu cum causa, seu sine causa dicat, causam adstruit.

Causam non esse quomodo probent sceptici.

Causa est relatiuum.

Nam & quod efficit, debet tangere patientem materiam vt efficiat, & materia patiens debet tangi vt patiatur. Incorporeum autem sic nudum suam naturam non potest tangere nec tangi. Ergo nec corpus incorporei, aut corporis erit causa. Cui est consequens vt nulla sit causa. Si enim neque corpus est causa corporis neque incorporei, neque corpus incorporei, nec contrà: præter hæc autem nihil sit, necessariò ergo nulla est causa. Atqui nonnulli quidem sic simpliciter efferunt propositiones illius orationis. AEnesidemus autem diuersius in his vsus est dubitationibus quæ oriuntur de ortu seu generatione. Corpus enim non potest esse causa corporis. Nam eiusmodi corpus aut non cadit sub ortum, vt atomus ex sententia Epicuri: aut sub ortum cadit, vt mos est: & aut manifestum, vt ferrum & ignis: aut non manifestū, vt atomus. Quodcunque autem sit ex his, nihil potest efficere. Aut enim per se solum aliquid aliud efficit, aut cum alio congrediēs. Sed solum quidem per se non potuerit aliquid efficere plus quàm ipsum & propriam suam naturam, id quod non erat prius in essentia. Neque enim fieri potest vt vnum sint duo: neque duo tertium efficiunt. Si enim fieri posset vt duo essent vnum, etiam vtrunq; eorum quæ orta sunt, cùm sit vnum, duo efficiet. & vnumquodque ex quatuor, cùm sit vnum, duo efficiet. & similiter vnumquodque ex octo. & sic in infinitum. Est autem planè absurdum dicere ex vno fieri infinitum. Absurdum est ergo & ex vno dicere aliquid gigni amplius. Idem autem etiam si quispiam censeat ex paucioribus ex congressione plura effici. Si enim vnum cum vno congressum efficit tertium: etiam tertium si duobus accesserit, efficiet quartum: & quartum si tribus accesserit, efficiet quintum. & sic rursus in infinitū. Ergo corpus quidem non est causa corporis. Sed nec incorporei; propter easdem causas. Neque enim ex vno neq; ex pluribus quàm vnum plura fuerint. Et alioqui incorporeum, cùm sit quæ tangi non potest natura, neque potest facere nec pati. Quamobrem nec incorporeum est efficiens incorporei: ità nec contrà, nempe corpus incorporei, aut incorporeum corporis. Nam & corpus non habet in se naturam incorporei. & incorporeum non continet in se naturā corporis. Quamobrem fieri non potest vt alterum constet ex altero. Sed quomodo ex platano non fit equus, propterea quòd in platano non sit equi natura, nec ex equo constat homo, propterea quòd non sit in equo natura hominis: ita nec ex corpore erit vnquam incorporeum, propterea quòd non sit in corpore natura incorporei: neque

Incorporeum non est causa corporis, nec corpus incorporei.

Corpus non esse causam corporis quomodò ex generatione probet Aenesidemus.

Ex vno non fiunt duo, & sic in infinitū.

Ex vno non gignitur amplius.

Corpus nō est causa corporis.

Incorporeum non est causa incorporei.

Incorporeum non est causa corporis.

contrà

Alterum potest esse in altero, & tamen non erit alterum ex altero.

contrà corpus ex incorporeo. Quanquam etiam si sit alterum in altero, rursus non erit alterum ex altero. Si enim est vtrunque, id quod est non fit ex altero, sed iam est in essentia. Cùm autem iam sit, eo quòd sit non fit seu gignitur, propterea quòd generatio fit via ad essentiam. Neque ergo corpus est causa incorporei, aut incorporeum corporis. Cui est consequẽs nullam esse causam. Et rursus si est aliquid causa alicuius, aut manens causa est manentis: aut quod mouetur, eius quod mouetur: aut quod manet, eius quod mouetur. Sed neque quod manet, manenti potest esse causa mansionis: neque quod mouetur, causa motus ei quod mouetur: neque quod manet, ei quod mouetur causa mansionis: neque contrà, vt ostendemus. Non est ergo aliqua causa. Atque manens quidem manenti non fuerit causa mansionis: & quod mouetur, ei quod mouetur causa motus, propterea quòd non fit vlla commutatio. Nam cùm ambo ex æquo maneant, aut ambo ex æquo moueãtur, non magis hoc dicemus illi esse causam mansionis aut motus quàm illud huic. Si enim alterum quia mouetur, est alteri causa motus: quandoquidẽ alterum quoque mouetur similiter, dicetur alteri præbere motum. vt mouetur rota: mouetur autem & qui agit rotam. Quid ergo magis propter rotam mouetur, is qui mouet rotam, an contrà propter eum qui rotam mouet, rota? Nam si quidem non moueatur alterum, nec reliquum mouebitur. Vnde si est causa, quę si adsit fit effectus, quoniam si ambo adsint fit effectus, & neque si absit rota perficitur, neque si is qui agit rotã, dicendum est eum qui agit rotam non magis esse rotæ causam motus, quàm rotam ei qui eam agit. Et rursus, manet columna: manet etiam epistylion. Sed non magis propter columnam dicendum est manere epistylion, quàm columnam propter epistylion. Sublato itaque altero, alterum quoque fertur deorsum. Quamobrem id quidem quod manet, manenti, mansionis: & id quod mouetur, ei quod mouetur, propterea minimè dixerimus esse causam motus. Similiter autem neque quod manet, ei quod mouetur dixerimus esse causam motus, aut id quod mouetur, manenti causam motionis propter contrariam naturam. Quomodo enim frigidum non habens rationem calidi nunquam potest calefacere: ita neque quod mouetur non habens rationem manentis, potest vnquam esse efficiens mansionis, aut contrà. Sed si neque quod manet est manenti causa mansionis: neque quod mouetur est ei quod mouetur causa motus: neque quod manet est ei quod mouetur causa mouendi: neque quod mouetur est

Manens non est causa mansionis manẽti.

Quod mouetur, non est causa motus ei quod mouetur.

Quod manet, non est causa motus ei quod mouetur: neque quod mouetur, ei quod manet.

ei quod

ei quod manet causa manendi: præter hæc autẽ non licet aliud quidpiam cogitare: dicendum est nullam esse causam. Ad hæc accedit, quòd si aliquid est causa alicuius, aut id quod est, simul est causa eius quod est simul, aut prius posterioris, & posterius prioris. Sed neque quod est, simul est causa eius quod simul est: neque prius posterioris: neque posterius prioris, vt ostendemus. Non est ergo aliquid causa. Atque quod simul quidem est, non potest esse causa eius quod est simul, propterea quòd ambo sint simul, & non magis hoc illud quàm illud hoc generet, cùm vtrumque parem habeat essentiam. Sed neque prius erit efficiens posterioris. Si enim quando est causa, nondũ est illud cuius est causa: neque illud est vtique causa cùm non habeat id cuius est causa: neque hoc vtique est amplius effectus, si non simul cum eo adsit id cuius est effectus. vtrumque enim eorum est ex iis quæ referuntur ad aliquid. & quæ referuntur ad aliquid, oportet necessariò ea inter se simul esse: & non alterum quidem esse prius, alterum verò posterius. Restat ergo vt dicatur posterius esse causam prioris. quod quidem est absurdissimum, & eorum qui res semper subuertũt. Oportebit enim dicere effectum esse antiquiorem eo qui ipsum efficit, & ideo ne esse quidem omnino effectum, vt qui non habeat id cuius est effectus. Quomodo enim stultum est dicere, filiũ quidem esse patre antiquiorem, messem autem esse priorem sementе: ita etiam est stolidum censere aliquid quod nondum est, esse causam eius quod iam est. Sed si neq; quod simul est, est causa eius quod est simul, neque prius posterioris, neque posterius prioris: præter hæc autem nihil est: nõ erit aliquid causa. Præterea si aliquid est causa, aut absolutè ac perfectè ex se & propria solùm vtens virtute est alicuius causa: aut ad hoc opus habet patiente materia, adeò vt effectus intelligatur ex communi congressu vtriusque. Et si per se quidẽ absolutè & propria solùm vtens virtute secundum suam naturam aliquid facit, deberet perpetuò seipsum habens & propriam virtutem, semper effectum facere: & non in aliquibus quidem facere, in aliis verò esse otiosum. Si autem, vt dicunt nonnulli Dogmatici, non est ex iis quæ sunt absoluta ac ab aliis seiuncta, sed ex iis quæ referuntur ad aliquid, oportet autem ipsum quoque considerari relatum ad id quod patitur, & quod patitur ad ipsum, emerget quid deterius. Si enim intelligitur alterum relatum ad alterum, quorum quidem est efficiens, alterum verò patiens: erit quidem vna notio, habebit autẽ duo nomina, nempe & efficiens & patiens. & propterea vis agendi

Quod simul est, non potest esse causa eius quod est simul.

Prius non est efficiens causa posterioris.

Posterius non est causa prioris.

Sive causa per se & absoluta agat, siue opus habeat materia, sequuntur absurda.

Vis efficiendi non magis in faciente quàm in patiente.

& efficiendi non magis sita erit in ipso quàm in eo quod dicitur pati. Quomodo enim ipsum nihil potest efficere absque eo quod dicitur pati: ita nec quod dicitur pati, pati potest nisi id adsit. Quamobrem sequitur vt non magis in ipso quàm in patiente sita sit vis effectus efficiens: vt (erit enim apertum quod dicitur, in exemplo) si ignis est causa vstionis, aut ex se absolutè & propria solùm vtens virtute erit efficiens vstionis: aut ad hoc opus habet adiutrice materia quæ vritur. Et si ex se quidem absolutè & propria contentus natura, efficit vstionem, oporteret ipsum semper quoque propriam habens naturam, perpetuò vrere. Non autem semper vrit: sed aliqua quidẽ vrit, aliqua verò nõ vrit. Non ergo absolutè ac perfectè ex se vrit & propria vtens natura. Si autem vrit cum quadam lignorum quæ vruntur aptitudine, vndénam possumus dicere quòd ipse est causa vstionis, non autem aptitudo lignorum? Nam quomodo si ipse non adsit non fit vstio: ita etiã si absit lignorum aptitudo, non fit vstio. & ea ratione si is est causa quòd cùm is adsit fit effectus, non fit autem si absit, erit etiam propter vtrumq; eorum causa aptitudo. Quomodo ergo syllabæ Di, constantis ex D & I, ineptus quidem est qui dicit D, causam esse cur efficiatur hæc syllaba, non esse autem causam I: ita cùm vri quidem sit simile syllabæ, elemento autem ignis & ligna, absurdissimè loquitur qui dicit ignem quidem esse vrendi causam, ligna autem minimè. Neque enim euenit vt sit vstio absque igne, neque absque lignis, quomodo nec syllaba absque D & I. Quo fit rursus vt si neque per se perfectè & absolutè est causa alicuius rei efficiens, neque cum eius quod patitur aptitudine, nullius rei efficiens est causa.

Ignis non est magis causa vstionis quàm materia.

Præterea si est causa, aut vnam habet vim agendi ac efficiendi, aut multas. Sed neque vnam habet, vt ostendemus: neque multas, vt docebimus. Non est ergo aliqua causa. Nam vnam quidem vim non habet. Nam si vnam haberet, deberet omnia similiter efficere, & nõ differenter: vt, Sol quidem vrit regiones AEthiopiæ, nostras autem fouet ac recreat: illuminat autem solos Hyperboreos: & lutum quidem facit concrescere, ceram autem liquefacit: & vestimenta quidẽ dealbat, nigrefacit autem nostram superficiem, quosdam autem fructus rubefacit: & nobis quidem est causa videndi, auibus autem noctiuagis, vt noctuis & vespertilionibus, non videndi. Quamobrem si vnam vim haberet, deberet idem efficere in omnibus. Non idem autẽ efficit in omnibus. non habet ergo vnam vim. Sed neque multas. Oporteret enim omnia agere in omnia: vtpote omnia combu-

Causa non habet vnam vim efficiendi.

νυκτάγροι

Causa non habet multas vires.

rere, aut omnia fundere, aut omnia cogere ac vt concrescant efficere. Si autem neque vnam haber vim, neque mulras, non erit alicuius causa. Sed solent Dogmatici his occurrere, dicentes quòd effectus qui fiunt ex eadem causa, muranrur conuenienrer iis quæ patiuntur & interuallis: sicut quod fit à Sole. Nā cùm est quidē prope AEthiopes, videtur vrere: mediocrirer autem à nobis remotus, fouere & calefacere: longè aurem separatus ab Hyperboreis, nequaquam quidē fouet & calefacir, sed solùm illuminar. Er lutum quidem cogit facitque concrescere, aquam euaporans ex rerreno, liquefacir autem ceram, propterea quòd nō habet luti proprietatem. Qui iis quæ dicimus occurrunt, ferè nobis concedunt citra conrentionem, non esse alrerum id quod efficit, ab eo quod patitur. Si enim non propter Solem fit ceræ liquefactio, sed propter proprietatem naturæ ceræ, est perspicuum quòd ceræ non est alia causa liquefactionis. amborū autem congressus, nempe Solis & ceræ: & vtriusque congressu facienre effectum, nempe liquefactionem, cera non magis liquescit proprer Solem, quàm Sol liquefacit proprer ceram. Et sic est absurdum, effectum qui fir ex congressu duorum, non attribuere duobus, sed alreri soli adscriberé. Quinetiam si est aliquid alicuius causa, aut est separatum à materia patiente, aur est simul cum ea. Sed neque ab ea separatum potest esse causa vt ea patiatur: neque cum ea, vt ostendimus. Non est ergo aliquid causa alicuius. Er ab ipsa quidem separatum, ex se neque ipsum potest esse causa, si ea non adsir ad quam relara dicirur esse causa. neque illa patitur si non simul adsit id quod efficit. Si autem alrerum coniungitur, aur id solum efficit quod dicitur esse causa: nō autem patitur: aut simul efficir aur patitur. Et si quidem simul efficit & patitur, vtrunque erit efficiens & patiens. Nam si ipsum quidem efficit, erit materia patiens. Quatenus autem efficir materiam, erit illud patiens. & sic non magis efficiens fier efficiens quàm patiens: & patiens non magis erit patiens quàm efficiēs. quod quidem est absurdum. Si autem efficit quidem, non autem vieissim patitur, aut id facit ex solo conractu, nempe in superficie: aut ex distributione. Et extrinsecus quidem incurrens, & in sola superficie applicatum patienti materiæ, non porerit aliquid efficere. Aur enim superficies est incorporea. Incorporeum autem neque facit neque patitur. Sed neque hoc potest facere per distributionē. Aur enim permeabir per corpora solida, aur per quosdam meatus qui percipiuntur intelligentia, & sunt insensiles. Sed ferri quidem non porest per

Effectus mutantur secundū ea quæ patiuntur.

Effectus non magis fit à causa quàm à materia.

Quod est alicuius causa, à materia quæ patitur non potest separari.

corpora ſolida. Non poteſt enim corpus peruadere per corpus. Sin autem per aliquos meatus, debet efficere incurrẽs in ſuperficies quę circunſcribunt meatus. Sed ſuperficies quidem ſunt incorporeæ, & incorporeum neque efficere neque pati eſt conſentaneum. Nec ergo cauſa efficit per diſtributionẽ. cui eſt conſequens vt nec ſit ipſum omnino cauſa. Licet autem etiam ex tactu communius dubitare de eo quod efficit & patitur. Nam vt aliquid efficiat aut patiatur, debet tangere aut pati. Nihil autem poteſt tangere nec tangi, vt oſtendemus. Non eſt ergo aut quod efficiat aut quod patiatur. Si enim aliquid tangit, aut totum tangit totum, aut pars partem. Sed nec pars partem, nec totum totum, neque totum partem. Sed nec viciſſim tangit, vt docebimus. Aliquid ergo non tangit aliquid. Et ſi nihil nihil tangit: neque eſt quod patitur neque quod efficit. Atque totum quidem totum non tangere eſt rationi conſentaneum. Si enim totum tangit totum, non erit contactus, ſed vnio amborum, & duo corpora erunt vnum corpus, propterea quòd etiam in partibus quæ ſunt in profundo alterum debeat alterum tangere, eo quòd eæ quoque ſint partes totius. Sed neq; fieri poteſt vt pars partem tangat. Nam pars quidem pars intelligitur ex habitudine ac relatione ad totum: eſt autem totum ex propria circunſcriptione. Et rurſus propter eandem cauſam, aut tota pars tanget totam partem, aut pars partem. Et ſi totum quidem tangat, vnientur, & ambo vnum fient corpus. Si autem parte partem, illa rurſus pars quæ propria circunſcriptione intelligitur tota, aut tota tanget partem, aut aliqua parte aliquam partem. & ſic in infinitum. Neque ergo pars tangit partem. Sed neque totum partem. Nam ſi totum tangat partem, totum quoque quod ſimul retrahetur cũ parte, pars tanget: & pars quæ contrà extenditur cũ toto, totum. Nam quod eſt æquale parti, habet partis proportionem: & quod eſt toti æquale, habet totius proportionem. Eſt autem planè res aſpera & abrupta, aut totum facere partem, aut cenſere partẽ eſſe toti æqualem. Neque totum ergo tangit partem. Et aliter. Si totum tangit partem, erit ſeipſo minus, & rurſus ſeipſo maius. quod quidem eſt priori deterius. Totum enim ſi eundem locum occupat quem pars, erit æquale parti. Si ei autem ſit ęquale, erit ſeipſo minus. Et rurſus pars ſi ex aduerſo totius extenditur, eundem quem ipſum tenebit locum. Si eundem autem locum tenuerit quem totum, erit ſeipſo maior. Eadem autem eſt ratio etiam in conuerſione ac reciprocatione. Nam ſi totum non poteſt partem tangere, propter cau-

Tangere & tangi nihil poteſt.

Totum tangens totum, nõ contactum efficit, ſed vnionem.

Pars totum tangens illi vnitur.

ſas

ſas prius conſideratas: neque pars poterit totum tangere. Vnde ſi neque totum tangit totum, neque pars partẽ, neque totum partem, neque contrà, nihil nihil tangit. Propterea autem neque erit aliquid alicuius cauſa, ne patienti quidem ab aliquo. Ad hæc accedit, quòd ſi aliquid tangit aliquid, aut ab aliquo interceptum, vtpote meatu vel linea, tanget aliquid: aut à nullo interceptum. Et ſi intercipiatur quidem ab aliquo, non tanget id quod dicitur tangere, ſed quod inter ea intercedit. Si autem cùm nihil omnino inter ea intercedat, alterum tangit alterum, erit vtriuſque vnio, non contactus. Ergo nec hac ratione aliquid tangit aliquid. Oſtenſum eſt autem nihil nihil tangere. Dicendum eſt ergo neque eſſe efficiens nec patiens. Atq; de cauſa quidem efficiente ſic dubitatur, & ſeparatim, & communiter cum patiente. Dubitatur autẽ ſeparatim etiam de patiente. Nam ſi patitur aliquid, aut id quod eſt patitur aliquid, aut id quod non eſt. Sed neque quod eſt patitur aliquid, vt oſtendemus: neque quod non eſt, vt admonebimus. Non patitur ergo aliquid. Atque id quidem quod eſt, non patitur. Nam quatenus quidem eſt id quod eſt, & propriam habet naturam, nón patitur. Quod autem non eſt, eo quòd non ſit omnino, nequaquam patietur. Præter eſſe autem aut non eſſe nihil eſt. Non ergo patitur, vt exempli cauſa: Socrates aut cùm ſit moritur, aut cùm non ſit. Duo enim ſunt hæc tempora. vnum quidem quo eſt & viuit: alterum autem quo non eſt, ſed periit. Quamobrem vt in altero horum moriatur neceſſe eſt. Atque quando eſt quidem & viuit, non moritur. viuit enim. Mortuus autem rurſus non moritur, alioqui bis erit moriens. quod quidem eſt abſurdum. Non moritur ergo Socrates. Cuiuſmodi autem eſt in eo oratio, talis eſt etiam in patiente. Neque enim id quod eſt, pati poteſt quatenus eſt id quod eſt, & intelligitur ex ea quæ fuit ab initio ſubſtantia. Neque quod non eſt. Omnino enim nō conſiſtit. Non ergo patitur aliquid. Et adhuc clarius. Si quidem id quod eſt, patitur quando eſt id quod eſt, erunt ſimul in eodem contraria. Non ſimul autem conſiſtunt in eodem contraria. Non ergo patitur quod eſt quando eſt quod eſt: vt exempli cauſa, eſto quòd id quod eſt, ſit durum natura, & patiatur mollitum, vt cernimus in ferro. Ergo quando eſt quidem durum, & eſt id quod eſt, non poteſt molliri, vt cernimus in ferro. Nam ſi mollitur quando eſt durum, erunt ſimul in eodem contraria. & quatenus quidem conſiſtit id quod eſt, erit durum: quatenus autẽ patitur, cùm ſit id quod eſt, erit molle. Non poteſt autem idem ſimul & durum

Tangens aliquid, tāgit vel à nullo vel ab aliquo interceptum.

Pati nihil poteſt.

Moritur nemo.

& molle intelligi. Non poteſt ergo id quod eſt, pati quando eſt id quod eſt. Eadem autem ratio eſt in albo & nigro colore. Eſto ergo quòd id quod eſt, quatenus eſt id quod eſt, etiam ſit album, & patiatur dum fit nigrum. Ergo ſi id quod eſt, eſt etiam album, & tunc cenſetur pati quando eſt album, nigrum erit contraria habens accidentia. quod eſt abſurdum. Non ergo id quod eſt, quatenus eſt id quod eſt, innatum habet vt patiatur. Ad hæc accedit, quòd ſi dicamus id quod eſt, pati quando eſt id quod eſt, erit aliquid factum priuſquam factum ſit. Non ergo, quatenus eſt id quod eſt, patitur. Si enim durum eſt id quod eſt, quatenus eſt quod eſt, durum eſt & non molle. Sin autem molle, antequam factum ſit molle, erit molle. Nam quatenus quidem eſt quod eſt, durum eſt & nondum molle. Quatenus autem quando eſt quod eſt, tunc cenſetur pati, fiet molle priuſquam factum ſit molle. eſt autem hoc abſurdum. Non ergo quod eſt, quatenus eſt quod eſt, pati dicendum eſt. Similiter autem quod non eſt, quando non eſt quod eſt. ei enim quod non eſt, nihil accidit. Cui autem nihil accidit, neque accidit vt patiatur. Ergo neque quod nõ eſt, patitur aliquid. Si autem neque quod eſt, neque quod non eſt patitur aliquid: & præter hæc nihil eſt: nihil eſt quod patitur. Quinetiam ſi eſt aliquid patiens, aut patitur per additionem, aut per ablationem, aut per alterationem & mutationem. Sed nec eſt additio aliqua, neque ablatio, neque mutatio & alteratio, vt oſtendemus. Non ergo patitur aliquid. Quomodo enim in nominibus, his tribus modis fiũt quædam tranſmutationes: & à nomine quidem κώβιος ablata prima ſyllaba fit alterum nomen βίος id eſt vita: & ſi adiecta fuerit eadem ſyllaba, conſiſtit prius nomen. & ex tranſmutatione elementorum: vt nomen Archon fit Charon: ita etiam corpora dicuntur pati tribus modis, nempe aut per ablationem, aut per additionem, aut per alterationem. Per ablationem quidem, vt quę tabeſcũt. Per additionem autem, vt quæ augentur. Per mutationem, vt quæ à ſanitate ad morbos tranſeunt. Si ergo oſtenſum fuerit quòd à nullo nihil aufertur, & nulli quidquam additur, ex eo probatum erit nihil eſſe quod patitur. Dicamus autem in primis de modo per ablationem. Si enim aliquid ab aliquo aufertur, aut corpus aufertur à corpore: aut incorporeum ab incorporeo: aut corpus ab incorporeo: aut incorporeum à corpore. Sed nec corpus à corpore aufertur, vt oſtendemus: neque corpus ab incorporeo, aut incorporeum à corpore, vt probabimus. Non ergo aufertur aliquid ab aliquo. Atque fieri quidem non po-

Quidquid patitur, patitur vel per additionem, vel per ablationẽ, vel per alterationem.

κώβιος, gobius.

Ablatio nulla eſt.

teſt

teſt vt incorporeum auferatur ab incorporeo. Nam quod ab aliquo aufertur, non eſt eiuſmodi vt tangi non poſſit. Incorporeũ autem eſt eiuſmodi vt tangi non poſſit ad ablationẽ & ſeparationẽ. Vnde etiã ſtultè loquuntur Mathematici quando dicunt, Datam rectam ſecare bifariam. Recta enim quæ nobis oſtẽditur in abaco, ſenſilem habet longitudinem & latitudinem: recta autem quæ ab eis intelligitur linea, eſt longitudo expers latitudinis. & quæ in abaco oſtenditur linea, non poteſt eſſe linea:& qui eam ſecare aggrediuntur, non quæ eſt, ſed quæ non eſt, ſecant lineam. Aut etiam aliter. Quoniam, vt eſt eorum ſententia, linea intelligitur conſtans ex punctis, ſit aliqua recta linea, quam ſe dicunt ſecare in partes æquales, vt quæ conſtet ex punctis imparibus, vtpote nouem. Sed eam quidem ſecantes, aut quintum punctum diuident, eum, inquam, qui intelligitur inter quatuor: aut ex ſegmentis, aliud quidẽ facient quatuor punctorum, aliud verò quinque. Atque quintum quidem punctum ſe non ſecare dixerint. ex eorum enim ſentẽtia caret partibus. Quod caret autem partibus, non poteſt in partes diuidi. Reſtat ergo vt ex ſegmentis lineæ faciant aliud quidem punctorum quatuor, aliud verò quinque. quod rurſus eſt abſurdum, & præter eorum propoſitum. Nam pollicentur quidem ſe datam rectam lineam ex ſcientia in partes æquales diuidere: diuidunt autem in inæquales. Eadem autem ratio intelligatur etiam in circulo. Dicunt enim circulum eſſe figuram planam, quæ continetur ab vna linea, à qua omnes quæ à centro ad circunferentiã educuntur rectæ, ſunt inter ſe æquales. Deinde in his propoſita eſt quæſtio circulum bifariam diuidere. quod quidem non poteſt fieri. Centrum enim quod eſt medium totius circuli, aut in duas partes diuiditur per circuli in duas partes diuiſionem: aut alteri parti attribuitur. Sed fieri quidẽ non poteſt vt bifariam ſecetur. Quomodo enim fieri poteſt vt mente cõcipiatur diuiſum in partes id quod caret partibus? Sin autem attribuitur alteri parti, partes erunt inęquales, & circulus non diuidetur medius. & id quod ſecat lineam ſiue circulum, aut eſt corpus, aut incorporeum. Sed corpus quidem quemadmodũ poterit intelligi? Neque enim tangi poteſt, & eſt incorporeum. Sed nec tangi quidem poteſt id quod ſecatur, nempe linea & circulus. Cùm autem ſit eiuſmodi, non potuerit ſecari à corpore. Quod enim ſecatur à corpore, oportet pati & tangi. Incorporeo autem neque à natura inſitum eſt vt tangat, neque vt tangatur. Quamobrẽ nec mente quidem poſſumus concipere lineam quæ ſecatur, & circulum qui diui-

Incorporeum non aufertur ab incorporeo.

Mathematici iubentes datã lineam ſecare bifariam, ſtultè loquuntur.

Circulus non poteſt ſecari bifariam, vt iubent Mathematici.

diuiditur. Sed neq; ab aliquo incorporeo. Si est enim incorporeum quod diuidit lineam seu circulum: aut punctus secat punctum, aut linea lineam, aut linea secat lineam cuiusmodicunque sit. Sed punctus quidem secare nō potest punctum, quoniam vterque caret partibus. Sed neque secans habet quibus secet: neque qui secatur, id in quod secabitur. Rursus autem linea lineam non diuiserit. Nam siue obliquè siue directò adiuncta fuerit ea quæ secat ei quæ secatur, necessariò punctus eius debet adiungi puncto qui est in linea quæ diuiditur. Cùm partibus autem careat & qui adiungitur, & is qui est in ea quæ secatur, non fiet aliqua diuisio, propterea quòd neque quæ secat, secundum naturam apta sit ad secandum cùm careat partibus: neque quæ secatur ad hoc vt secetur. Sed neque dici potest quòd id quod secat lineam, cadens inter duos punctos ex iis qui secantur in linea, secabit lineam. est enim hoc absurdius iis quæ prius dicta sunt. Nam primùm quidem in lineæ cōtinuatione fieri non potest vt cadat medium. esset enim monstrum. sed necesse est intelligere per punctum ferri id quod secat. Deinde etiam si concessum fuerit, inter duos punctos qui sunt in linea quæ secatur, latum id quod secat secare lineam, deterius quidpiam emerget Geometris. Puncti enim qui componūt lineam, aut sunt adeò continētes, vt non extrinsecus admittant inter se aliquem punctum: aut non erit ex ipsis cōtinua, composita, & vna linea. Si autem sunt adeò continentes, vt inter se habeant locum punctorum qui non potest mente concipi, vt quod secat bifariam secet lineam: duorum alterum, aut oportet punctum in quo fertur intelligere secari in duas partes: aut si hoc fieri non possit, intelligere punctos lineæ cedere, & locum & distantiam præbere, vt quæ aliquando quidem in hanc partem contrahantur, aliquando verò in illam. quorum vtrunque est absurdum. Neque enim punctus, sicut prius exposuimus, potest secari, quòd careat partibus: neque puncti qui sunt in linea quæ secatur, sua natura possunt cedere. sunt enim immobiles. Ergo nec incorporeū aufertur ab aliquo incorporeo, neq; admittit ablationem. Quòd si in lineis & circulis sensilibus, hoc est qui cernuntur in abaco, statuentes orationem, velint Geometræ docere aliquid ab aliquo auferri, non poterūnt. Neque à tota linea, aut à toto circulo potest intelligi aliqua facta esse ablatio: neque à parte, vt paulò post progredientes docebimus, quando descendemus ad inquisitionem de corporibus quæ secantur. Nunc autem cùm breuiter sit ostensum quòd nihil incorporeum potest ab aliquo auferri
incor-

incorporeo, reſtat vt dicatur vel corpus ſeparari à corpore, vel incorporeum à corpore, vel corpus ab incorporeo. Sed incorporeũ quidem auferri ab incorporeo, eſt per ſe eiuſmodi, vt mens id cogitare non poſſit. Incorporeum autem ſeparari à corpore, eſt ex iis quæ nō poſſunt fieri. Oportet enim id quod aufert tangere id quod aufertur. tangi autem non poteſt incorporeum. & oſtenſum eſt fieri non poſſe vt ſit eius tactus. Quamobrem nec incorporeum ſeparari poterit à corpore. Et alioqui quod ſeparatur ab aliquo, eſt veluti pars iis à quibus ſeparatur. Incorporeum autem non poteſt eſſe pars corporis. Porrò autem neque poteſt corpus ſeparari à corpore. Si enim corpus aufertur à corpore, aut æquale aufertur ab æquali, aut inæquale ab inæquali. Sed neque æquale ab æquali poteſt auferri, vt docebimus: neque inæquale ab inæquali, vt admonebimus. Corpus ergo non aufertur à corpore. Atque æquale quidem auferri non poteſt ab æquali, vt cubitus à cubito. hoc enim non eſſet ablatio, ſed perfecta & abſoluta ſubiecti deletio. Et præterea aut à manente cubito faciemus ablationem, aut à non manente. Et ſi à manente quidem, duplicabimus cubitum, non autem diminuemus. Quomodo enim cubitus adhuc ſtatuetur cubitus, ſi ex eo ablatus ſit cubitus? Sin autem à non manente, nihil relinquimus quod admittat ablationem. Ab iis enim quæ nō ſunt, fieri nō poteſt vt auferatur aliquid. Quamobrem æquale quidem non aufertur ab æquali. Sed neque inæquale ab inæquali. Nam ſi ita ſit, aut maius aufertur à minori, vt à palmo cubitus: aut minus à maiori, vt quod eſt vnius palmi à cubitali. Sed maius quidem non poteſt auferri à minori. Oportet enim id quod aufertur ab aliquo, contineri in illo ex quo fit ablatio. In minori autem maius non continetur. & ideo quomodo non poſſunt ſex auferri à quinque: neque enim in quinque ſex continentur: ita nec à minore licet auferri. Quomodo enim dicebamus, oportet id quod ab aliquo aufertur, contineri in eo ex quo fit ablatio. Non continetur enim minus in eo quod eſt plus. Sequeretur enim vt & quod eſt maius & amplius, contineatur in minori. Oſtenſum eſt autẽ hoc fieri non poſſe. Quamobrem nec quod eſt minus continebitur in maiori. Sic autem neque auferetur. Quòd autem re vera ſeruetur conſequentia, cõſideremus in exemplis eorum qui mouent dubitationes. Si enim quinque continentur in ſex, vt in eo quod plus eſt pauciora, neceſſe eſt vt etiam in quinque contineantur quatuor, vt in eo quod plus eſt pauciora, & in quatuor tria, & in tribus duo, & in duobus

Incorporeum non poteſt auferri aut ſeparari à corpore.

Quod ſeparatur, eſt veluti pars eius à quo ſeparatur.

Corpus nō poteſt ſeparari auferrive à corpore.

Aequale non aufertur ab æquali.

Inæquale nō aufertur ab inæquali.

Maius nō aufertur à minori.

vnum. & ideo in sex numero contineãtur quinque & quatuor & tria & duo & vnum, quæ quidem sunt quindecim. Sed si in sex ex propria eius ratione continentur quindecim, necessariò à quinque continebuntur quatuor & tria & duo & vnum, quæ sunt decem. Quomodo autem in quinque continentur decem, ita etiam in quatuor erunt tria & duo & vnum, hoc est sex. & ex conuenienti proportione in tribus erunt duo & vnum, quæ sunt alia tria. & in duobus quæ restant. Hac ratione si componantur numeri qui sunt in sex, quinque, inquam, & decem, & decem & sex & tria, & præterea vnum, continebit numerus sex numerum triginta quinque. & hoc adhuc concesso, numerus sex comprehendet numeros infinitè infinitos. Rursus enim numerus triginta quinque comprehendet numeros qui sunt sub eo, nempe triginta quatuor: is verò triginta tria: & is triginta duo: & ita decrescendo in infinitũ. Sed si, vt aliquid auferatur, oportet id quod aufertur contineri in eo à quo fit ablatio, ostensum est neq; in minori maius contineri, neq; in maiori minus: sed nec æquale in æquali. Oportet enim id quod cõtinet esse maius eo quod continetur: Id autem quod est alicui æquale, non est illo maius nec minus cui est æquale: dicendum est à nullo quidquam auferri. Atqui si non aufertur, vt ostendimus: à denario ergo non aufertur vnitas. Cui est consequens vt à nullo quidquam auferatur. Si enim vnitas aufertur à denario, aut denarius est aliquid aliud à singularibus vnitatibus, aut congeries singularium vnitatum est denarius. Sed à singularibus vnitatibus alium non est consentaneum esse denarium. etenim si illæ sublatæ sint, is simul tollitur, & si sint, adest. Si autem in ipsis vnitatibus est denarius, omnino si dicamus à denario auferri vnitatem, quoniam denarius nihil est præter vnitates, fatebimur vnitatem auferri ab vnaquaque vnitate. Sed & à seipsa, propterea quòd cum ea intelligatur denarius. Si autem auferatur à quauis vnitate, erit etiam vnius vnitatis à seipsa vna vnitate ablatio. Est autem absurdum dicere, vnitatis ablationem esse ablationem denarij. Absurdum est ergo etiam à denario velle auferre vnitatem. Sed nec à nouenario qui restat eam auferri dixeris. Si enim vnitas aufertur à nouenario, non debebat post eius ablationem cerni integer nouenarius. Id enim à quo aliquid aufertur, non manet integrum post ablationem, alioqui non esset facta ab eo ablatio. Alioqui si à nouenario qui restat aufertur vnitas, aut aufertur à toto nouenario, aut ab vltima vnitate. Sed neq; aufertur à toto nouenario: alioqui si non sit alius nouenarius præter singu-

A denario nõ aufertur vnitas.

Denarius est congeries singularum vnitatum.

Denarius nõ est alius à singularibus vnitatibus.

Vnitatis ab vnitate nõ fit ablatio.

A nouenario non aufertur vnitas.

ſingulares vnitates nouenarij, ablatio vnitatis erit ablatio nouenarij. quod quidem eſſet abſurdum. Neque ab vltima vnitate. nam primũ quidem vnitas caret partibus & eſt indiuidua. Deinde totus integer reſtat nouenarius, non autem præter vnitatem. Si autem neque à denario tollitur vnitas, neque à nouenario qui reſtat: præter hæc autem nihil poteſt cogitari tertium: dicendum eſt vnitatem non auferri à denario. Ad hæc accedit, quòd ſi vnitas aufertur à denario, aut à manente adhuc denario tollitur vnitas, aut à non manente. Sed neque à non manẽte vnquam tollitur vnitas, neque à manente. præterquam eſſe autem aut non eſſe nihil eſt. A denario ergo nõ aufertur vnitas. Atque à manente quidem denario ex hoc ipſo cernitur non auferri vnitas. Nam quatenus quidem manet denarius, ab eo nihil aufertur. A non manẽte autem rurſus auferri, eſt abſurdum. Ab eo enim quod non eſt, non poteſt auferri aliquid. Non aufertur ergo aliquid ab aliquo. Eadem eſt ratio etiam de ablatione ab iis quæ cadunt ſub dimenſionem: vt ſi à congio auferatur cotyla, aut ſi à cubito auferatur palmus. Aut enim à toto congio dicendum eſt fieri ablationem, aut à parte: & aut à manente aut non manente. A nullo autem eorum, vt oſtendimus. Ergo nec hac ratione aufertur aliquid ab aliquo. Sed quòd non ſit quidẽ ablatio, ex his eſt perſpicuum. Quòd autem neq; aliquid additur alicui, ex iis quæ iuxta ſita ſunt, doceamus. Si ponatur ergo corpus cubitale, & ei addatur corpus vnius palmi, adeò vt id quod eſt effectum ex eo quod eſt poſitum & additione, ſit ſeptem palmorum: quæro in quónam facta eſt palmi additio. Aut enim ſibi additur palmus, aut cubito qui prius erat poſitus, aut magnitudini ſeptem palmorum, quæ effecta eſt ex vtriſque. Sed neque ſibi additur palmus, neque cubito prius poſito, neque magnitudini quæ effecta eſt ex vtriſque, ex prius poſito, inquam, cubito & additione. Non ergo additur aliquid alicui. Atque ſibi quidem palmus non fuerit adiectus. Nam cùm non ſit alter à ſeipſo, & non conduplicet ſeipſum per additionem, ſibi nõ fuerit additus. Si autem additur cubito prius poſito, quomodo additus toti, ei non adæquatur, & duos efficit cubitos, adeò vt partim quidem ſit minus, partim verò maius? Si enim additione palmus æquatur cubito, & cubitus palmo: cubitus quidem minori exæquatus, cùm ſit maior, fiet minor. Palmus autem cùm ſit paruus, & exæquetur cubito, fiet maior. Sed ſi neque ſibi additur palmus, neque cubito prius poſito, reſtat vt dicamus eum addi ſeptem palmorum magnitudini quæ efficitur ex vtriſque. quod quidem eſt

Ablatio ab iis quæ cadunt ſub menſuram nulla eſt.

Additio nulla eſt.

à ratione maximè alienum. Nam quod suscipit additionẽ, poni debet ante eam. Quod autem fit ex ipsis, ante ea non ponitur. Non ergo ei quod fit & ex additione, & ex eo quod erat ante, additur id quod additur. Differt quidem certè additio ab eo quòd fit ex ea, & ab illo discrepat temporibus. Nam quando fit quidem additio, nondum est quod fit ex eis. Quando autem est quod factum est ex eis, non est amplius additio. Quare nec ei quod fit ex additione & ex cubito prius posito, additur palmus. Sed rursus quoniã quod additur, neque ipsum sibi additur, nec ei quod est prius positum, nec ei quod fit ex vtrisque: neque omnino alicui additur.

De Numero & Additione & Ablatione.

LICET autem de numeris quoque eandem mouere dubitationem. Nam si positus fuerit quaternarius, & ei adiecta sit vnitas, considerandum est cuínam fiat additio. Aut enim sibi additur vnitas, aut quaternario, aut quinario qui ex vtrisque efficitur. Sed nec sibi additur, propterea quòd id quod alicui additur, sit alterum ab illo cui additur, vnitas autem non sit alia à seipsa: & propterea quòd nec se ipsam conduplicet, effecta binarius. Neque quaternario, propterea quòd non ipsi exæquetur, neque ipsum cõduplicet. Quod enim additur toti quaternario, qui non est alius à singularibus vnitatibus, est quaternarius. Sed neque quinario qui fit ex ipsa & quaternario, propterea quòd non ponatur quinarius ante additionem, & semper debeat id quod additur, addi alicui quod est prius positum. Non ergo aliquid alicui additur. Sed si neq; aliquid ab aliquo aufertur, vt ostensum est: neque aliquid alicui additur, vt exposuimus: est perspicuum quòd neque aliquid ab aliquo transponitur. est enim transpositio, alterius quidem ablatio, alterius verò additio. Si hæc autem non sunt, neque debet esse patiens, siquidẽ aliquo ex his modis esset pati. Non enim aliter quàm his modis aliquid posse pati quisquam cogitauerit. De his autem rebus dubitationi, coniuncta est quæstio de toto & de parte: quoniam ablatio videtur esse ablatio alicuius partis à toto, & rursus additio esse totius additio. Quo fit vt si ostensum fuerit esse dubiam de toto & parte orationem, magis ostendetur prius fuisse dubitatum de additione & ablatione patienteque & agente. Quòd autem non sit facile dicere quid sit totum, & quid pars, consequenter doceamus.

Numero non fit additio.

Transpositio quid sit.

De

De toto & parte.

NECESSARIA est de toto consideratio: Physicis quidem, quoniam est absurdum, eos cùm profiteantur verum dicere de toto & vniuerso, nescire quidnam sit totum & quid partes: Scepticis ad refellendum Dogmaticorum temeritatem. Atque Stoici quidem Philosophi existimant differre totum & vniuersum. Nam totum quidem dicunt esse mundum: Vniuersum autem, quod est cum mundo extrinsecus inane. & propterea totum quidem esse finitum. est enim finitus mundus. vniuersum autem est infinitum. Tale est enim inane quod est extra mundum. Epicurus autem, citra vllum discrimen, corporum & inanis naturam solitus est appellare totum & vniuersum. Nam aliquando quidē dicit quòd totius natura sunt corpora & inane: aliquando autē, quòd vniuersum in ambobus est infinitum, nempe in corporibus & inani: hoc est & in multitudine corporum, & in magnitudine inanis, in vtroque ex aduerso se inter se porrigentibus infinitatibus. Alij autem vt Peripatetici, dicunt totum & vniuersum ne esse quidem inane & vacuum corporibus, propemodum autem ipsum quoque accusant inane. Fuit etiam de parte breuis quædam dissensio. Nam Epicurus quidem censebat partem esse diuersam à toto, vt atomum ab eo quòd est concretum & compositum. Nam illa quidem est expers qualitatis. Quod autē est concretum & compositum, est qualitate præditum: vtpote album vel nigrum, vel communiter coloratum: & vel calidum, vel frigidum, vel aliquam aliam habens qualitatem. Stoici autem dicunt neque partem esse à toto diuersam, neque idem esse. Manus enim neque est eadem quæ homo, non enim est homo: neque alia ac diuersa ab homine. cum ea enim homo intelligitur homo. AEnesidemus autē ex sententia Heracliti, dicit partem & diuersam esse à toto, & idem. Essentia enim & tota est & pars. Tota quidem in mundo: pars autem in natura animalis. Particula autem ipsa quoque dicitur duobus modis. Et aliquando quidem, vt differens à parte quæ propriè intelligitur, vt dicunt eā esse partem particulæ: vt digitum quidem manus, aurem verò capitis. Aliquando autem vt non differens, sed vt quæ sit pars totius. qua ratione dicunt quidem partem complere totum. His autē prius explicatis, & toto intellecto ex complemento partium, procedamus deinceps ad considerationem. Si ergo est aliquid totum, vt homo, equus, planta, nauis (hæc enim sunt totorū nomina) aut est diuersum

Totum & vniuersum differunt.

Totum quid sit.

Vniuersum quid sit.

Inane infinitum.

Epicurus quid totū vocet & vniuersum.

Peripatetici quid totum vocent & vniuersum.

Totum quomodo à parte differre dicat Epicurus.

Totū & pars quomodo differant secundū Stoicos.

Pars diuersa à toto, & idē secundum Heraclitum.

Particula duobus modis dicitur.

Totum nō est diuersum à partibus, nec ab eis separatum.

ab eius partibus, & intelligitur ex propria substantia & essentia. aut congeries partium dicitur esse totum. Sed diuersum à partibus minimè fuerit totum, nec ex euidentia, nec ex intelligentia. Et ex euidentia quidem; quoniam si alterum ac diuersum esset totum separatū à partibus, oporteret si tollerentur partes, totū cerni remanere. Tantum autem abest vt si auferantur omnes partes, vtpote statuæ, totum maneat, vt etiam si vna sola pars fuerit sublata, non amplius cernatur totum subiectum tanquam totum. Ex intelligentia autem, quoniam intelligitur totum, cuius nulla pars abest. Et ideo si totum est diuersum à partibus, omnes partes aberunt à toto. Quomodo enim ad partes relatum intelligitur totum: & quemadmodum pars est pars alicuius: ita etiam totum est ex aliquibus partibus totum. & oportet ea quę referuntur ad aliquid, inter se simul esse, & à se inter se separari non posse. Non est ergo totum diuersum à partibus: nec est ab eis separatum. Restat ergo vt dicamus totum esse partes. Sed si partes sunt totum, aut omnes partes sunt totum, aut aliquæ ex partibus, aut aliqua earum. Et aliqua quidem ex partibus non fuerit totum. Neq; enim caput hominis est totus homo, neque collum aut manus, aut aliquid eiusmodi. Sed nec aliquæ ex partibus erunt totum. Nam primùm quidem si aliquæ ex partibus sunt totum, quæ restāt non erunt partes totius. quod quidem est absurdum. Deinde euertetur etiam totius intelligētia. Nam si aliquæ partes sunt totum, falsum est quòd totum est cuius nulla pars abest. quædam enim absunt. Quare neq; pars est totum, neque aliquæ partes. Si autem omnes partes sunt totum: & nihil est totum nisi congeries partium: nec erit totum, neque partes erunt partes. Quomodo enim nihil est distantia præter ea quæ distant, neque contignatio præter tigna sic disposita: neque pugnus præter manum redactam in quandam figuram: ita nihil erit totum præter partium congeriem, neque partes erunt partes. Et rursus, quomodo si non sit dexterum, nec est sinistrum: & si non intelligatur sursum, nec intelligitur deorsum: eodem modo si nō sit totum, neque partes intelliguntur partes, nec erunt partes aliquæ. Esto autem quòd omnes partes sint totum. Sed quærendum est quídnam eę complebunt, totúmne, an se inter se, an seipsas? Sed neque sunt partes totius, neque inter se, neque sui, vt ostendemus. Non sunt ergo partes alicuius. Atque totum quidem non fuerit pars. Totum enim nihil est præter eas. sed eæ ipsæ dicuntur esse totum. Sed nec erunt inter se partes. Alicuius enim partes continentur in iis quorum sunt partes.

Totum est partes.

Neque omnes partes sunt totū, nec aliquæ ex partibus, nec aliqua earum. Non est ergo totum.

Totum est cuius nulla pars abest.

Distātia quid sit.

Contignatio quid sit.

Pugnus quid sit.

Partes totum non complent.

partes: vt in homine quidem manus, in manu autem digitus. Partes autem hominis per ſe cõſiſtunt, & inter ſe minimè continentur. Neque enim manus ſiniſtra complet dexterã, neque dextera ſiniſtram: non pollex indicem: non manus caput: ſed vnumquodque eorum proprium locum accipit. Nec ergo partes inter ſe ſunt partes. Sed neque ſui. Neque enim fieri poteſt vt ſit aliquid ſui pars. Si ergo neque totum eſt alterum ac diuerſum à partibus: neque ipſę partes ſunt totum: nihil eſt totum. Et rurſus pars, vtpote caput, dicitur complere totum hominem, & eſſe pars hominis. Cõſideratur autem homo, homo cum capite, ergo caput quoque ſeipſum complet, & ſui pars exiſtit. Propterea autẽ ſeipſo quoque eſt maius & minus. Nam quatenus quidem intelligitur à ſeipſo completum, eſt ſeipſo maius: quatenus autem complens, minus. Eadem autẽ dubitatio eſt & in planta, & in cubito, & communiter in aliis omnibus, de quibus prædicatur totum. Nam quoniam palmus eſt pars cubiti: cum palmo enim cubitus quoque intelligitur cubitus: & ſeipſum complet palmus, & eſt pars ſui. quod quidem eſt abſurdum, & propemodum præter communes notiones.

Non eſt aliquid ſui pars.

De partibus orationis.

TANGIT autem dubitatio partes quoque orationis. Nam in hoc verſu,

„ *Iram Pelidæ dic ô Dea carmine Achillis,* quærendum eſt & Iram, & Dic carmine, & præterea Achillis, cuius ſunt partes. Aut enim totus verſus eſt aliquid aliud ab his partibus: aut earum congeries eſt verſus: & inducendæ ſunt poſitæ dubitationes, Iram quidem ſi ſit pars totius verſus, erit quoque pars ſui. cum ea enim totus intelligebatur verſus. Sinautem reliqui verſus, nempe Pelidæ dic carmine Achillis, quemadmodum non exorietur maior dubitatio? Pars enim alicuius continetur in eo cuius eſt pars. Illud autem Iram, non continetur in Pelidæ dic ô Dea carmine Achillis. Illud ergo Iram, non eſt pars totius verſus. His autem motis in loco dubitationibus, ſolent Dogmatici parumper reſpirantes dicere, quòd externum quidem ſubiectum ſenſile, neque eſt totum, neque pars: nos autem ſumus qui de illo totum prædicamus & partes. eſt enim totum ex iis quæ referuntur ad aliquid. totum enim intelligitur tanquam relatum ad partes. eſt enim totum ex iis quæ referuntur ad aliquid. Nam intelligitur totum vt relatum ad partes. Et rurſus partes ſunt ex iis quæ refe-

Hom. Il. a.

Partes orationis ſintne partes totius.

Senſile externum neque eſt totum, neque pars.

Totũ & partes ſunt relatiua, & ſunt in noſtra recordatione.

referuntur ad aliquid. Intelliguntur enim partes vt quæ referãtur ad totum. Quæ autem referuntur ad aliquid, ſimul ſunt in noſtra recordatione. Ea autem noſtra recordatio eſt in nobis. Externum autem ſubiectum ſenſile, neque totũ eſt, neque pars, ſed res eſt de qua prædicamus noſtram ipſorum recordationem. Eis autem dicendum eſt, primùm quidem quòd ſit abſurdum dicere, collum aut caput nõ eſſe partes complentes externum hominem, ſed noſtram recordationẽ. Si autem caput & collum complent hominem, & collum eſt in nobis: oportebit hominem eſſe in nobis. quod eſt abſurdum. Totum ergo & partes non ſita ſunt in noſtra recordatione. Eſto, dicet quiſpiam: ſed totus quidem homo eſt in noſtra recordatione: completur autem non ab externo collo & externo capite, ſed rurſus ex notionibus quæ ſunt in his partibus. etenim ipſe homo totus eſt noſtra notio, mentíſve conceptio. Qui autem hoc dicit, non effugit dubitationẽ. Rurſus enim iſte qui in nobis eſt homo, eſt aut notio mentíſve conceptio, aut noſtra recordatio, aut diuerſus cenſetur à partibus, aut homo intelligitur partes. Neutrum autem horum poteſt, vt oſtendimus. Hæc ergo intelligentia ſub eandem cadit dubitationẽ. Si autem ita eſt, dicendum eſt nullum eſſe totum. cui eſt conſequens ne eſſe quidem partem. Vtrumque enim eſt ex iis quæ referuntur ad aliquid: & altero ſublato ex iis quæ referuntur ad aliquid, ſimul etiã tollitur reliquum. Atque de iis quidem ſic ſit dubitatum. Cùm autem cum Dogmaticis ſatis iam quæſierimus de agentibus ſeu efficientibus vniuerſitatis principiis, poſtea commmunius dubitemus de his & de materialibus.

Totũ & partes non ſunt in noſtra recordatione.

Homo quomodo ſit in nobis ex notionibus.

An ſit aliquod corpus.

DE ſummis, & quæ vim principiorum maximè habent elementis, duæ quidem fuerunt primæ ſectæ, genere autem plures. Nã alij quidem dixerunt corpora rerum eſſe elementa: alij autem incorporea. Et ex iis quidem qui dixerunt corpora, Pherecydes Syrus dicebat terram eſſe omnium principium & elementum: Thales autẽ Mileſius, aquam: Anaximander autẽ eius auditor, infinitum: Anaximenes autẽ & Idæus Himeræus, & Diogenes Apolloniates, & Archelaus Athenienſis præceptor Socratis, &, vt volunt nonnulli, Heraclitus, aërem: Hippaſus autem Metapontinus, &, vt volunt nonnulli, Heraclitus, ignem: Xenophanes autem, aquam & terram.

» *Namque ex terra & aqua producti nos ſumus omnes.*

Hippon autem Rheginus, ignem & aquam: Oenopides autẽ Chius, ignem

Terram eſſe omnium principium & elementum dicebat Pherecydes Syrus.

De principiis rerum diuerſæ fuerunt philoſophorum ſententiæ.

ignem & aërem: Onomacritus autem in Orphicis, ignem & aquam & terram: Empedocles autem & Stoici, terram & aquam & aërem & ignem.

„ *Rerum radices cunctarum quattuor audi.* Empedocles.
„ *Iuppiter est candens, Iuno alma, Plutoque, fontes*
„ *Et quæ hominum humectat lachrymantum aspergine Nestis.* Νῆστις Dea quædam Sicula apud Eustath. in τ. Il.

Democritus autem & Epicurus, atomos. nisi hęc opinio ponenda sit antiquior, & vt Stoicus dicebat Posidonius, deducta à Moscho quodam Phœnice. Anaxagoras autem Clazomenius, similares partes: Diodorus autẽ cognominatus Cronus, id est Saturnus, corpora minima & indiuidua: Asclepiades autẽ Dithynius, inconcinnas magnitudines. Ex iis autem qui incorporea censent esse principia, Pythagoras quidem dixit numeros esse omnium principia: Mathematici autem, fines corporum: Platonici verò, Ideas. Cùm sit autem eiusmodi Physicorum & genere & specie dissensio, licebit aduersus omnes communiter dicere, cùm sigillatim dubitauerimus de corporeis & incorporeis. Sic enim vnusquisque ex iis quos enumerauimus, relinquens quidem corporea omnium principia, cadet in dubitationes quæ afferuntur contra corpus. Qui autem incorporea statuit principia, cadet in dubitationes quæ fiunt aduersus incorporea. Præcedat autem de corpore oratio, principium sumens dubitationis à notione. Iam enim ex sententia quidẽ eorum qui corpus intelligunt quod potest pati vel agere, quorum princeps fertur Pythagoras, corpus propemodum sustulimus: neque ad hoc opus habemus nouis rationibus. Si enim corpus est aliquid quod potest pati vel agere: quoniã nihil esse quod agat & patiatur, à nobis ostensum est, nullum fuerit corpus quod mente concipitur. Ex Mathematicorum autem notionibus componendum est propositũ. Dicunt enim corpus esse quod tres habet distantias seu dimensiones, nempe longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ex quibus longitudinem quidem esse, quę est supernè deorsum: latitudinem autem, sinistram quæ vergit ad dexteram: tertiam autem dimensionem, nempe profunditatem, quæ à parte anteriori vergit ad posteriorem. Vnde etiam sex esse distantias seu dimensiones, nempe, suprà, infrà: dextera, sinistra: antè, retrò. Hanc quidem notionem mentísve cõceptionem cernitur sequi magna quædam multitudo dubitationum. Aut enim ex hac mentis conceptione corpus est separabile ab his tribus dimẽsionibus, adeò vt aliud quidem sit corpus, aliud verò longitudo & profunditas, &

Moschus quidam Phœnix inuexit Atomos.

Corpus est quod potest pati vel agere secundum Pythagoram.

Corpus est quod habet tres dimensiones secundum Mathematicos.

Dimensiones sunt sex.

latitudo corporis, aut harum dimensionum coaceruatio est corpus. Sed si separetur quidem corpus ab his dimensionibus, non id licet mente concipere. Vbi enim neque est longitudo, neque latitudo, neque profunditas, nō potest corpus illic mente concipi. Sinautem earum coaceruatio est corpus, quoniam vnaquæque earum est incorporea: quod autem constat ex incorporeis, est omnino incorporeum: oportebit & communem eorum cōgressum, non esse corpus, sed incorporeum. Quomodo ergo punctorum congeries suapte natura nunquā efficit corpus solidum & resistens: ita etiam congressus longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quæ sunt incorporeæ, non efficit corpus. Si ergo neque absque iis est aliquod corpus: neque ea sunt corpus: nullum est corpus. Et aliter. Quoniam congressus longitudinis, latitudinis & profunditatis, efficit corpus: aut ante cōgressum vnaquæque earum priuatim cōtinebat corporeitatem, vt ita dicam, & veluti rationes corporis: aut postquam eæ conuenerunt accidit etiam corpus. Et si vnaquæque earum priusquam conuenirent continebat corporeitatem, vnaquæque erit corpus. Deinde quoniā corpus non est sola lōgitudo, neque latitudo, neque profunditas: sed & longitudo & latitudo & profunditas: vnaquæque earum habens corporeitatem, fiet tria. & ita longitudo non sola erit longitudo, sed & latitudo & profunditas: & latitudo non absolutè latitudo, sed longitudo & profunditas. Similiter autem & quæ restat dimensio. Sin autem cùm eæ conuenerint, tunc accidit corpus: aut cùm eæ conuenerint, manet earum quæ fuit à principio natura, aut mutatur in corporeitatem. Et si manet quidem natura quæ fuit à principio: quoniā sunt incorporea & manent incorporea: nō efficient corpus quod est diuersum ac differens. Sinautem mutatur in corpus: quoniam quod suscipit mutationem, est corpus: vnaquæque earum, etiam priusquā fieret cōgressus, cùm sit corpus, ante corpus efficiet corpus. & quomodo quod mutatur corpus, pro alia quidem aliam accipit qualitatem, manet autem corpus: vtpote album vt fiat nigrum, & dulce vt fiat amarum, aliam quidē amittit qualitatem, aliam verò accipit, non excedēs à corporis essentia: ita hæc etiam si mutantur in corpus, pro alia quidem aliam accipiunt qualitatem: quæ hæc autem patientur, erunt corpora. Si ergo neque ante eorum congressum est corpus quod mente concipitur: neque post eorum congressum, non licet mente corpus concipere. Ad hæc accedit, quòd si nulla sit longitudo, neque latitudo, neque profunditas, nec erit quidem corpus quod intel-

Corpus non separatur à dimensionibus.

Si dimensionū coaceruatio est corpus, corpus est incorporeū.

Si corpus dicatur cōstare ex longitudine, latitudine & profunditate, quot sequātur absurda.

intelligitur ex earum participatione. Nulla est autem longitudo, latitudo, & profunditas, vt ostendemus. Non est ergo corpus. Nam longitudo quidem non est, quoniam maxima corporis dimẽsio, quæ dicitur apud Mathematicos, est linea. linea autem est punctus fluens. punctus autem est signum carens partibus, & nullam suscipiens dimensionem. Quamobrem ne erit quidem linea. Si non sit autem linea, nec erit longitudo. Si non sit autem longitudo, neque consistet corpus. Intelligitur enim corpus cum longitudine. Quòd autẽ nullum sit signum carens partibus & nullam suscipiens dimensionem, hinc discamus. Si enim est quidpiam eiusmodi, aut est corpus, aut incorporeum. Et corpus quidem non est, quoniam susciperet dimensionem, cùm corpus tres habeat dimensiones. Sed nec est incorporeum. Nam si est incorporeum, nihil ex eo fiet ac gignetur. Nam quod generat, per contactum generat. contactus autem nullus esse potest in natura incorporea. ergo nec incorporeum est signum. Si autem neque est corpus nec incorporeum, signum est huiusmodi vt mente non possit cogitari. Si autem non est signum, nec erit linea. Si non sit autem linea, nec erit longitudo. Cui erit consequens vt non sit corpus. Præterea etiam si datum fuerit esse signum, non erit longitudo. est enim linea longitudo. linea autem fluxus puncti. Aut ergo linea est signum extensum, aut intelliguntur multa signa per seriem disposita. Sed si sit vnum quidem extensum, non erit linea. Aut enim eundem locum tenet hoc signum, aut locum loco transmutat. Et si eundem quidẽ locum tenet hoc signum, non erit linea, sed punctus. fluens enim signum intelligebatur linea. Si autem transit de loco ad locum: aut transit alium quidem relinquens locum, alium autẽ apprehendens: aut alij quidem loco hærens, ad alium autem se extendẽs. Sed nec alium quidem locum relinquens, alium verò apprehendens, efficit lineam. manebit enim punctus qui fuit ab initio. & qua ratione primum locum tenens dicebatur punctus, non linea: ea etiam tenens secundum & tertium, & eum qui deinceps sequitur locum, non erit linea, sed rursus punctus. Si autem alij quidem hærens loco, ad alium autem se extendens, efficit lineam, aut ad diuiduum ex aduerso extenditur locum, aut indiuiduum. Et si ad indiuiduum quidem: manet punctus, & neque fit linea. est enim diuiduũ quidpiam linea. Si autem ad diuiduum locum ex aduerso extenditur: quoniam quod ad diuiduum locum ex aduerso extenditur, est diuiduum & habet partes, est corpus, erit signum diuiduum & corpus. quod minimè

Longitudo nulla est.

Signum nullũ est carens partibus.

Linea non est signum extensum.

 volunt.

Linea non eſt multa ſigna per ſeriem poſita.

volunt. Non eſt ergo linea vnum ſignum. Sed neque multa per ſeriem poſita. Ea enim ſigna aut ſe inter ſe tangunt mentis conceptione: aut non tangunt ſe inter ſe, ſed intercepta diſcernuntur quibuſdā locis. Si autem intercipiuntur locis, non vtique vnam efficiunt lineā. Sin autem ſe inter ſe tangunt, aut tota tanguntur à totis, aut partes à partibus. Et ſi partibus quidem partes, non erunt vtique indiuidua. Medium enim ſignum à duobus aliis fortè ſignis interceptum, habebit plures partes: vnam quidem qua tangit prius ſignum: alteram autem, qua poſterius: tertiam, qua ſuperficiem: quartam, qua partem ſubiectam. quo fit vt non ſit amplius indiuiduum carēſque partibus, ſed multas habens partes. Si autem tota tanguntur à totis, ſigna continebuntur in ſignis, & eundem tenebunt locum. Si autem eundem locum teneant, non erit vtique earum ſeries, vt fiat linea, ſed omnia erunt vnus punctus. Si ergo vt mente concipiatur corpus, oportet mente concipi longitudinem: vt autem longitudo, lineam: vt ea autem, punctum: quoniam oſtenſum eſt lineam neque eſſe ſignum, neque compoſitam ex ſignis: nihil eſt linea. Si autem non eſt linea, neque longitudo. cui eſt conſequens ne eſſe quidem corpus. Et nuper quidem oſtendimus non poſſe mente cōcipi lineam, ſi ſigno hæreamus. Licet autem ipſam quoque in primis tollere, ſi hæreamus eius mente conceptæ notioni. Dicunt enim Geometræ lineam eſſe longitudinem expertem latitudinis. Nos autem qui conſideramus, neque in ſenſilibus, neque in iis quæ percipiuntur intelligentia, poſſumus accipere longitudinē expertem latitudinis. Quamcunque enim ſenſilem acceperimus longitudinem, eam accipimus cum quanta latitudine. Quamobrem in ſenſilibus quidem non eſt aliquod corpus expers latitudinis. Sed nec in iis quæ percipiuntur intelligētia, licet viſione talem apprehendere longitudinem. Nam aliam alia quidem anguſtiorem mente concipere poſſumus lōgitudinem. Quando autem eandem conſeruantes longitudinem, ab ea mente paulatim abſciderimus latitudinem, & hoc aliquouſque fecerimus, intelligimus quidem latitudinem ſemper magis magiſque minorem effici. Sed cùm eò peruenerimus vt latitudine omnino ptiuemus longitudinē, ne longitudinem quidem amplius intelligimus, ſed cum ablatione latitudinis, tollitur etiam intelligentia longitudinis.

Lōgitudo nulla datur expers latitudinis.

Longitudo ne cogitari quidē poteſt abſque latitudine.

Quot modis vnumquodque intelligitur.

Quomodo intelligatur vnumquodque.

IN ſumma autem quidquid mente concipitur, aut intelligitur per applicationem euidentium, aut per tranſitum ab euidentibus: idque variè.

variè. Aliquando quidē per similitudinem: aliquando verò per compositionē: aliquando verò per analogiam seu proportionem, eamq; aut augētem aut minuentem. Atque intelligitur quidem per applicationem euidentium, vt album & nigrum, & dulce & amarum. Ea enim etsi sunt sensilia, nihilominus percipiuntur intelligentia. Per transitum autem ab euidentibus, assimilatiuè quidem intelliguntur: vt ex imagine Socratis Socrates non præsens. Per compositionem verò: vt ex homine & equo is qui neque est homo nec equus, ex ambobus autem compositus est Hippocentaurus. Per analogiam autē seu proportionem augentem aut minuentem, vt ex eo quòd videamus hominem magnitudine communem & depressum, visione quidem augētes, mente concepimus Cyclopem, qui viro pane vescenti non est similis, sed nemoroso promontorio. minuentes autem, attraximus Pygmæi in mente notionem. Cùm sint autem tot modi intelligentiæ mentisque conceptionis, si linea mente concipitur aliqua lōgitudo expers latitudinis, debet intelligi aliquo ex his modis. Nullo autem ex his modis potest intelligi, vt ostendemus. est ergo eiusmodi vt mente non possit concipi ac intelligi. Atque per euidentium quidem applicationē non potest esse intelligentia alicuius longitudinis carentis latitudine. In iis enim quæ cernuntur & in rebus euidentibus in nullam incidimus longitudinem absque latitudine. Per transitum autem ab euidentibus rursus fieri non potest vt visione apprehendatur longitudo aliqua expers latitudinis. Neque per similitudinem. Neque enim habemus in euidentibus longitudinem absque latitudine, vt mente concipiamus ei similem longitudinem expertem latitudinis. Nam quod est alicui simile, debet esse simile ei quod cognoscitur & est conspectum. Quoniam ergo nullā euidentem habemus lōgitudinem incurrentem absque latitudine, nec eius aliquam similem intelligere poterimus esse lōgitudinem expertem latitudinis. Sed nec ea comprehendi potest per compositionem. Dicant enim nobis, quænam eorum quæ sunt euidentia & fiunt ex incursione, cum quibúsnam componentes, intelleximus esse longitudinem expertem latitudinis. quod quidem non poterunt dicere. Sed neque per analogiam seu proportionem accedit intelligentia longitudinis quæ caret latitudine. Nam quæ intelliguntur par analogiam, habēt aliquid commune cum iis ex quibus intelliguntur: vt, ex communi hominis magnitudine per augmentū intelleximus Cyclopem: & ex eo rursus per diminutionem, Pygmæum. Quamobrē

Intelligere per applicationem euidentium.

Intelligere per transitum ab euidētibus.

Intelligere per compositionem.

Intelligere per analogiam seu proportionem.

Longitudo nullo modo potest intelligi absque latitudine.

ſi iis quæ intelliguntur ex analogia, eſt aliquid commune cum iis ex quibus intelliguntur: nihil autem habemus commune longitudinis expertis latitudinis & eius quæ eſt cum latitudine. Nō hoc ergo intelligitur ex analogia. Vnde ſi vnumquodque ex iis quæ intelliguntur, debet intelligi per aliquē ex iis modis qui ſunt expoſiti: nos autem oſtēdimus nullo ex his modis poſſe intelligi longitudinem expertem latitudinis: dicendum eſt mente percipi non poſſe longitudinem carentem latitudine. Sed fortè dicet quiſpiam, quòd cùm acceperimus aliquam longitudinem cum quanta latitudine, per intenſionem intelligimus longitudinem expertem latitudinis. Si enim ex ea paulatim minuitur latitudo, veniet tandem etiam ad expertem latitudinis, adeò vt deſinat diminutio in longitudinem expertem latitudinis. Sed primùm quidem oſtendimus, quòd perfecta ablatio latitudinis, eſt etiam interemptio longitudinis. Deinde id quod intelligitur ex intenſione, non eſt diuerſum ab eo quod prius fuit mente cōceptum, ſed illud ipſum intenſum. Quoniam ergo ex quanto habente latitudinem, volumus per intenſionem intelligere aliquid anguſtiſſimum, non intelligentia percipiemus omnino longitudinem carentem latitudine. eſt enim diuerſi generis. Si autem etiam magis anguſtam accipiamus latitudinem, adeò vt comprehēſio intelligentiæ fiat minima latitudine, poſtea oportebit accidere trāſitum ad id quod eſt diuerſi generis, nempe longitudinis quæ ſimul tollitur cum latitudine. In ſumma ſi per priuationem latitudinis poſſumus intelligere lōgitudinem expertem latitudinis: quoniam quæcunque ſunt priuantia, non ſunt in ſubiecto: neque etiam longitudo carens latitudine. quamobrem nec linea. Nam equus quidem quiſpiam eſt in ſubiecto: non equus autem non eſt. & homo quidem eſt: non homo autem non eſt. Si ergo habemus aliquam latitudinem, aut aliquam longitudinem, erit in ſubiecto. non carebit autem latitudine. Quomodo enim qui dicunt quòd alteram alteri ſuperextollentes magnitudinem, accipiunt intelligentiam infinitæ magnitudinis, tanquam corporis, errant, & ſuperextollendo accipiunt aliquam ex multis magnitudinibus. Non eſt autem ea infinita, ſed finita. Quam enim extremam cogitarunt, eſt comprehenſibilis. Quod eſt autem cogitatione comprehenſibile, eſt finitum: quandoquidem reliqua quę ſic eſt comprehenſa cogitatione, arguit eam quæ eſt relicta, vt quæ non ſit infinita. Sic ergo hic quoque contractio latitudinis, in minimam latitudinem deſinente cogitatione, eſt latitudo, & non longitudo expers

Latitudinis perfecta ablatio, eſt interemptio longitudinis.

Priuantia nō ſunt in ſubiecto.

expers latitudinis. Alioqui si fieri potest, vt cùm cogitauerimus aliquam longitudinem cum quota latitudine, eam priuemus latitudine, & mente concipiamus longitudinem expertem latitudinis, poterimus etiam cùm carnem cogitauerimus cum proprietate vulnerabili, priuatione proprietatis vulnerabilis, mente cōcipere carnem inuulnerabilem: & continget cùm corpus mente cōceperimus cum proprietate resistendi, priuatione proprietatis resistendi, accipere corpus resistens. quod quidem non potest fieri. Nam quod intelligitur inuulnerabile, non est caro. Intelligebatur enim caro cum proprietate vulnerabili, & non resistens non est corpus. Nam cum proprietate resistendi intelligebatur corpus. Ergo & longitudo quæ intelligitur absque latitudine, non est longitudo. Nam cum quanta latitudine intelligitur longitudo. Sed Aristoteles quidē dicebat posse cadere in cogitationem, longitudinem quæ apud Geometras caret latitudine, si muri accipiamus longitudinem absque eo quòd attendamus muri latitudinem, errans. Nam quando muri accipimus longitudinem absque latitudine, non absque omni latitudine eam accipimus, sed absque latitudine quæ est in muro. contingit enim, connexa muri longitudine cum aliqua cuiusmodicunque ea sit latitudine, habere eius intelligentiā: adeò vt sumatur longitudo non absq; latitudine, sed absque aliqua, hac scilicet latitudine. Propositum autem erat Aristoteli ostendere, non quòd alicuius latitudinis expertē contingit intelligere longitudinem, sed omnis latitudinis. quod quidem non ostendit. Ad hæc accedit, quòd si Geometræ non solùm dicunt lineam expertem latitudinis, sed etiam finem superficiei esse longitudinem expertem latitudinis, licebit communius dubitare de linea & superficie. Nam si linea est finis superficiei, qui est longitudo carens latitudine, omnino superficiei addita superficie, aut duæ fiunt lineæ parallelæ seu æquidistantes, aut vna ex vtrisque. Et si quidem vna, fiant duæ parallelæ: quoniam linea est finis superficiei: superficies autem est finis corporis, cùm duæ lineæ vna factæ sint, duæ quoque superficies erunt vna. Ita autem duo quoque corpora erunt vnum. & propterea additio non erit vtique additio, sed vnio. quod quidem non potest fieri. In aliquibus enim sibi inter se additis corporibus fit vnio, vt in humidis: in aliquibus autem non ita. lapis enim non vnitur lapidi, neque adamas adamanti per additionem. Quamobrem duæ lineæ non fuerint vna. Alioqui si dederimus propterea fieri vnam corporum vnionem, oportebit eorum fieri separationem non

Caro inuulnerabilis non potest cogitari.

Corpus non resistens nō potest mente concipi.

Aristoteles reprehenditur quòd cogitari posse dixerit longitudinem absque latitudine apud Geometras.

Superficiei finem non esse longitudinem expertem latitudinis.

Vnio non fit in omnibus corporibus.

non per eoſdē fines, ſed per alias & alias partes, ipſis violenter auulſis. Sed hoc non ita eſt. Finium enim & ante additionem & poſt eorum ſeparationem eadem ſeruatur natura. Duæ ergo parallelæ lineę non poſſunt eſſe vna. Præterea ſi duæ lineæ fiunt vna, corpora quæ inter ſe adduntur, erunt vno extremo minora. Quamobrem duæ lineæ non poſſunt eſſe vna. Si autem parallelæ duæ maneant lineæ, quod ex duabus cōſtat, erit maius vna. Si autem quod fit ex duabus, erit maius vna linea, habebit vtraque earum latitudinem, quæ locata cum altera facit magis ſpatium. & ita non eſt linea longitudo carens latitudine. aut ſi eſt, labefactari oportebit euidentiam, vt oſtendimus. Atque in primis quidem hæc ſunt dicenda ad ea quæ conſtituunt Mathematici de corporibus & finibus. Tranſeuntes autem conſequēter conſideremus an ex illorum ipſorum poſitionibus poſſit procedere oratio. Placet ergo Geometris rectam lineam omnibus ſuis partibus conuerſam deſcribere circulum. Statim autem cum hac eorum contemplatione pugnat quòd linea ſit longitudo expers latitudinis: nam quandoquidem quælibet pars lineæ, vt dicunt, habet ſignum. Signum autem conuerſum deſcribit circulum, quando recta linea conuerſa, & omnibus ſuis partibus circulum deſcribens, metitur ſpatium ſuperficiei quę eſt à centro vſque ad extremam circunferentiam, tunc aut ſunt continentes paralleli circuli, aut inter ſe diſtant altera ab altera. Vtrumuis autem eorum dicant Geometræ, in eandem incident ferè dubitationē. Nam ſi inter ſe diſtant & ſunt diſiunctæ, erit aliqua pars ſuperficiei quæ non deſcribitur in orbem: & lineæ pars quæ non deſcribit, quæ locata eſt in hoc ſpatio ſuperficiei. hoc autem eſt abſurdum. Linea enim omnino habet ſignum in hac parte. & ſignum in ea conuerſum, deſcribit circulum. Nam vel non habere lineam ſignum in aliqua ſui parte, vel ſignum conuerſum non deſcribere circulum, eſt præter rationem geometricam. Si autem continui ſunt circuli, ſunt ita continui vt locētur in eodem loco, vel vt alius intelligatur iuxta alium, cùm non poſſit aliquod ſignum intermedium incurrere. Incidēs enim debet circulum deſcribere. Et ſi eundem quidem tenent locum, omnes fient vnus: & propterea maximus circulus non differet à minimo. Si enim intimus quidem circulus & qui eſt ad centrum, eſt minimus: extremus autem & qui eſt ad ſuperficiem, eſt maximus, omnes autem tenent eundem locum, erit minimus circulus æqualis maximo. quod quidē eſt abſurdum. Si autem ſiti ſunt inter ſe alter iuxta alterum, ita vt nō inter-

Rectam lineā omnibus ſuis partibus conuerſam deſcribere circulum, vt volunt Geometræ, non poteſt procedere.

intermedium incurrat aliquod ſignum, ſuperficiei complēt latitudinem, quæ eſt à centro ad vltimam circunferentiam. Quoniam ergo quod complet latitudinem, latitudinem habet neceſſariò, circuli qui complent latitudinem ſuperficiei, habebunt latitudinem. circuli autem ſunt lineæ. Non ſunt ergo lineæ expertes latitudinis. Licet autem vi eadem ſimilem componere demonſtrationem. Dicunt enim Geometræ rectam circulum deſcribentem per ſe conuerſam deſcribere circulum. Quamobrem dicemus eos interrogantes, Si recta deſcribens circulum, ſuum circulum deſcribit, non eſt linea longitudo expers latitudinis. Recta autem quæ circulum deſcribit, vt ipſi volunt, per ſe deſcribit circulum. Non eſt ergo linea longitudo expers latitudinis. Quando enim recta à centro ducta vertitur, & per ſe deſcribit circulum, aut per omnes partes internæ latitudinis circunferentiæ fertur recta linea, aut per aliquas quidem fertur, per aliquas verò minimè. Sed ſi per aliquas quidem fertur, per aliquas verò minimè, omnino non deſcribit circulum, vt quæ feratur per aliquas quidem partes ſuperficiei, per aliquas verò non feratur. Sin autem fertur per omnes, dimetietur totam latitudinem internæ circunferentiæ. Dimetiens autem latitudinem, habebit latitudinem. Quod enim dimetitur latitudinem, habet latitudinem qua dimetitur. Nec propterea ergo dicendum eſt lineam eſſe longitudinem expertem latitudinis. Hoc autem fit etiam manifeſtius, quando dicunt Geometræ lineam obliquam deductam per latus quadrati, per ſe dimetiri planiciem parallelogrammam. Nam ſi linea eſt longitudo carens latitudine, omnino latus quoque quadrati cùm ſit linea carens latitudine, non dimetietur planiciem parallelogrammam, quæ habet latitudinem. aut id dimetiens, habebit ipſa quoque latitudinem qua dimetitur. Quamobrem aut erit eis falſa contemplatio, aut quòd linea eſt longitudo carens latitudine. Dicunt quoque Cylindrum recta linea tangere ſuperficiem: & euolutum per aliarum & aliarum rectarum quæ fit viciſſim poſiturā dimetiri ſuperficiem. & ſuperficies omnino conſtat ex rectis lineis. & ſuperficies Cylindri rurſus eſt ex rectis. Quoniam ergo ſuperficies habet latitudinem, habet autem ſuperficies quoque Cylindri: quod autem complet latitudinem, non eſt expers latitudinis, lineæ complentes latitudinem, non erunt expertes latitudinis. Præterea etiamſi dederimus lineam eſſe longitudinem expertem latitudinis, nihilominus dubia & inexplicabilis inuenietur Geometris de corpore oratio. Quomodo enim ſignum

Rectam circulum deſcribentem per ſe conuerſam deſcribere circulum, arguit lineam non carere latitudine.

Lineam obliquam deductā per latus quadrati, per ſe dimetiri planiciē parallelogrammam, arguit lineam non eſſe expertem latitudinis.

Ex cylindro probatur lineā non carere latitudine.

Ex superficie probatur non esse corpus.

fluens efficit lineam, ita etiam linea fluens efficit superficiem, quę est finis corporis, duo habēs disiuncta interualla seu dimensiones, nempe longitudinem & latitudinem. Quoniam ergo superficies est finis corporis, omnino corpus est finitum. Si autem ita est, quando corpus additur corpori, tunc aut fines tanguntur à finibus: aut finita à finitis: aut & finita à finitis, & fines à finibus: vt, erit enim clarum exemplo quod dicitur, si intellexerimus finem quidem testam quæ est extra amphoram: finitum autem, vinum quod est in amphora: duobus sibi inter se additis amphoris, aut testa tanget testam, aut vinum tanget vinum. Et si fines quidem tanguntut à finibus, finita se inter se non tangēt, nempe corpora. quod quidem est absurdum. Si autē finita tanguntur à finitis, nempe corpora à corporibus, oportebit ea esse extra suos fines. quod rursus est absurdum. Si autem & fines tanguntur à finibus, & finita à finitis, concurrent dubitationes. Nam quatenus quidem fines se inter se tangunt, finita se inter se non tangent. Quatenus autem ipsa se inter se tangunt, erunt extra suos fines. Præterea si superficies est finis, corpus autem finitum: aut corpus est superficies, aut res incorporea. Et si est quidem corpus, falsum est esse profundi expertem superficiem. Omne enim corpus est particeps profundi. Deinde nec aliquid tanget finis, sed erit omne corpus infinitæ magnitudinis. Si enim superficies est corpus: quoniam omne corpus habet finem: & ille finis rursus cùm sit corpus, habebit finem: & ille tertium, & tertius quartum, & sic in infinitum. Si est autem superficies incorporea: quoniā incorporeum nihil potest tangere, nec ab aliquo tangi, fines se inter se non tangent. Eis autem non tangentibus, neque finita tangent. Quamobrem etiam si recesserimus à linea, de superficie quoque oratio cùm sit infinita, deducit nos ad sustinendam assensionem. Atque nunc quidem quæsiuimus, hærentes notionibus corporis & finium, & præterea geometricis cōtemplationibus. Licet autem illam quoque sumere orationem quæ fortiter colligit propositum. Si est enim aliquod corpus, aut est sensile, aut cadit sub intelligentiam. Et non est quidem sensile. est enim accumulata qualitas quæ sumitur ex compositione figuræ & magnitudinis & resistentiæ. Qualitas autē quæ sumitur ex aliquorum compositione, non est sensilis. Ergo & corpus quod intelligitur vt corpus, non est sensile. Sed neque cadit sub intelligentiam. Nam vt sit intelligentia corporis, oportet in rerum natura poni aliquid sensile, à quo fiet intelligentia corporis. Nihil est autē in rerum

Corpus nō est sensile.

Corpus nō est intelligibile.

natura præter corpus & incorporeum. Ex quibus, incorporeum quidem ex seipso cadit sub intelligentiam: corpus autem non est sensile, vt à nobis est ostensum. Cùm ergo in rerum natura non sit quidquam sensile ex quo sit intelligentia corporis, nec sub intelligentiã quidem cadet corpus. Si ergo neque est sensile, neque cadit sub intelligentiam: præter hęc autem nihil est: dicendum est nihil esse corpus. Sed quoniam in his oratio de corporibus ostensa est dubia & cuius exitus non potest facilè inueniri, tentabimus ab alio docere principio, quòd de incorporeis quoque quæ restant oratio est eis similis.

Sexti Empirici liber nonus,

In quo tractat De loco. De motu. De tempore. De numero. De ortu & interitu.

IIS DVBITATIONIBVS, quæ à nobis motæ sunt aduersus Physicos & Geometras de corpore & finibus, consequens esse videtur de loco inquisitio. Apud omnes enim conuenit, quòd corpus vel comprehenditur in loco, vel fertur per locum. Quamobrem priùs sumendum est, quòd ex sententia Epicuri, non tactilis quæ vocatur naturæ, alia quidem appellatur inane, alia verò locus, alia verò regio, pro variis applicationibus mutatis & variè sumptis nominibus. quandoquidem eadem natura, ab omni quidem corpore deserta, appellatur inane: si autem à corpore comprehendatur, locus: corporibus autem per eam transeuntibus, χώρα, id est regio. Communiter quidem certè apud Epicurum dicta est natura non tactilis, propterea quòd sit tactu priuata per antiphrasin. Stoici autem dicunt inane quidem esse, quod ab eo quod est potest detineri, non autem detinetur: aut spatium à corpore desertum, aut spatium quod non continetur à corpore. Locum autẽ qui detinetur à corpore, & æquatur ei quod ipsum continet, quod nunc est vocantes corpus, vt est perspicuum ex nominum trãsmutationibus. χώραν autem seu regionem dicunt esse spatium quod in aliquo quidem tenetur, in aliquo autem non tenetur. Alij autem dixerunt regionem esse locum maioris corporis: vt hac quidem ratione locus differat à loco, quòd ille quidem non ostendat magnitudinem corporis quod in ipso continetur. Nam etiamsi minimum corpus contineat, nihilominus appellatur locus: hæc verò, nempe regio, ostendat non parui faciendam magni-

ἀναφῆς.

Inane, natura ab omni corpore deserta.

Locus, natura à corpore comprehensa.

χώρα ἀπὸ τοῦ χωρεῖν.

Regio, natura per quam transeunt corpora.

Inane quomodo definiatur à Stoicis.

Locus quomodo definiatur à Stoicis.

Regionẽ seu χώραν quid vocent Stoici.

magnitudinem corporis quod est in ipsa. Atq; de inani quidem vatiè quæsiuimus quando tractauimus de elementis: nec necesse est in præsentia eadem repetere. De loco autem & de coniuncta regione, quæ ipsa quoque locus est genere, considerabimus in præsentia. Simul enim cũ iis quæ sunt euidentiora, & de quibus ferè constat apud omnes, dubitabitur etiam de considetatione inanis, quatenus de te minus certa & magis obscura procedit.

De loco.

De loco declarata intelligentia, & de rebus quæ ei sunt coniugata, restat, vt mos est Scepticis, mouere rationes quæ vtrinque afferuntur, & quæ propter eas inducitur corroborare assensionis cohibitionem.

Locum esse probatur à partibus loci.

Quoniam ergo sunt suprà & infrà, & ad dextram & sinistrã, & antè & ponè, est aliquis locus. Sunt enim partes quæ sunt ex ipso loco extensiones. neque fieri potest vt si sit aliqua ex partibus, non illud quoque sit cuius sunt partes. Sunt autem in rerum natura suprà & infrà, & dextera & sinistra, & antè & ponè. est ergo locus, Verùm

Locum esse probatur ex eo quòd in locum eius qui fuit succedat alius.

enimuero si vbi erat Socrates nunc est alius, vt Plato mortuo Soctate, est ergo locus. Quomodo enim humore exinanito qui erat in amphora, & alio infuso, dicimus amphoram esse locum & prioris humoris & eius qui postea fuit immissus: ita si quem locum tenebat Socrates cùm viueret, eum nunc tenet alius, est aliquis locus. Et aliter:

Locum esse probatur à corpore quod est in loco.

Si est aliquod corpus, est & locus. Atqui est primum, ergo & secundum.

Locum esse probatur ex eo quod est proprius locus eius quod est graue, & eius quod est leue.

Ad hæc accedit, quòd si quò leue fertur natura, illuc graue natura non fertur, est proprius locus eius quod est leue & eius quod est graue. Atqui primum. ergo etiam secundum. Ignis quidem certè, cùm sit natura leuis, sursum fertur: & aqua, cùm sit grauis natuta, deorsum tendit. & neque ignis deorsum fertur: neque aqua sursum emicat & extollitur. Est ergo proprius locus & eius quod est natura leue, & eius quod est graue natura.

Locũ esse probatur, quòd sit & id ex quo, & id à quo, et id propter quid, & id in quo fit aliquid.

Et quomodo si est id ex quo fit aliquid, & id à quo fit aliquid, & id propter quod: ita etiam fuerit id in quo fit aliquid. Est autem id ex quo fit aliquid, vt materia: & id à quo, vt causa: & id propter quod, vt finis. Est ergo etiam illud in quo fit aliquid, hoc est locus. Veteresque qui rerum vniuersitatem eleganter descripsere versibus, posuerunt locum vniuersorum principium. Hinc motus exclamauit Hesiodus:

Hesiodus in Theogonia.

" *Exortum chaos est primum, dehinc pectore lata*
" *Tellus, cunctarum sedes amplissima rerum.*

Chaos

Chaos dicens locum qui omnia continet. Nam nisi is fuerit subiectus, neque rerra, neque aqua, neque reliqua elementa, nec vniuersus mundus poterit consistere. Quòd si eriam cogirarione omnia sustulerimus, locus minimè rolletur, in quo sunr omnia, sed manebit tres habens dimensiones & interualla, longitudinem, profundirarem, lâritudinē, absque resistentia. hoc enim est proprium corporis. Aliaq; huiusmodi solenr recensere Dogmatici Philosophi ad constituendā ac confirmandam loci essentiam. Omnia autem magis quàm hoc possunr facere. A partibus enim loci hoc velle colligere quòd sir locus, est planè puerile. Qui enim non dat eis esse totum, is neque partes concedet rotius. Er alioqui quoniam alicuius partes sunr illud ipsum cuius sunr partes poteſtate, qui dicir, Si sunt parres loci, est locus, perinde est ac si dicar, Si est locus, est locus. hoc autem est absurdum. Id enim quod quæritur, ad probandum assumptum est perinde ac si de illo non quæreretur. Idem dicendum est etiam, quando ex eo, quòd in quo erat Socrares, in eo nunc sit Plaro, colligunt loci essentiam. Nobis enim quærētibus an aliquid sir locus in quo est corpus, differens ab eo corpore in quo dicitur comprehendi, illi, ranquam de eo nobis constaret, respondenr Socrarem fuisse in loco, & in eo nunc contineri Platonem. Nam quòd simpliciter quidem dicamus aliquem esse Alexandriæ, & in gymnasio, & in schola, inter nos conuenit. sed à nobis consideratur non de loco qui largè dicitur, sed de loco qui circunscribit, síme an solùm cogitetur. & si sit, cuiusmodi sit narura, résne corporea an incorporea, & in loco comprehensa, an non. Quorum nihil poterunr ostendere qui prius dictis vtunrur admonitionibus. Neque datur esse natura corpus leue, vt feratur in locum proprium. Sed & quod videtur esse eiusmodi, ab aliqua alia & coacta causa ad quædā loca protrudirur. Deinde eriam si datum fuerir esse natura leue, & natura graue, rursus nihilominus dubitabitur ad quídnam feratur, num ad aliquod corpus, an ad inane, an ad finem, an ad aliquid aliud particeps diuersæ naturæ. At, inquiunt, si est id ex quo, & id à quo, & id propter quod, fuerit etiam id in quo. Non omnino, dicemus. Nam si dubitarur de eo ex quo fit aliquid, hoc est de patiēte, & de eo à quo, nempe de causa, & in summa de eo quod est oriri & interire, aur communius moueri, necesse est vr simul sit dubitatum de eo in quo est. Quòd aurem de his sir dubitatum, prius quoque ostendimus, cùm disceprarremus de efficiente & patiente, & postea docebimus, De ortu & inreritu, & anre ea adhuc

Locus qui omnia continet, dicitur Chaos.

Locus remanet sublato corpore.

A loci partibus probare locum est puerile.

Locus nō probatur à corpore quod in eo esse dicitur.

Locus est qui largè dicitur, & locus est qui circunscribit.

Locus nō probatur ab eo quod est naturale leue & natura graue.

De eo in quo dubitatur vt de eo ex quo, & à quo, & propter quid.

huc de motu considerantes. Nam qui dixit,

„ *Exortum chaos est primum, dein pectore lata*
„ *Tellus, cunctarum sedes amplissima rerum,*

ex seipso euertitur. Nam si quispiam eum roget ex quo ortum sit chaos, non poterit dicere. Idque nonnulli dicunt fuisse causam Epicuro cur se contulerit ad Philosophiam. Nam cùm esset adhuc adolescens, rogauit Grammaticum qui ei legebat, Exortum chaos est primum, ex quónam ortum esset chaos, si quidem ortum esset primum. Cùm is autem dixisset, non esse suum munus ea docere, sed eorum qui vocantur Philosophi, Ergo, intulit Epicurus, ad illos est mihi accedendum, siquidem sciunt rerum veritatem. Sed quòd nihil quidem dicatur quòd pertineat ad probandum quòd sit locus, ex his iam est euidens. Eis autem sunt adiungenda & quæ dicuntur à Scepticis. Nam si est aliquis locus qui suscipiat corpus, is est aut corpus, aut inane. Et corpus quidem non est locus qui suscipit corpus. Nam si omne corpus debet esse in loco: locus autem est corpus: erit locus in loco. & ille rursus in tertio, & tertius in quarto, & sic in infinitum. Non est ergo corpus locus qui suscipit corpus. Si autem est inane locus qui suscipit corpus: aut manet hoc inane, ipsum ingrediente corpore: & erit simul inane & plenum. quatenus quidem manet, inane: quatenus autem suscipit corpus, plenum. Incogitabile autem est idem dicere inane & plenum. Non manet ergo inane corpore ipsum ingrediente. Si autem abscedit inane, inane erit corpus. Quod enim locum loco commutat, est corpus. Inane autem non est corpus. quamobrem non recedit, ipsum subeunte corpore. Alioqui si recedit adueniente corpore, nequaquam suscipiet corpus. quod ipsum quoque est absurdum. Restat ergo vt dicatur inane interire. quod rursus non potest fieri. Nam si interit, est in mutatione & motu. & si interit, in ipsum cadit ortus & generatio. Quod autem est in mutatione & motu, est corpus in quod cadit ortus & interitus. quamobrem nec interit inane. Et sic, si neque locus est corpus, vt ostendimus: neque inane, vt admonuimus: non fuerit vllus locus. Ad hæc accedit, quòd si locus intelligitur comprehendere corpus: id autem quod continet, est extra id quod cõtinetur: necessariò si est locus, necessariò debet locus esse aliquid ex iis quorum aliud quidem est materia, aliud verò forma, aliud autem interuallum intermedium inter extremos fines corporis: fines autem sunt extrema. Atque materia quidem non fuerit locus multis modis, vtpote quoniam ipsa quidem est

Epicurus se contulit ad Philosophiā, quòd rogatus Grammaticus nō potuerit dicere ex quo natum sit chaos.

Locus non est corpus.

Locus non est inane.

Locus non est materia.

est corpore prædita, locus verò non est corpore præditus. Et materia quidem transit à loco in locum, locus autem nō transit. Et in materia quidem dicimus quòd prius quidem erat aër: nunc autem condensata facta est aqua. aut contrà, prius quidem erat aqua, nunc autē attenuata facta est aër. In loco autem non hoc dicimus: sed quòd pridem in eo fuit aër: nunc autem in ipso est aqua. Non potest ergo locus intelligi materia. Sed neque forma. est enim forma inseparabilis à materia: vt in statua, est inseparabilis ab ære subiecto. Locus autem separatur à corpore. Illud enim trāsit & migrat in alterum locum, non simul cum eo transeunte loco in quo cōtinebatur. Quamobrem si forma quidem separari non potest à materia: locus autem ab ea separatur: locus minimè erit forma. Et rursus forma quidem simul transit cum materia: locus autem, vt prius dixi, non simul transit cum corpore. ergo nec locus est forma. Similiter nec interuallum quod intercedit inter fines. Id enim continetur à finibus. Locus autem non vult contineri ab aliquo, sed alia continere. Deinde superficies est finis corporis. Interuallum autē quod est post superficiem, non est aliud quàm finitum corpus. Si autē locum esse dicimus quod intercedit inter corpora finita, erit locus corpus. quod quidē est absurdum. Restat ergo vt dicatur quòd extremi fines corporis sunt locus. quod ipsum quoque non potest fieri, quoniam extrema quidem corporis sunt & eius partes, & ab eo non possunt separari. Locus autem neque est continens corpori, neque pars eius, neque inseparabilis à corpore. Neque ergo extrema corporum sunt locus. Si ergo locus neque est materia, neque forma, neque interuallum intercedens inter fines, neque ipsi fines corporis: præter hæc autem nihil aliud potest cogitari: dicendum est nihil esse locum. Imò verò, inquiunt Peripatetici, locus est finis corporis continentis. Nam cùm terra contineatur aqua, & aqua contineatur aëre, & aër igne, & ignis cœlo: quomodo finis vasis est locus corporis quod est in vase: ita etiam finis aquæ est locus terræ, & finis aëris est locus aquæ, & finis ignis erit finis aëris, & finis cœli erit locus ignis. Ipsum verò cœlū, vt sentit Aristoteles, non est vtique in loco, sed ipsum in seipso & sua proprietate. Nam quoniam locus est extremus finis corporis continentis: extra cœlum, ex illius Philosophi sententia, nihil est: vt huius quoq; finis sit locus cœli, necesse est cœlum quoque, vt quod à nullo contineatur, esse in seipso, & contineri à propriis finibus, non autem esse in loco. Vnde nec alicubi est cœlum. Nā quod est alicubi, est &

Locus non est forma.

Locus non est interuallum quod intercedit inter fines.

Locus nō sunt extremi fines corporis.

Locus quid sit secundum Peripateticos.

Cœlum nō est in loco, sed ipsū in seipso.

eſt & ipſum illud, & diuerſum ab illo vbi eſt. Cœlum autem nihil habet alterum extrinſecus præter ſeipſum. Quamobrem cùm ipſum ſit in ſeipſo, nuſquam erit. Quod attinet autem ad ea quæ dicuntur à

Deus ſitne finis cœli.

Peripateticis, primus Deus venit in periculum ne ſit finis cœli. Aut ergo Deus erit aliquid aliud quàm finis cœleſtis: aut erit aliquid aliud extra cœlum, & erit eius finis locus cœli. & ea ratione dabunt Ariſtotelici cœlum comprehēdi in loco. quod quidem non patientur, vtrique horum reſiſtentes, nempe & quòd ſit aliquid extra cœlum, & quòd cœlum extrà contineatur. Si autē Deus idem eſt quod finis cœleſtis: quoniam finis cœli eſt locus omnium quæ ſunt in cœ-

Deus ſitne omnium locus.

Locus qui eſt finis corporis, nec eſt corpus, nec res incorporea.

lo: erit ex ſententia Ariſtotelis Deus omnium locus. quod & per ſe eſt abſurdum. Et in ſumma ſi finis corporis quod continet, eſt locus eius quod continetur, hic finis aut eſt corpus, aut res incorporea. Et ſi eſt quidem corpus: quoniam omne corpus debet eſſe in loco: erit locus in loco. Sin autem finis continentis corporis eſt incorporeus: quoniam cuiuſuis corporis finis eſt ſuperficies: vniuſcuiuſque corporis locus erit ſuperficies. quod quidem eſt abſurdum. In ſumma autē

Cœlum eſſe ſui ipſius locū, eſt ridiculum.

quemadmodum nō eſt ridiculum dicere cœlum eſſe ipſum ſui ipſius locum? Ita enim erit idem & id in quo eſt, & id quod in ipſo eſt, & idem vnum & duo, corpus & incorporeum. Nam quatenus quidem idem eſt, vnum erit. quatenus autem continens & quod continetur, erunt duo. Et quatenus quidem continetur, corpus. quatenus autem continens, incorporeum. locus enim eſt. Non poteſt autem idem cogitari ſimul vnum & duo, & corpus & incorporeum. Nec in hac ergo intelligentia rectè procedit loci comprehenſio. Sed quoniam eum ſuſtulimus, videamus deinceps an poſſit aliquid ex iis quæ ſunt, moueri per locum.

An ſit motus.

DICEBAT quidem Ariſtoteles eſſe ſex ſpecies motus. Ex quibus vnam quidem eſſe tranſitum per locum: aliam verò, mutationē: aliam verò, generationem: aliam autem, interitum: aliam autem, diminutionem. Plures autem in quibus eſt etiam AEneſidemus, duplicem relinquunt in ſummo motum: vnum quidem, mutationis: alterum verò, tranſitus. Ex quibus, motus quidem mutationis, eſt per

Motus mutationis quid ſit.

quem corpus in eadem manēs eſſentia, aliàs aliam ſuſcipit qualitatē: & aliam quidem relinquit, aliam verò accipit. quod quidem fit in vino mutato in acetum: & in vua quæ ex acerbo mutatur in dulcem ſaporem:

porem:& in Chamęleone qui in diuersos mutatur colores:& in Polypo. Vnde & ortum & interitum & augmentum & præterea diminutionem dicunt esse in specie mutationes, quas dicunt se etiã subiicere motui mutationis. nisi quispiam dixerit augmentum pertinere ad motum transitus, vt qui procedat à corporibus in longitudinem & latitudinem. Motus autem transitus, est per quem id quod mouetur transit de loco ad locum, aut totum, aut in parte. Totum quidem, vt cernimus in iis qui rotantur seu voluuntur, & in iis qui ambulant. In parte autem, vt in manu quæ extenditur & contrahitur: aut in partibus sphæræ quæ circa centrum circumagitur. ea enim tota manente in eodem loco, partes mutant loca. Nam quæ erat prius infrà, fit suprà:& quæ suprà, infrà:& quæ antè, ponè. Quanquam nonnulli ex Physicis, ex quibus est etiam Epicurus, motum mutationis dixerunt esse speciem motus transitus. Compositum enim seu concretum quod mutatur in qualitate, mutatur motu loci & transitus corporum quæ faciunt concrescere, quæ quidem ipsa ratione cadunt sub contemplationem: vt, exempli causa, vt ex dulci fiat aliquid amarum, aut ex albo nigrum, oportet massam quæ ipsum constituit transmutari, & alium pro alio ordinem suscipere. Hoc autem non aliter euenerit, nisi massa illa per transitum moueatur. Et rursus vt ex duro fiat molle, aut ex molli durum, oportet eas ex quibus constant partes in loco moueri. Nam earum quidem extensione molliuntur: coitione autem & condensatione indurantur. Quò fit vt motus mutationis non sit genere alius à motu transitus. Quamobrẽ nos aduersus eum nostras maximè dirigemus dubitationes. Nam si is tollatur, peribit etiam motus mutationis. Antequam autem dubitemus, sciendum est tres ad summum fuisse sectas de motu. Nam alij quidem dicunt esse motum: alij verò non esse: alij autem non magis esse quàm non esse. Et esse quidem & Bias attẽdens ea quæ cernuntur, & complures ex Physicis, vt Pythagoras, Empedocles & Anaxagoras, Democritusque & Epicurus, quorum sententiæ subscripserunt Peripatetici & Stoici & alij permulti. Non esse autem, Parmenides & Melissus, quos Aristoteles vocauit Statorios, & non physicos. Statorios quidem, à statione: non physicos autem, id est, non naturales, quoniam natura est principium motus, quem sustulerunt dicentes nihil moueri. Nã quod mouetur, debet aliquod spatium cõficere. Quoduis autem spatium non potest confici, propterea quòd suscipiat sectionem in infinitum. Quamobrem nihil erit quod moueatur. Cum

Motui mutationis subiiciũt quidam ortum & interitum, augmentum et diminutionem.

Motus transitus quid sit.

Motum mutationis Epicurus dixit esse motum transitus.

De motu tres fuerunt sectæ.

Motum esse qui Philosophi senserint.

Motum non esse quinam senserint Philosophi.

iis autem viris conuenit Diodorus Cronus, nisi ex eius sententia dicendum sit, motum quidem fuisse aliquid, moueri autē nihil, vt procedente docebimus oratione, quando eius sectam considerabimus accuratius. In præsentia autem sufficit hoc scire, quòd ipse quoque in eadē est sententia in qua qui motum sustulerunt. Non magis autem esse motum quàm non esse, dixerunt Sceptici. Nam quod attinet quidem ad ea quæ apparent, motum esse aliquid: quod autem ad philosophicam attinet rationem, non esse. Talis quidem est & quæ in loco est statio, post quam, ad hoc quòd non sit motus, argumētantes primas afferemus obiectiones, sequentes notionē motus. Nonnulli ergo dicunt motum definientes: Motus est transitus à loco ad locum. Aduersus quos dicitur, quòd definierunt quidem motum qui rectà fertur, nempe eum qui fertur suprà aut infrà, aut antè aut ponè, aut dextrorsum aut sinistrorsum: motum autem qui fertur in orbem prætermiserunt, vt per quem figuli rota vertitur, & sphæra centris circumagitur. Similiter autem & axes & tympana. Vnumquodque enim eorum quę sic mouentur corporum, non transit à loco in locū, sed mouetur manens in eodem loco. Vnde quidam fugientes hanc obiectionem, corrigunt expositam definitionem, & dicunt: Motus est transitus à loco in locum, aut totius corporis, aut partium totius. Nam & qui in ambulando mouetur, per totum mouetur à loco ad locum: & sphæra quæ centris circumagitur, tota quidem non transit à loco ad locum, sed loca transit per partes: & dum ea vertitur, pars quidem superior apprehendit locum inferiorē: inferior autem transit ad superiorem, & vicissim in reliquis. Et ideo dicunt dicendum esse, motum esse transitum ab aliquo loco ad locum, aut toto corpore moto, aut totius partibus. Ii autem volentes effugere dictam dubitationem, inciderunt in aliam. Nō enim quidquid mouetur, transeundo transit à loco ad locum, aut per totum aut per partes: sed sunt quædam corpora quæ transeundo mouentur, quæ quidem aliquibus partibus mouentur in eodem loco manentia: aliquibus autem non manentia in eodem loco, sed alium & alium apprehendentia, vt licet videre in Cancro qui circulum describit, & in ostio quod aperitur & clauditur. Nam in cancro quidem cernitur quæ centro appensa est antenna, tali, inquam, pars superior, verti in eodem loco, exterior autē circumagi & in orbem ferri, ab alio ad alium locum transiens. In ostio autem quod clauditur & aperitur, cardo quidem qui in concauo fert opem, vertitur in eodem loco: pars autem ostij quæ

Motum non magis esse quā nō esse sentiūt Sceptici.

Motus quid sit.

Motus alia definitio.

Cancri motus. γερρῖα

Ostij motus. ὀλμίσκος

ei ex aduerſo ſita eſt, ſubit loca differentia: & alium quidem locum relinquit, alium verò apprehendit. Atque hi quidem motus exciderunt à definitione. Eſt autem alius quoque magis admirabilis tranſeundi modus, in quo quod mouetur, neque in toto, neque in parte intelligitur excedere ab eo in quo eſt loco, qui ipſe quoque excidit à definitione, vt per ſe patet. Erit autem eius proprietas euidentior, ſi exemplo oſtenderimus noſtram opinionem. Si ponatur quiſpiam, cùm ſecundo curſu fertur nauis, à prora ad puppim rectam transferre trabē, & pari qua nauis ferri celeritate, adeò vt quo tempore ipſa conficit anterius ſpatium vnius cubiti, pari etiam is qui in ipſa mouetur, ponè tranſeat ſpatium vnius cubiti, omnino ex hac poſitione erit quidem tranſeundi motus: ſed neque totum quod mouetur excedet ex eo in quo eſt loco, neque in parte. Nam qui mouetur in naue, manet in eodem perpendiculo aëris & aquæ, propterea quòd quantum videtur ponè progredi, tantum trahatur anterius. Poteſt ergo aliquid tranſeundo moueri, quod neque in toto neque in parte excedit ab eo loco in quo eſt. Atque hæc quidem videntur eſſe eiuſmodi.

Motus admirabilis eius qui in naue quæ fertur à prora ad puppim fert aliquid.

Licet autem aliter quoque dubitare aduerſus eos qui ſic definiunt motum tranſitus. Nam ſi intellexerimus aliquod corpus indiuiduū & minimum verti in eodem loco, nempe in orbem, erit quidem aliquis tranſeūndi motus: ſed neque in toto excedet quod mouetur ab eo in quo eſt loco, neque in parte. Et in toto quidem, quoniam ponitur in eodem loco ferri in orbem: in parte autem, quoniam eſt indiuiduum, & caret partibus. Similiter autē & ſi compoſuerimus aliquam rectam lineam ex indiuiduis corporibus collocatis per ſeriē, & eam intellexerimus verti in eodem loco, ſicut axes: rurſus enim erit motus tranſitus. Sed neque tota recta excedet ex eo in quo eſt loco, mouetur enim ſolùm in orbem: neque per partes. Indiuiduorum enim corporum non ſunt partes. Sed has quidē repellent obiectiones ij, quibus nō placet eſſe aliqua indiuidua, & dicent hunc motum progredi vſque ad cogitationem: oportere autem eum examinari in corporibus quæ conſiſtant. Atque ij quidem ſic occurrent. Qui autem cenſent corpora eſſe indiuidua, & ſectionem corporum deſinere in minimum, nihil poterunt dicere aduerſus eas dubitationes. Verumenimuerò etiamſi ab his receſſerimus, inuenietur æquè potens oratio quæ probat non eſſe motum, & quæ eum eſſe oſtendit. Nam quòd ſit quidem motus, ſuffragatur euidentia. ſed de ea eſt quæſtio, quòd alij quidem dicunt motum ſenſu percipi: alij autem

Motus corporis minimi & indiuidui in eodem loco, nempe in orbē.

tur, aut ab alio. Sed nec à ſeipſo, vt oſtendemus: neque ab alio, vt explicabimus. Non ergo mouetur. Iam enim ſi quidquid mouetur, ab alio mouetur, aut ipſum conſequente eo quod mouetur, mouetur, aut non conſequente. Sed nec eo conſequente neque abſcedente mouetur, vt oſtendemus. Non ergo ab alio mouetur id quod mouetur. Si enim quod mouetur, mouetur ipſum ſimul ſequente eo quod mouet, oportet omnia ſimul ſequi vnumquodq; quod mouetur, cuiuſmodicunque ſit. Si enim, exempli gratia, vnumquodque ex viginti quatuor elementis mouetur ab alio, neceſſe eſt vt A quod mouetur à B, ſimul ſequantur reliqua. quandoquidem vt B ſequitur A mouens, ita etiam C ſequetur B, cùm ipſum moueat: & D ſequetur C, & vſque ad vltimum. Igitur in mundi quoque rebus, ſi vnumquodque eorum quæ mouētur, debet habere ſimul ſequens id quod mouet: vnum quod mouetur, ſimul ſequentur omnia. Abſurdū eſt autē dicere, ſi vnum moueatur, moueri omnia. Non ergo id quod mouetur ſequitur id quod mouet. Si autem ab eo ſeparatur, vt manus recedit à globo qui vibratur, neceſſe eſt vt quod mouetur, aliquo modo paſſum & affectum ab eo quod mouet, ſuum efficiat motum. Quoniam ergo quod patitur, ſua natura non aliter patitur niſi per additionem aut ablationem aut mutationem, oportebit etiam id quod mouetur, paſſum aliquid ex iis moueri ab eo quod mouetur: vtpote quod ſi nihil horum ſit paſſum, ſeparato eo quod mouet ſit ſtaturum. Oſtendimus autem de ablatione & additione & mutatione orationem eſſe dubiam & inexplicabilem. Quamobrē nec ſi recedat quidem quod mouet, mouebitur quod mouetur. Et aliter. Si per ablationem aut per additionem aut per mutationem paſſum mouetur id quod mouetur, atomi non mouebuntur, propterea quòd neque additionem, neque ablationē, neque mutationem ſuſcipiant. Ergo neque ab altero mouetur quod mouetur. Si enim vt ab altero moueatur, oportet ipſum moueri illo ipſum ſimul ſequente: oſtenſum eſt autem vtrunque non poſſe fieri: dicendum eſt non moueri ab altero. Præterea ſi quidquid mouetur, ab aliquo alio mouetur, aut quod mouet ipſum mouetur, aut non mouetur. Et fieri quidem non poteſt vt non moueatur. Nam quod mouet, aliquid agit: quod autē agit, mouetur. Id ergo quod mouet, mouetur. Si autem mouetur: quoniam quidquid mouetur, ab aliquo alio mouetur: oportebit etiā quod mouetur, moueri ab aliquo tertio: & tertium à quarto: & quartum à quinto: & ſic eſt infinitum. Quo fit vt motus ſit ſine principio.

Quod mouetur, ab alio nō mouetur.

Quod mouetur, ſuum efficit motum aliquo modo affectum & paſſum ab eo quod mouet.

Quod mouetur, à seipso nō mouetur.

quod quidem est absurdum. Non ergo quod mouetur, mouetur ab alio. Sed nec ipsum à seipso mouebitur. Si enim est per se mobile, aut omni ex parte mobilem habet naturam, aut ad aliquod vsque spatium: vt in primis & elementaribus corporibus, quoniam disceptamus aduersus Physicos. Sed si omni quidem ex parte mobilem habet naturam, nō mouebitur. Neque enim sursum feretur, propterea quòd infernè mobilem habeat naturam: neque deorsum, propterea quòd supernè habeat mobilem: neque antè, propterea quòd retrorsum: neque ponè, propterea quòd anterius habeat mobilem. In reliquis quoque duobus interuallis seu dimensionibus eadem est ratio. Si autem ad aliquod interuallum seu dimensionem mobilem habet naturam: siquidem sursum, vt ignis & aër, omnia sursum mouebuntur. Sin autem deorsum solùm, vt terra & aqua, omnia tendent deorsum. Si verò aliqua quidem sursum mobilem habēt naturam, aliqua autem deorsum, non fiet concretum ac compositum ex corporibus quæ mouentur. Nam etsi à medio intelligantur mota corpora elementaria, tanquam ad fines, soluetur vniuersitas. Vtrunque enim ab altero separatum curret tanquam ad proprium motum: quód sursum quidem fertur, ad superiorem: quod autem deorsum fertur, ad inferiorem. Sin autem ponatur impulsum à medio tanquam ad finem, omnino aut per idem feretur perpendiculum, aut non per idem. Et si feratur quidem per idem, necessariò in se inuicem incurrent. & sic, cùm pares habeant vires, stabunt neutro vincēte, neque cōgente eo quod tendit infrà, neque eo quod suprà. Absurdum est autem dicere esse statum in iis quæ natura mouentur. Aut contrà si pares non habeant vires, ferentur in vnum solum locum: aut in superiorem, vincentibus iis quæ sursum tendunt: aut in inferiorem, superantibus iis quæ feruntur deorsum. Si autem non ferantur per idem perpendiculum, non coëunt. Non coëuntia autem, nec vllum efficient concretum ac compositum. hoc autem est absurdum. Ergo nec est per se mobile id quod mouetur. Rursus si est per se mobile id quod mouetur: quoniā quidquid mouet, aut protrudens mouet, aut attrahens, aut tanquam vecte pellens & premēs: oportebit etiam quod est per se mobile, cùm sit à se mobile, aut protrudendo mouere, aut attrahendo, aut tanquam vecte pellendo & premendo. Siue autem moueat protrudendo, erit post se. Nam quod protrudit, est post id quod protruditur. Si attrahendo, erit ante se. Siue tanquam vecte pellendo & premendo, erit sub se. Fieri autem non potest vt idem intelligatur

Status non est in iis quæ mouētur natura.

Quidquid mouet, aut trudens, aut trahens, aut tanquam vecte pellens mouet. ἀπωχλεῖν.

gatur

gatur ipſum eſſe aut poſt ſe, aut ante ſe, aut ſub ſe. Non eſt ergo per ſe mobile id quod mouetur. Si autē neque ab alio mouetur id quod mouetur, neque à ſeipſo: præter hæc autem nihil eſt: dicendum eſt non moueri id quod mouetur. Affertur autem alia quoque magni ponderis admonitio ad oſtendendum non eſſe motum, à Diodoro Crono, per quam oſtendit quòd nihil quidem mouetur, motum eſt autem. Et non moueri quidem, eſt hoc conſequens poſitioni indiuiduorum ex eius ſententia. Corpus enim indiuiduum debet contineri in loco indiuiduo, & ideo neque in ipſo moueri, eum enim impleuit. Oportet autem id quod eſt mouendum, habere locum maiorem. Neque in eo in quo non eſt. nondum enim eſt in illo vt etiam in ipſo moueatur. Quamobrem nec mouetur. Motum eſt autem, vt eſt conſentaneum. Nam quod prius in hoc loco conſiderabatur, hoc nunc conſideratur in alio loco. quod quidem non factum eſſet eo non moto. Atque is quidem volens opem ferre ſuo dogmati, admiſit aliquod abſurdum. Quemadmodum enim nō eſt abſurdum, dum nihil mouetur, dicere aliquid eſſe motum? Sceptici autem ex æquo dubitantes, & de eo quod eſt moueri, & de eo quod eſt motum eſſe, nihil admittent abſurdum, vt admiſit Diodorus. Cæterum iſte aberrantem interrogat orationem ad hoc quòd nihil moueatur, dicens: Si mouetur aliquid, aut in loco in quo eſt, mouetur, aut in quo non eſt. Sed non in eo in quo eſt: manet enim in ipſo: neque in eo in quo non eſt. non ergo mouetur aliquid. Et talis quidem eſt oratio. explicatio autē eius propoſitionum eſt euidens. Nam cùm duo ſint loca, quorum vnus quidem eſt is in quo eſt aliquid: ſecundus autē in quo non eſt: & præterea tertius ne poſſit quidē cogitari: oportet id quod mouetur, ſi re vera mouetur, in altero horum moueri. in eo enim qui ſub cogitationem non poteſt cadere, minimè mouebitur. Atque in eo quidē loco in quo eſt, non mouetur. eum enim impleuit, & quantum eſt in ipſo manet. In eo autem manens non mouetur. In quo autem non eſt, rurſus fieri non poteſt vt ipſum moueatur. Vbi enim nō eſt, illic neque quidquam poteſt agere nec pati, & ideo nec moueri. Et quomodo nō dixeris eum qui eſt Rhodi, moueri Athenis: ita nec communiter dixeris quoduis corpus in illo loco moueri in quo non eſt. Vnde ſi duo ſunt loca, nempe & is in quo eſt, & is in quo non eſt: oſtenſum eſt autem in neutro eorum poſſe moueri quod mouetur: non fuerit quod mouetur. Atque orationis quidem illius hæc eſt explicatio. A multis autem fuit variè contradictum, quorum obiectiones

Nihil mouetur, ſed motum eſt, vt vult Diodorus Cronus.

nes protinus exponemus. Et nonnulli quidem dicunt fieri nõ posse vt si sint vera præterita perfecta, sint falsa præterita imperfecta, sed ea esse vera: & si sint falsa, conuenienter falsa.

Si præterita perfecta sunt vera, vera sunt etiam imperfecta.

Nam cuius est aliquis finis, illud quoque est. & eius quod non est, non fuerit aliquis finis. Si autem imperfecti finis est perfectum, necesse est si sit perfectum quod est finis, esse etiam imperfectum, cuius id est finis. Et vt nihil est factum fuisse, quod est perfectum, si non sit verum fieri, quod est imperfectum: & quomodo nihil est interiisse, quod est perfectum, si non prius fuerit interire imperfectum: ita fieri nõ potest vt si non sit verum moueri, imperfectum, verum sit motum esse perfectum.

Mouetur aliquid in loco in quo cõtinetur.

Alij autem dicunt posse aliquid moueri in loco in quo continetur. Sphæræ enim quæ mouentur circa centra, & axes qui circumaguntur, & tympana, & rotæ figulorum, & alia plurima corpora iis similia, mouentur quidẽ, in eo autem in quo sunt loco mouentur. Quo fit vt vna pars orationis nõ sit falsa, moueri aliquid in eo in quo est loco.

Quod mouetur, intelligitur cum loco à quo mouetur, et cũ loco ad quem mouetur.

Alij autem dicunt orationem fuisse interrogatam præter notionem motus. Nam quod mouetur, intelligitur cum loco à quo mouetur, & loco ad quem mouetur. Quamobrem quando dicit Diodorus: Si mouetur aliquid, aut in eo in quo est loco mouetur, aut in eo in quo non est, infirmum quid dicit & præter intelligentiam motus, quandoquidem quod mouetur, neque in eo in quo est loco mouetur, neque in eo in quo non est, sed in vtrisque, nempe & in eo à quo mouetur, & eo ad quem.

In loco comprehendi duobus modis sumitur, nempe largè, & exactè.

Fuerunt etiam qui distinguebant ambiguitatem. In loco enim comprehendi, dicunt duo significare: Vnum quidem in loco largè, vt quando dicimus aliquem esse Alexandriæ: alterum autem in loco qui sumitur exactè & accuratè, qua ratione dici potest meus locus, aër qui circunscribit superficiem mei corporis. & amphora appellatur locus eius quod in ea continetur. Cùm autem duobus modis nunc dicatur locus, dicunt id quod mouetur, moueri posse in eo in quo est loco, qui largè habet spatium in quo fiet motus.

Oratio incipiens à disiuncto est infirma.

Existimarunt autem aliqui esse interminatam Diodori orationem, quoniam incipit quidem à disiuncto, id autẽ falsum reddit per ea quæ deinceps sequuntur, ostendens vtrunque eorum quæ sunt in ipso, esse falsum, nempe & moueri aliquid in eo in quo non est loco, & in eo in quo est.

Præterita perfecta possunt esse vera, etiã si sint imperfecta falsa.

Atque hæc quidẽ obiiciuntur aduersus eius orationem. Videtur autem Diodorus primæ statim occurrisse, docens quòd contingit etiamsi perfecta sint vera, imperfecta eorum esse falsa. Esto enim quòd vxorem duxerit aliquis ante annum, & alter post

annum.

annum. In iis ergo hoc pronunciatum, Isti vxorem duxerunt, cùm sit perfectum, est verum. hoc verò, vxorem ducunt: cùm sit imperfectũ, est falsum. Quando enim iste. vxorem ducebat, ille nondum ducebat: & quando ille vxorem ducebat, iste nondum ducebat. Tunc autem in eis verum esset quòd vxores ducant, si simul ducant. Potest ergo cùm perfectum sit verum, falsum esse eius imperfectum. Tale est illud quoque, Helena tres habebat maritos. Neq; enim quando Spartæ Menelaum habebat maritum: neque quãdo Paridem in Ilio: neque quando eo mortuo nupsit Deiphœbo, verum est imperfectũ, Tres habet maritos, cùm verum sit perfectum, Tres habuit maritos. Sophistam autẽ in his agit Diodorus, & vult nos fallere propter ambiguitatem.

Diodori Croni sophisma.

Illud enim, Isti vxores duxerunt, duo significat: vnum quidem plurale, & quod tantum valet ac, Isti simul vxores duxerunt, quod quidem est falsum. alterum autem quod est ex comprehensione rei singularis deductæ ab eo quod est, Iste vxorẽ duxit, & alterius singularis, nempe, Iste vxorem duxit. Quorum rursus singularium imperfecta sunt vera, nempe Iste vxorem ducit, & Iste vxorem ducit. In vtrisque enim ea fuerunt vera. Fieri ergo non potest, vt si sint falsa imperfecta, inueniãtur vera eorum perfecta. sed necesse vt simul tollantur, vel simul sint alia cum aliis.

Quorum singularium perfecta sunt vera, vera quoq; sunt imperfecta.

At, inquiunt, aduersus hanc positionẽ aliud quoque affert remedium Diodorus, exemplo vtẽs apertiori. Iaciatur enim, inquit, globus in superius tectum. Igitur interim dum iacitur, imperfectum quidem pronunciatum, Globus tangit tectum, est falsum. adhuc enim suprà fertur. Quando autem tectum tetigerit, verum est perfectum. Contingit ergo cùm falsum sit imperfectum, verum esse perfectum: & ideo non moueri quidem aliquid imperfectè: motum autem esse perfectè. Num autem hic quoq; fallitur? Imperfectum enim illud, Globus tangit tectum, est verum, nõ quando fertur globus in aëre intermedio, sed quando incipit tangere tectum. Quando autem tactu terminato redierit, tunc etiam perfectum est verum, nempe Globus tetigit tectum.

Globus tãgit tectum, & globus tetigit tectum, vtrũque est verum.

Ineptus est ergo Diodorus, qui ei quidem quod est Motum esse, adhæret tanquã vero, ab eo autem quod est moueri, recedit tanquam falso: cùm oporteat aut vtrique assentiri, aut ab vtroque recedere. Qui autẽ dicunt posse aliquid moueri in eo in quo est loco, & tum sphæras, tum axes, & tympana adducunt, non soluunt dubitationem, sed in ea inuoluuntur. Vnumquodque enim horum corporum, sicut superius ostendimus, per totum quidem manet in eodem loco: per partes autẽ mutat

Moueri aliquid in eo in quo est loco, sit ne verum in sphæris, axibus & tympanis.

loca, superiore quidem loco apprehendente locum inferiorem: inferiore autẽ superiorem. Quod si ita est, manet dubitatio. Pars enim vniuscuiusque horum corporum, aut mouetur in eo in quo est loco, aut in eo in quo non est. Sed neque in eo in quo est, vt ostendimus: neque in eo in quo non est, vt monstrauimus. Non ergo mouetur. Non consequenter autem dicebant aliqui, præter eius quod mouetur notionem, allatam esse orationem. Intelligit enim id quod mouetur, tanquam duobus hęrere locis, nempe & ei ex quo mouetur, & ei ad quem transit. Facile est autem eis occurrendo dicere, quòd etiamsi contigit eius quod mouetur talem esse intelligentiam, nihil ad propositũ, quòd nunc non agant præcipuè dubitantes de eo quod est motum esse, sed de essentia, de qua nihil dixerunt qui hac vsi sunt obiectione. Verumenimuerò etiamsi euerterimus orationem, nihil poterunt aduersus nos dicere. Nam cùm dixerint id quod mouetur duobus hærere locis, nempe & ei in quo est, & ei ad quem fertũr, ex eis sciscitabimur, quãdo id quod mouetur, transit ab eo in quo est loco ad alterum? Num quando est in primo, an quando in secundo? sed quando est quidem in primo loco, non transit ad alterũ. est enim adhuc in primo. Quando autem non est in eo, sed in secundo, rursus non transit, sed iam transiit. Neque enim fieri, imò ne cogitari quidem potest, aliquid transire ex eo loco in quo non est. Quamobrem etiamsi eius quod mouetur, talem habeamus intelligentiam, manet nihilominus quæ ab initio fuit dubitatio. Prętereа qui dicunt locum vocari duobus modis, nempe largè & exactè, propterea autem & motum posse accidere in loco qui largè intelligitur: non occurrunt ad propositum. Locum enim qui largè intelligitur præcedit qui est exactè locus. Neq; fieri potest vt in loco qui largè sumitur, moueatur aliquid non prius motum in eo qui est exactè locus. Quomodo enim ille continet corpus quod mouetur, ita etiam qui largè sumitur, cum corpore quod mouetur, continet etiam locum qui exactè dicitur. Quomodo ergo nemo potest moueri in spatio stadij, qui non prius fuerit motus in spatio cubiti: ita fieri non potest vt in loco largè sumpto moueatur quod non mouetur in eo qui est exactè locus. Rogauit autem Diodorus expositam aduersus motum orationem, hærens loco qui exactè sumitur. Si in eo ergo auferatur motus, nulla relinquitur oratio in loco qui largè dicitur. Dicere enim infirmam esse orationẽ propterea quòd incipiat à disiunctо, & hoc disiunctum reddat falsum, est planè nugatorium. Ex consequentia enim facta

Quòd id quod mouetur, transeat à loco in quo est ad alterum locũ, stare non potest.

Locũ qui largè intelligitur, præcedit locus exactè sumptus.

Oratio incipiens à disiuncto non est infirma.

facta est interrogatio,& hãc vim habet. Si quid mouetur, debet moueri altero ex prius dictis modis. Non est autem secundum. ergo nec primum. Si enim cùm sit primum, est secundum: si non est secũdum, nec erit primum. Quod quidem rectè habet etiam ex hypothesibus dialecticis. Atque hæc quidem necesse erat dicere ad ea quæ dicuntur contra allatam à Diodoro orationem. Affert autem alias quoq; rationes non tam graues, sed magis sophisticas. quas exponemus, vt possimus vnamquanq; earum declinare in quæstionibus. Iam enim dicit, Quod mouetur, est in loco. quod autem est in loco, non mouetur. quod ergo mouetur, non mouetur. Cùm sit autẽ duplex motus, vnus quidem ex dominatu, secundus verò ex sinceritate: & sit quidem ex dominatu, in quo cùm plures moueantur partes corporis, paucæ quiescunt: ex sinceritate autem, in qua mouentur omnes partes corporis: videtur ex his duobus motibus, is qui est ex dominatu, præcedere eum qui est ex sinceritate. Vt enim sincerè moueatur aliquid, hoc est totum per totum, debet prius intelligi moueri ex dominatu: quomodo vt quis fiat plenè & sincerè canus, debet prius ex dominatu fuisse canus: & vt sit aliquis plenè & sincerè cumulus, oportet esse ex dominatu cumulum. Similiter oportet motũ ex dominatu præcedere motum ex sinceritate. Eius enim qui est ex dominatu, intensio est motus qui est ex sinceritate. Non est autem vllus motus ex dominatu, vt ostendemus: nec ergo erit motus ex sinceritate. Ponatur enim corpus constans ex tribus partibus, ex quibus duæ quidem mouentur, vna autem non mouetur. hoc enim postulat motus ex dominatu. Igitur si addiderimus quartam partem non moueri, huic corpori rursus erit motus. Nam si corpus quod constat ex tribus partibus, duabus motis mouetur, vna nõ mota: quarta quoque addita parte mouebitur. Sunt enim fortiores tres partes cum quibus prius mouebatur, vna addita. Sed si mouetur corpus quod cõstat ex quatuor partibus, mouebitur etiã quod ex quinque. Sunt enim quatuor partes fortiores, cùm quibus mouebatur, parte addita. Et si mouetur id quod cõstat ex quinque, omnino mouebitur & ex parte quę accessit, cùm quinque sint fortiores vna. Et sic vsque ad decies mille partes progreditur Diodorus, ostẽdens motum non posse consistere qui est ex dominatu. Absurdũ est enim, inquit, dicere moueri corpus ex dominatu, in quo nouies mille nongẽtæ nonaginta octo partes non mouentur, & duæ solæ mouentur. Nihil ergo mouetur ex dominatu. Quod si ita est, neque ex sinceritate, seu plenè ac sincerè.

Motus ex dominatu quisnã sit.

Motus ex sinceritate quisnam sit.

Cui eſt conſequens nihil moueri. Cæterum argumentum quidem eſt eiuſmodi. Videtur autem & ſophiſticum & propè ſitam habere confutationem. Nam ſimul cum primæ partis additione perit etiam motus ex dominatu, cùm duæ moueantur partes, duæ autem non moueantur. Sunt ergo recuſandæ huiuſmodi argumentationes. Illis autem maximè vtendum eſt orationibus, Si quid mouetur, nunc mouetur. Si nunc mouetur, in præſenti tempore mouetur. Si in præſenti autem tempore mouetur, ergo mouetur in tempore indiuiduo. Nam ſi præſens diuiditur, omnino diuidetur in præteritum & futurum: & ita non erit præſens. Si autem in indiuiduo tempore mouetur aliquid, loca peruadit indiuidua. Si autem loca peruadit indiuidua, non mouetur. Quando enim eſt in primo loco indiuiduo, non mouetur. eſt enim adhuc in primo loco indiuiduo. Quando autem eſt in ſecundo loco indiuiduo, rurſus non mouetur, ſed motum eſt. Non ergo mouetur aliquid. Ad hæc accedit, quòd motus adhæret tribus, nempe corporibus & locis & temporibus. Corporibus quidem quæ mouentur: locis autem, quæ ſunt in iis in quibus fit motus: temporibus autem, per quæ fit motus. Aut ergo his omnibus diuiſis in loca infinita & in tempora & in corpora infinita, fit motus: aut omnibus deſinentibus in indiuiduum & minimum. Aut aliquibus quidem diuiſis in infinitum, aliquibus autem deſinentibus in indiuiduum & minimum. Et ſiue omnia ſecentur in infinita, ſiue omnia deſinant in indiuiduum, inuenietur dubia de motu oratio. Ordine autem argumentemur à prima ſecta, ex qua omnia ſecantur in infinitum. Et qui eius quidem ſunt principes, dicunt corpus quod mouetur, vno & eodem ſimul tempore conficere ſpatium diuiduum: & non quod eſt ſpatij primum, primum apprehendere prima eius parte: & ſecundum ordine ſecundum: ſed vnum totum diuiduum ſpatium ſimul & aceruatim peruadere. quod quidem eſt abſurdum, & variè pugnans cum iis quæ cernuntur. Si in his quidem certè ſenſilibus corporibus intelligamus aliqua corpora rotari in ſpatio ſtadij, id omnino corruet, quoniam debet hic locus primum conficere primum ſemiſtadium, & ſecundum ordine ſecundum. Cenſere enim ſimul conficere totius ſpatium, valde eſt abſurdum. Et ſi ſecuerimus alterum ſemiſtadium in duas quartas partes, omnino peruadet primum primam quartam partem. Et ſi plura ſecuerimus, ſimiliter. Et ſi per illuminatum rotetur ſtadium, eſt euidens quòd non ſimul adumbrabit ſtadium, ſed hanc quidem eius primam

Motum non eſſe probatur ex eo quod motus fiat in tempore præſenti.

Motus adhæret tribus, nempe corporibus, locis, & temporibus.

Corpus quod mouetur, non conficit vno ſimul & eodem tempore ſpatiũ diuiduum.

primam partem, iſtam verò ſecundam, illam autem tertiam. Si autem percurrat parietem miniata manu illum tangens, non vno & eodem tempore minio colorabit totum parietem ſtadij, ſed ordine, & prius id quod eſt prius. Quod ergo in ſenſilibus rebus oſtendit ratio, hoc etiam nobis accipiendum eſt in iis quæ caduht ſub intelligentiam. Porrò autem licet quoque aliter hanc tollere opinionẽ, ad hoc multis & variis vtendo hypotheſibus. Ponatur enim ſpatium vnius cubiti, & diſtinguatur ac diuidatur per mediũ in duos ſemicubitos. Diuidantur autem & diſtinguantur etiam eius ſpatia vnius palmi: ſitque quod ſolida diuidit, in eo quod poſſit interrumpere & ſiſtere. quod mouetur, vno & eodem ſimul tempore conficit ſpatium diuiduum. & corpus quod mouetur in prius dicto ſpatio, vno tempore interrumpetur à corpore à quo duo diuidebantur ſemicubiti, & à quo quę ſunt vnius palmi. Sed ſi eodem tempore ab his interrumpetur, erit idem ſimul & motum & non motum. Nam quatenus quidem eis interrupit id quod diuidit ſpatia ſemicubitalia, motum eſt ſpatium ſemicubitale. Quatenus autem interrupit etiam id quod eſt vnius palmi, rurſus non fuit motum idem ſpatium. Abſurdum eſt autem dicere idem ſimul motum eſſe & nõ motum eſſe. Abſurdum eſt ergo velle quoq; vt quod mouetur, ſimul & vno tempore ſpatium conficiat diuiduum & non prius moueatur in priori. Rurſus ponatur ſpatiũ cubitale: & ferantur aliqua corpora ab vtroque extremo pari celeritate, vt ex Epicuri ſententia atomi. Quoniam ergo ponuntur hæc corpora moueri pari celeritate, omnino in medio ſpatij cubitalis ſe inter ſe offendentia, aut ſtabunt, aut repellentur in eum locum vnde venerunt. Et ſi ſtant quidẽ, eſt perſpicuum, quòd vtrunque eorum alio quidem tempore mouebatur id ſpatium quod eſt ab extremo vſque ad medium: in alio autem erat confecturum quod eſt à medio, tanquam in extremo totius ſpatij. Rurſus eſt euidens quòd in alio quidem tempore tranſit ab aliis ſpatiis tanquam ad medium: in alio autẽ repulſa reuerſa ſunt tanquam ad extrema. Et ſic nihil eſt quod ſimul & vno tempore moueatur ſpatium diuiduum. Præterea ſic quoque ſunt refellendi qui dicunt omnia quidem ſecari in infinitum, exiſtimāt autem id quod mouetur, moueri ſimul & eodem tempore vnum ſpatium. Nam ſi duo corpora moueantur pari celeritate cubitale ſpatium, conſequetur vt dicatur in eodem tempore vtrunq; non idem ſpatium conficere, ſed alterum quidem amplius, alterum verò minus. quod quidem eſt præter euidentiam. Diuidatur enim

ſpatiũ cubitale alterius corporis. & quod diuidit, interrumpat quodlibet incurrens. Quoniam ergo cenſent vtrunque moueri pari tempore: & idẽ duobus & cubitale ſpatium & eius partes: & non in alio quidem partes, in alio verò totum, omnino quo tempore mouetur alterum horum corporum totum cubitale ſpatium, pari etiam reliquum corpus mouebitur ſemicubitale ſpatium, & interruptum ceſſabit. Sed poſitum erat vtrunque eorum moueri pari celeritate. Quę ergo eodem tempore pari mouentur celeritate, mouentur ſpatium inæquale. quod quidem eſt præter euidentiam. Non ergo ſimul & vno tempore mouetur id quod mouetur ſpatium diuiduum: ſed in priori prius debet fieri motus. Ad ea quæ dicta ſunt accedit, quòd id quod mouetur pari tempore maius ſpatium, eſt celerius eo quod eodem tẽpore mouetur minus ſpatij: vt per hypotheſin ſi ſpatio vnius horæ alterum quidem ex iis quæ mouentur, conficiat viginti ſtadia, alterum verò decem ſolùm: dicetur conuenienter in omnibus celerius quidem eſſe quod conficit viginti ſtadia, tardius autem quod decem. Sed hoc quidem quod apparet & videtur eſſe euidens, tollitur quod attinet ad expoſitam hypotheſin, & fit falſum. Erit enim eodem tempore motum & celerius & tardius. quod quidem eſt abſurdum. Si enim non in alio quidem tempore totum mouetur ſpatium cubitale, in alio autem partes ſpatij cubitalis, ſed in vno & eodem totum tranſit ſpatium, & totius partes: erit idem in eodem tempore & tardius & celerius. Nam quatenus quidẽ in eo conficit cubitale ſpatium, erit celerius: quatenus autem in eodem ſemicubitale, erit tardius. Eſt autem planè abſurdum dicere eodem tempore eſſe aliquid & celerius & tardius. Nõ ergo ſimul & aceruatim mouetur id quod mouetur ſpatium diuiduum: ſed prius in priori. Satis autẽ conuinci poſſunt auctores huius ſententiæ, etiam per dicendam hypotheſin. Sit enim ſpatium vnius digiti: diuidatur autẽ per medium in duo ſpatia duorum ſemidigitorum: & ſit id quod diuidit, habens naturam reſiſtentem, & quæ poteſt reiicere id quod incurrit: moueatur autem aliquod corpus in eo ſpatio: dico quòd ex hac hypotheſi, quoniam quod mouetur in eodem tempore, & totum conficit ſpatium & partes totius, oportebit idem in eodem tempore & venire & recedere. quod quidẽ non poteſt fieri. Nam ſi in vno & eodem tempore conficit totum ſpatium digiti & eius partes: eſt autem ſpatium digiti, & quod eſt ab extremo vſque ad medium, & quod à medio vſque ad extremum: eodem tempore & recedet quod mouetur, & accedet offen-

offendens id quod diuidit. Eſt autem præter euidẽtiam eodem tempore accedere & recedere, quemadmodum eodem tempore dicere manum extendi & contrahi: & non alio quidem extendi, alio verò contrahi. Quamobrem ſimul quidẽ & aceruatim in ſpatio fieri motum, prius dictis viris hanc affert dubitationẽ. ſed longè affert maiorem, non ſimul & aceruatim diuidi ſpatium, ſed prius in priori, ſecundo in ſecundo. Nam ſi ita fit motus, cùm omnia ſecentur in infinitum, & corpora, & loca, & tempora, non erit aliquod principiũ motus. Nam vt moueatur aliquid ſpatium vnius cubiti, debet primum tranſire primum ſemicubitum, & ſecundum ordine ſecundum. Sed vt & primum conficiat ſpatium ſemicubiti, oportet primum tranſire quartam partem ſpatij vnius cubiti, deinde & ſecundam. Sed & in quinque & ſex diuidi potuerit prima ſexta pars. Cùm ergo quæuis prima pars aliam primam habeat partem, propter ſectionem in infinitum, neceſſe eſt nunquam eſſe principium motus, propterea quòd deficere non poſſint partes ſpatij & corporis, & quidquid ex his ſumitur, alias habeat partes. Atque hæc quidẽ conuenit dicere aduerſus eos qui dicunt & corpora & loca & tempora ſecari in infinitum: ij autem ſunt Stoici. Qui autem dicunt omnia deſinere in indiuidua, vt Epicurei, implicantur maioribus dubitationibus. Et primum quidem quòd non erit motus, vt docebat Diodorus inſequens loca & corpora indiuidua. Corpus enim indiuiduum, quod continetur in primo loco indiuiduo, non mouetur. contineretur enim in loco indiuiduo, & eum impleuiſſet. Et rurſus quod ponitur in ſecundo, non mouetur, iam enim motum eſt. Si autem neque in primo mouetur id quod mouetur, quatenus eſt in primo: neque in ſecundo: præter hæc autem tertius locus non cadit in cogitationem: non mouetur id quod dicitur moueri. Licet autem etiam abſque hac dubitatione, ex hypotheſi ſectam Epicuri reprehendere. Sit enim ſpatium compoſitum ex nouem locis indiuiduis per ſeriem locatis, & moueantur in eodẽ ſpatio duo corpora indiuidua ab vtroque extremo: moueantur autẽ pari celeritate. Quoniam ergo motus eſt paris celeritatis, oportebit vtrunque ex his corporibus tranſire circiter quatuor loca indiuidua: cùm autẽ peruenerint ad quintum locum, qui eſt medius quatuor: aut ſtabunt, aut ex iis alterum occupabunt: quo fit vt alterum quidem quinque loca trãſeat indiuidua, reliquum autem ſolum quatuor. aut neque ſtabunt, neque alterum occupabunt. Cùm ambo autem ſimul concurrerint, ex dimidiò detinebunt quintum locum indiui-

Motum fieri non ſimul, ſed priorẽ in priore ſpatio, ſecundum in ſecundo.

Epicurei dicebant omnia deſinere in indiuidua.

Nullum eſſe motũ ſi omnia deſinant in indiuidua, ſecundũ Epicureos.

diuiduum. Atque vtrunque quidem stare est admodum improbabile. Nam si non ponatur locus, & motui nihil resistat, nō stabunt. Alterum autem prius occupasse quàm alterum, est præter hypothesin. Positum enim est vtrunque moueri pari celeritate. Restat ergo vt dicatur, quòd vtræque simul concurrentia tenebant dimidias partes loci qui restat. Si autem hoc quidem tenet dimidiam quæ est in ipso partem: illud autem eam quæ est in ipso, non erit locus indiuiduus, sed in duas partes diuiduus. Sic autem etiam corpora. Eorum enim partes loci partem apprehendentes, non erunt indiuiduæ. Si autem & loca sunt diuidua, & corpora non indiuidua, necesse est vt tempus non sit indiuiduum & minimum. Non enim in pari tempore locum indiuiduum transit corpus indiuiduum, & partem loci indiuidui: sed in alio quidem totum locum indiuiduum, in minimo autem eius partem. Rursus sit aliqua regula centris in alia parte intercepta: eaque circumagatur ab altero ex extremis in aliquo plano, in vno & eodē tempore. Porrò autem dum extremum circumagitur, circuli describentur, inter se differentes magnitudine. Et qui est quidē extremus, & omnes comprehendit, est maximus. qui est autem intimus, breuissimus. & qui inter eos intercedunt, conuenienti proportione, seu maiores & maiores à centro nobis persequentibus: aut minores & minores regredientibus ab externa superficie. Quoniam est ergo tempus circumactionis, sit autem id indiuiduum, quæro quemadmodum, cùm sit vnum & idem tempus, in quo facta est descriptio, sit autem vnus quoque motus, facti sunt inter se differentes circuli: & alij quidem magni, alij autem paruum habentes ambitum. Neque enim licet dicere quòd temporū indiuiduorum est aliqua differentia præter magnitudinem. Et ideo ex circulis, qui describuntur quidem in maioribus indiuiduis temporibus, sunt maiores: qui verò in minoribus, sunt minores. Si enim alterū altero maius est tempus indiuiduū, non est tempus indiuiduum, neque minimum: & quod mouetur, nō omnino mouetur in tempore indiuiduo. Ad hæc accedit, quòd nec illud quidem licet dicere, quòd iis quidem quibus est tempus indiuiduū, in quo omnes circumscribuntur circuli, partes autē regulæ quæ circumagitur, non sunt paris celeritatis: sed alia quidē citius circumagitur, alia autem tardius: & ab iis quidem quę circumaguntur celerius, maiores cōstituuntur circuli: ab iis autem quæ tardius, minores. Si autem re vera aliæ quidem partes mouētur celerius, aliæ verò tardius: oporteret aut distrahi regulā in circūactione, aut omnino tegi, ali-

κατόνιον.

aliquibus quidem eius partibus prius accelerantibus, aliquibus verò tardantibus. Sed neque distrahitur, neque tegitur. Est ergo motus omnino dubius iis qui dicũt omnia desinere in indiuidua. Et in summa si omnia sunt indiuidua, & tẽpus in quo fit motus, & corpus quod mouetur, & locus in quo efficitur motus, necessariò omnia quæ mouentur, mouebuntur pari celeritate, adeò vt Sol celeritate sit par testudini. Ipse enim & ipsa in tempore indiuiduo conficit spatium indiuiduum. Est autem absurdum dicere, omnia quę mouentur, moueri pari celeritate, aut testudinem celeritate esse parem Soli. Est ergo absurdum censere, fieri motum desinentibus omnibus in indiuiduũ.

Restat ergo vt consideremus an possit aliquid moueri, si aliqua quidem secentur in infinitum, aliqua verò desinant in indiuiduum. Et sic quidem opinatus est Strato Physicus. Nam existimabat quidem tempora desinere in indiuiduum: corpora autem & loca secari in infinitum: & moueri quod mouetur, in tempore indiuiduo totum simul & aceruatim diuiduũ spatium, & non prius in priori. Ergo eorum quoque sectam possumus docere, si ponantur exempla clariora. Ponatur enim spatium quatuor digitorum: & corpus quod mouetur, id conficiat in duobus temporibus indiuiduis, ita vt alterum spatium duorũ digitorũ transeat in tempore indiuiduo, & quod restat rursus in vno. Cùm sit autem huiusmodi hypothesis, auferatur ab eo spatio spatium vnius digiti: adeò vt quod restat spatium, sit trium digitorum. Sed si totum spatium quatuor digitorum in duobus temporibus indiuiduis transeat corpus quod mouetur, omnino spatium triũ digitorum conficiet in vno indiuiduo tempore & dimidio. In vno quidem spatium duorum digitorum, in dimidio autem id quod restat vnius digiti. Et ita si in diuidui dimidio defectum sit tempus indiuiduum, non est aliquod tempus indiuiduum. Sed hoc quoque dissectum est in partes. Eadem est ratio si quintum digitum addiderimus spatio quatuor digitorũ. Quomodo enim mouebitur id quod mouetur? Num in tempore indiuiduo? Sed quoniam duplum quoque conficiebat in tempore indiuiduo, erit quod mouetur in eodem tempore, velox simul & tardum. Si autem in minore indiuidui temporis conficit quintum digitum, est diuiduum tempus indiuiduum: quod quidem nolunt. Quinetiam si in tempore indiuiduo quod mouetur, simul & aceruatim diuiduum conficit spatium, stabit aliquid sine caussa, vt ostendemus. Non stat autem aliquid sine caussa, vt ostẽdemus. Non fit ergo motus hoc modo. Sit enim rectum aliquod spatium, vtpote decem

Motum non esse si aliqua secentur in infinitum, aliqua desinant in indiuiduum, vt voluit Strato Physicus.

cubitorum, & aliquod graue corpus, vtpote globus plumbeus, vno minimo tempore conficiat totũ hoc ſpatium, ſupernè deorſum. Sed addatur etiam huic ſpatio aliud ſpatium vnius cubiti, adeò vt totum ſit vndecim cubitorũ : & ab extremo rurſus emittatur globus. Cùm ergo peruenerit quidem ad partem eius quod eſt decem cubitorum, principium autem vndecimi, aut ſtabit, aut hoc quoque permeabit. corpus enim adeò graue & quod fertur per aërem, etiamſi nihil reſiſtat, ſi ſtabit, omnino ſtabit ſine cauſa. quod quidem eſt abſurdum. Si autem mouebitur, quoniam trãſit totum ſpatium decem cubitorum in vno tempore indiuiduo: quod reſtat ſpatiũ vnius cubiti, cùm ſit idem motus, tranſibit in decima parte temporis indiuidui. Quo fit vt tempus indiuiduum, præter id quod non eſt indiuiduum, ſectũ ſit etiam in decem partes. Præterea ſi id quod mouetur in vno tempore indiuiduo, totum conficit ſpatium diuiduum, neceſſariò in vno & eodem tempore erit in omnibus ſpatij partibus. Si autem in vno & eodem tempore erit in omnibus partibus ſpatij, non erit motum ſpatium, ſed ſe ſiſtet. quod quidem eſt abſurdum. Non ergo in vno & indiuiduo tempore mouetur quod mouetur ſpatium diuiduum: quandoquidem erit idem in eodem tempore calidum & frigidum, illuminatumq́ue & non illuminatum. Ponatur enim ſpatium duorum cubitorum : & eius alter quidem cubitus ſit ignitus : alter verò frigeat. Si autem quod mouetur in vno & eodem tempore indiuiduo, hoc totum apprehendit ſpatium : quando eſt quidem in cubito ignito, erit ignitum: quando autem in frigido, frigidum. Eſt autem eodem tempore in ignito & frigido. Idem ergo eodem tempore erit calidum ſimul & frigidum. quod non poteſt fieri. Verumenimuero eadem quoque ratione licebit docere quòd ſimul erit idem illuminatum & non illuminatum: quod ipſum quoque eſt præter euidentiã. Ad hæc accedit, quòd in eodem tempore, quantum poſueris ſpatium, oportebit etiam dicere motum eſſe id quod mouetur. Vt, ſit ſpatium quatuor digitorum, & diuiſum ſit in octo partes : & apertioris doctrinæ gratia, prima quidem eius pars vocetur A, ſecunda autem B, tertia verò C, & ſic deinceps. Si id quod mouetur, in vno & eodem tempore diuiduum conficit ſpatium, in quo tempore mouetur prima ſecundum ſpatium, eodem tempore poterit ſecunda tertium moueri ſpatium. Sed ſi ita mouebitur ſecunda, mouebitur etiã tertia & quarta, & ſic vſque ad infinitum. Quamobrem in vno tempore indiuiduo mouebitur totum terræ ſpatium. Si ergo neque ſit ſectio in infinitum,

nitum, neque ſi deſinatur in indiuiduum, neque ſi aliqua quidem ſecentur in infinitum, aliqua verò deſinant in indiuiduum, conſeruatur motus, dicendum eſt nihil eſſe motum. Quibus eſt conſequens ſuſtinendam eſſe aſſenſionem, propterea quòd parem vim habeat & euidentia, & ea quæ obiiciuntur aduerſus euidentiam.

An ſit tempus.

CVM motus, vt dixi, tribus adhæreat, nempe & corpori quod mouetur, & loco in quo mouetur, & tẽpori per quod conficitur motus, quoniam de corpore & loco dubitauimus, tentabimus etiã quærere de tempore. Fortaſſe enim de eo quoque dubia cernetur oratio, & Phyſicis qui ponunt mundum eſſe æternum, & iis qui ab aliquo tempore eum dicunt eſſe conſtitutum. Atque nonnulli quidem dicunt tempus eſſe ſpatium motus mundi: alij verò ipſum mundi motum. Sed neq; ex primorum, neque ex ſecundorum ſententia eſt aliquod tempus. Si enim ſpatium motus, & motus nihil eſt præter id quod mouetur, tẽpus quod eſt ſpatium motus mundi, aut magis propriè mundanus motus, nihil erit mundus præter id quod mouetur, tempus autem erit motus aliquo modo ſe habens. quod quidem eſt abſurdum. Et aliter, Mundi quidẽ motum contingit intelligere non eſſe in aliquo tempore. Quamobrem tempus non eſt mundi motus. Et aliter, Omnis motus fit in tempore. quamobrem mundi quoque motus erit in tempore. Tempus autẽ non eſt in tempore. Aut enim erit in ipſo, aut in alio, aut aliter. Neque verò erit in ipſo. erit enim idem, & vnum & duo. Neque aliud in alio, propterea quòd neque eorũ quæ ſunt præſentia, aliqua ſunt in præſenti. Ergo nec propterea dicendum eſt mundi motum eſſe tempus. Rurſus quomodo motus fit in tempore, ita etiam manſio. Sed quomodo nullus dicit manſionem eſſe in tempore, ita neque mundi motum rite tempus pronunciat. Et mundi motus perpetuò eſt idem. Tempus autẽ non eſt perpetuò idem: ſed aliquando quidem idem dicitur, aliquãdo verò inæquale. Et inæquale quidem aliquando plus, aliquando verò minus. Aliud eſt ergo mundi motus, & aliud tempus. Atque qui mundi quidem motum ſuſtulerunt, terram autem moueri ſunt opinati, vt Ariſtarchus Mathematicus, nihil eis obſtat quominus tẽpus mente concipiant. Aliud ergo dicendum eſt eſſe tempus, & non idẽ quod motum mundi. Et qui in ſubterraneis & obſcuris antris vitam agunt, & qui ab ortu ſunt cæci, motus quidem mundi non habent notionem:

Tempus quid ſit.

Tempus nullum eſt.

Tẽpus non eſt in tempore.

Manſio nõ eſt in tempore.

Tempus nõ eſt perpetuò idẽ.

Ariſtarchus Mathematicus exiſtimauit terram moueri.

Tempus eſt aliud, & aliud motus mundi.

cùm autem & sederint & surrexerint & ambulauerint, accipiunt notionem temporis cui hæc tria sunt affixa, & maioris quidem, in quo sunt tria: minoris autem, in quo duo: minimi autem, in quo vnum. Si autẽ potest fieri vt tempus mente concipiamus, non cogitantes cœlestem circumuolutionem, aliud est ipsa, & aliud tempus.

Tempus quid sit secundum Aristotelẽ. eius autem confutatur definitio.

Aristoteles autem dicebat tempus esse numerum eius quod est in motu prius & posterius. Si hoc autem est tempus, nempe recordatio eius quod est in motu prius & posterius, id quod quiescit & est in motu, nõ erit in tempore. Aut si id quod non mouetur, est in tempore: tempus autem est numerus eius quod est in motu prius & posterius: id quod est in tempore, & quiescet & mouebitur. quod quidem non potest fieri.

Tempus quid sit, secundum Stratonem Physicum.

Quamobrem Strato Physicus recedẽs ab hac notione, dicebat tempus esse motum omnis motus & mãsionis. Accedit enim ad omnia quæ mouentur, quando mouentur: & ad omnia mobilia, quando nõ mouẽtur. Et propterea omnia quæ fiunt, fiunt in tempore. Num autem sunt quę cum eo pugnant plurima? Nunc autem sufficit illud dicere,

Est in tempore, non autem est tẽpus, quod metitur motũ aut mansionẽ.

quòd id quod metitur motum aut mansionem, est in tempore, & non est tempus. Quòd si ita est, id quod metitur motum & mansionem, non erit tempus. In tempore enim non est tempus. Et alioqui si tempus propterea est mensura motus & mansionis, quoniam graditur ex aduerso motus, quatenus est motus, & ex aduerso mansionis, quatenus est mansio: quoniã rursus motus & mansio gradiuntur ex aduerso temporis, non magis erit tempus mensura motus &

Tempus non est magis mensura motus & mansionis, quã motus & mansio mensura tẽporis.

mansionis, quàm motus & mansio mensura temporis. Hoc quoque melius esset dicere. Tempus quidem est quidpiam difficile contemplatu: motus autem & mansio facile potest aspici. Ex eo autẽ quod est contemplatu difficile, sumi minimè potuerit id quod est contemplatu facile, sed contrà.

Tempus est visum diei simile, secundum Epicurum & Democritum.

Videtur ad Epicurum quoque & Democritum Physicos referri eiusmodi temporis notio. Tempus est visum diei simile, per quam rursus dubia est natura temporis. Si enim dies & nox ostenditur non posse consistere, sequitur vt etiam diei simile visum non sit tẽpus, aut non possit consistere.

Dies non potest consistere.

Dies enim & qui propriè intelligitur, & qui est duodecim horarum, nempe ab ortu vsque ad occasum, nobis considerantibus videtur non posse consistere. Quando enim hora prima consistit, nondum consistunt vndecim. Si non sint autem plures horę, non erit dies. Et rursus quando adest hora secunda, non est quidem prima. decem autem quæ restant, nondũ sunt. Quamobrẽ cùm nec sint plures horæ, neque sic erit dies. Cùm

ergo

ergo ſemper ſit vna hora, non ſit autem vna hora diei, dies non erit. Quinetiam nec vna quidem hora conſiſtit. Largè enim intelligitur. Conſtat autem ipſa quoque ex pluribus partibus: quarum aliæ quidem non ſunt:aliæ verò non ſunt amplius. Quo fit vt & quod eſt ex eis compoſitum,non poſſit conſiſtere. Si autem neque eſt vlla hora, neque dies, neque proportioni conuenienter nox: nec tempus quidem erit, ſed viſum diei ſimile aut noctì. Præterea dies dicitur duobus modis: vno quidem modo,qui conſtat ex duodecim horis:altero autem,aër à Sole illuſtratus. Aut ergo diei qui conſtat ex horis, viſum tempus dicunt eſſe Epicurei, aut tanquam aëris à Sole illuſtrati. Sed diei quidem qui cõſtat ex horis, viſum non dixerint eſſe tempus. Ipſe enim,ipſe dies eſt tempus.is,inquam,qui eſt duodecim horarũ. Quamobrẽ ſi eius viſum intelligitur tempus, erit tempus viſum temporis. quod quidem eſt abſurdum. Non ergo dicẽdum eſt diei duodecim horarum viſum eſſe tempus. Sed neque diei tanquam illuminato aëre viſum. is enim fit in tempore. Et propterea ſi tempus eſt huius diei viſum noſtrum, in noſtro viſo is erit dies. quod quidem priori eſt longè peius. Et ſi mundus interierit, vt eſt ſententia Epicuri, neque dies eſt,neque nox:propterea autẽ neque diurnum, neq; nocturnum viſum. Eſſet autem abſurdum, ſi mundus interiiſſet, dicere non eſſe tempus. Etenim & interiiſſe & interire,tempora ſignificant. Quod ſi ita eſt, alterum quidem eſt tempus, diuerſum autem viſum diurnum & nocturnum. Atque ex notione quidem ſic ſit dubitatum de eſſentia temporis. Licet autẽ propoſitum quoque præcedente confirmare ratione. Nam ſi eſt tempus, aut eſt finitum,aut infinitum, vt docebimus. Non eſt ergo aliquid tempus. Si enim finitum eſt tempus,fuit aliquando tempus quando non erat:& erit aliquando tempus quãdo non erit tempus. Illud enim aliquando fuiſſe & futurum eſſe,vt prius dixi,ſignificant tempora differẽtia. Non eſt ergo finitum tempus. Sed nec eſt infinitũ. eſt enim eius aliquid quidem præteritum,aliud verò futurum. Vtrunque ergo horum temporum aut eſt, aut non eſt. Et ſi quidem non eſt, ex eo ipſo finitum eſt tempus. Et ſi finitum quidem eſt,exiſtit dubium quod fuit ab initio, fuiſſe aliquando tempus quando tẽpus non erat:& futurum aliquando tempus quando tempus non erit. Si eſt autem vtrunque,præteritum,inquam,& futurum, erit in præſenti. Cùm ſit autem in præſenti, erit in tempore præſenti præteritum & futurum. Abſurdum eſt autẽ dicere præteritum & futurũ intelligi in tempore præſenti. Ergo nec

Hora vna nõ conſiſtit.

Nox non conſiſtit.

Dies dicitur duobus modis.

Tempus non eſſe probatur ex eo quòd ſit finitum, aut infinitum.

Tempus non eſt finitum.

Tempus non eſt infinitum.

Tempus constat ex iis quæ nun possunt esse.

Tempus non esse probatur ex eo quòd nõ sit tempus diuiduum nec indiuiduum.

Tempus nõ est indiuiduum.

Tempus nõ est diuiduum.

Quidquid diuiditur, pars aliqua eius metitur.

tempus est infinitum. Si autem nec finitum intelligitur nec infinitũ, nullo modo erit. Quinetiam quod constat ex iis quæ non possunt esse, nec ipsum esse poterit. Censetur autem tempus constare ex iis quæ non possunt esse, nempe & præterito quod non est amplius, & ex futuro quod nondum est. Tempus est ergo eiusmodi vt esse non possit. Ad hæc accedit, quòd si tempus est aliquid, aut est indiuiduũ, aut diuiduum. Sed nec esse potest indiuiduum, vt admonuimus: neq; diuiduũ, vt probabimus. Non est ergo tempus aliquod. Atque non potest quidem tempus esse indiuiduum, quoniam diuiditur in præteritum præsens & futurum. Diuiduũ autem esse non potuerit, propterea quòd quidquid diuiditur, id aliqua pars eius dimetitur: vt cubitum palmus quidem dimetitur, & est palmus pars cubiti: palmum autem digitus, & palmi pars est digitus. Ergo si tempus quoque est diuiduum, debet eius pars aliqua ipsum metiri. Sed neque contingit præsens rempus alia metiri tempora. Si enim præsens tempus metitur præteritum, erir præsens tempus in preterito. Si sit autem in præterito, non erit amplius præsens, sed præteritum. Et si futurum metitur præsens, cùm sit in eo, erit futurum, non autem præsens. Vnde nec in aliis tẽporibus contingit metiri præsens. Vtrunque enim ipsorum, cùm in eo fuerit, erit præsens, non autem præteritum nec futurum. Sed si omnino diuiduum aut indiuiduũ tempus est intelligendum: nos autem ostendimus id nec esse diuiduum nec indiuiduum: dicendum est nihil esse tempus. Præterea tempus est tripertitũ. Eius

Tempus non esse probatur ex eo quòd nec sit præsens, præteritum, nec futurum.

Tempus nõ est indiuiduum.

enim aliquid quidem est præteritum, aliud verò præsens, aliud verò futurum. Ex his autem præteritum quidem non est: futurum autem nondũ est. restat ergo vt sit vna pars, nempe præsens. Aut ergo præsens tempus est indiuiduum aut, diuiduum. Nõ potest autem esse indiuiduum. In tempore enim indiuiduo naturaliter nihil esse potest diuiduum, vt dicit Timon, vtpote gigni & interire, & quidquid est eis simile. Si est autem indiuiduum, neque habebit principium quo coniũgatur præterito: neque finem quo coniungatur futuro. Quod enim habet principium & finem, non est diuiduum. Si autem neque habet principium nec finem, nec habet medium. Intelligitur enim medium ex ea quæ cum ipsis fit collatione. Quod autem nec principium habet nec finem, non est indiuiduum. Si autem nec principium habet nec finem, neque habet medium. Non habens autẽ principium nec finem nec medium, nec erit quidem omnino. Si præsens

Tempus nõ est diuiduum.

autẽ tempus est diuiduum, aut diuiditur in tempora quæ sunt, aut quę

non

non ſunt. Et ſi diuidatur quidem in tempora quæ non ſunt, non erit amplius tempus. Quod enim diuiditur in tempora quæ non ſunt, nō fuerit tempus. Si autem diuiditur in tempora quæ ſunt, non erit amplius omnino præſens: ſed eius quidem aliquid præteritum, aliquid verò futurum. Propterea autem non erit amplius omnino præſens & conſiſtens, cùm alterū quidem non ſit amplius, alterum verò nondum ſit. Sed ſi, cùm tria ſint, præſens præteritum & futurum, oſtenſum eſt eorum nullum eſſe, nō fuerit aliquod tempus. Qui autem dicunt præſens tempus eſſe quidem finem pręteriti, principium autem futuri, ex duobus quæ eſſe non poſſunt temporibus facientes vnum, non vnum ſolum, ſed etiam omne tempus faciunt eiuſmodi, vt eſſe non poſſit. Et alioqui ſi præſens tempus eſt finis præteriti, finis autē præteriti ſimul præteriit cum eo cuius eſt finis, non erit amplius præſens tempus, ſiquidem eſt finis præteriti. Et rurſus ſi futuri principiū eſt tempus, futuri autem nondum eſt principium, nondum conſiſtet præſens tempus. & ſic euenient ea quæ ſunt ipſi maximè contraria. Nam quatenus quidem eſt præſens, erit: quatenus autem ſimul conſiſtit cum futuro, nōdum erit. Abſurdum eſt autem mente concipere idem tempus & eſſe & non eſſe, & non amplius eſſe, & nondum eſſe. Ergo nec hac ratione dicendum eſt eſſe aliquod tempus. Sic quoque eſt inferendum: Si eſt aliquod tempus, aut in ipſum non cadit ortus & interitus, aut cadit. Sed in ipſum non cadit ortus aut interitus, vt oſtēdetur: neque cadit, vt probabitur. Non eſt ergo aliquod tempus. Atque in ipſum quidem non cadit ortus & interitus, ſiquidē aliquid quidem eius præteriit, aliquid verò eſt præſens, aliud verò futurum. Etenim dies quidem heſternus non eſt amplius: hodiernus autem eſt: craſtinus autē nondum fuit. Vnde temporis quoque aliud quidem non erit, vt præteritum: aliud autem eſt, vt præſens: aliud autem nondum eſt, ſicut futurum. Propterea autem in tempus nō cadet ortus nec interitus. Si autem in ipſum cadit ortus & interitus, dubiū eſt in quídnam interibit, & ex quónam erit. Neque enim futurū iam eſt: neque præteritum eſt amplius. Ex iis autem quæ non ſunt, quomodo poteſt aliquid interire? Nihil eſt ergo tempus. Sic quoque eſt argumentandum: Si tempus eſt aliquid, aut in ipſum cadit ortus, aut non cadit: aut in aliquod quidē cadit, in aliquod verò non cadit. Sed neque in tempus poteſt cadere ortus, neque nō cadere: neque in aliquod quidē cadere, in aliquod verò non. Non eſt ergo aliquod tempus. Nam ſi in ipſum quidem cadit ortus: quoniam quidquid oritur,

Tempus præſens non eſt finis præteriti, principium autem futuri.

Tempus non eſſe probatur ex eo quòd in ipſum non cadat ortus & interitus, et cadat.

In tempus neque cadit ortus, neque non cadit.

tempore

tempore oritur: tempus quoq; quod oritur, orietur in tempore. Aut ergo idem orietur in seipso, aut alterum in altero. Et si idem quidem oriatur gignatúrve in seipso, erit aliquid ortum seu genitum priusquã ortum sit seu genitum. quod quidem est absurdum. Quoniam enim id in quo aliquid gignitur, debet esse ante id quod in eo gignitur, oportebit etiam tempus quod in se gignitur, ante se esse genitum: vt, in officina fabricatur statua: sed ante statuam est officina. & in loco aliquo consistit nauis: sed & ante nauem constitit locus. Ergo si tempus etiam in seipso gignitur seu oritur, erit ante seipsum. & ita si oritur quidem, nondum erit: quoniam quidquid fit seu oritur, quando fit seu oritur, nondum est. Si autẽ in se fit seu oritur, debet prius esse. Erit ergo simul tempus, & non erit. Quatenus quidem fit seu oritur, non erit: quatenus autem in seipso fit seu oritur, erit. Est autem absurdum idem per mentis conceptionem esse & non esse. Absurdum est ergo dicere in seipso fieri seu oriri tempus. Sed neque alterum in altero fit seu oritur tempus: vt futurum in præsenti, & præsens in præterito. Si enim alterum tempus gignitur seu oritur ex altero, necessariò vnumquodque tempus relinquens propriam posituram, alium apprehendet ordinem: vt, quoniam futurum tempus fit in tempore præsenti, futurum quod fit in tempore præsenti, est præsens & non futurum. & quoniam præsens fit in tempore præterito, omnino cùm fiat in præterito, non erit præsens, sed præteritum. Eadem autem est ratio si contrà præteritum quidem faciamus in præsenti, præsens autem in futuro. eædem enim rursus sequuntur dubitationes. Si ergo neque in seipso oritur aut fit tempus, neque tanquam alterum in altero, in tempus non cadit ortus. Si ergo neque tempus est eiusmodi vt in ipsum non cadat ortus, neque eiusmodi vt cadat: præter hæc autem tertium excogitari non potest: dicendum est nihil esse tempus. Quòd enim fieri non possit vt in ipsum non cadat ortus, facilè potest probari. Si enim in ipsum non cadit ortus, & neque factum est neq; fiet, vnum erit solum tempus præsens: & neque futurum est futurũ, neque res quæ sunt in ipso: neque præteritum est præteritum, neque res quæ in eo fiunt. Hoc autem non ita est: in tempus ergo non cadit ortus. Sed neque in aliquod quidem cadit ortus, in aliquod autẽ non cadit. coniungentur enim dubitationes. Quando enim in ipsum cadit ortus, debet in seipso fieri, aut in altero. Sed si fiat quidẽ in seipso; prius erit quàm ipsum. Sin autẽ in altero, non erit amplius illud tempus, sed id in quo fit, relinquens proprium ordinem. Eadem autem

est

eſt ratio etiam in eo in quod non cadit ortus. Nam ſi eſt eiuſmodi vt in ipſum non cadat ortus, neq; futurum vnquam erit tempus, neque præteritum, ſed ſolum præſens. Sunt autem hæc abſurda. Reſtat ergo vt dicatur, neque ſi in tempus cadat ortus, neque ſi non cadat, neque ſi in aliquod quidem cadat, in aliquod verò non cadat, eſſe tempus. De hoc quoque licebit dubitare ex eſſentia, vt etiam prius dubitatum fuit ex notione. Iam enim ex dogmaticis Philoſophis alij quidem tempus dicunt eſſe corpus, alij autem incorporeum. Et ex iis quidem qui dicũt incorporeum, alij quidem dicunt id eſſe vt rem quæ per ſe intelligentia percipitur, alij verò vt quæ alteri accidit. Atque corpus quidem eſſe tempus dixit AEneſidemus ex ſententia Heracliti. Ipſum enim non differre ab eo quod eſt, & à primo corpore. Vnde etiam per primam inſtitutionem dicens eſſe ordinatum in ſex ſimplices rerum dictiones, quæ quidem ſunt partes orationis, vocabulum quidem tempus, & vocabulum vnitas, in ſubſtantia dicit eſſe collocatum quæ eſt corporea. Temporũ autem magnitudines, & capita numerorũ, efferri maximè in multiplicatione. Nam Nunc quidẽ quod eſt ſignificatio temporis, & præterea vnitatem, non eſſe aliquid aliud quàm eſſentiam. Diem autem & menſem & annũ eſſe multiplicationem ipſius Nunc, temporis inquam. Duo autẽ & tria & decem, per ſe eſſe multiplicationem vnitatis. Iſti itaque tempus faciunt corpus. Stoici autem Philoſophi exiſtimarunt ipſum eſſe incorporeum. Ex aliquibus enim alia quidem dicunt eſſe corpora: alia verò incorporea. Ex incorporeis autem enumerãt quatuor ſpecies: id quod dicitur, & inane, & locum, & tempus. Ex quo eſt perſpicuũ, quòd præter id quod tempus exiſtimant incorporeũ, cenſent etiam id eſſe rem quæ per ſe intelligentia concipitur. Epicurus autem, vt ipſe Demetrius Lacon, exponit tempus, dicens id eſſe accidens accidentium, conſequens dies & noctes & horas & affectiones & impatibilitates & motus & manſiones. Omnia enim hæc accidẽtia aliquibus accidunt. & tempus hæc omnia conſequens, meritò dici poterit accidentia accidentium. In ſumma enim, vt paulò altius ſumamus ad melius aſſequẽdum id quod dicitur, Ex iis quæ ſunt, alia quidem per ſe conſiſtunt, alia autem in iis quæ per ſe conſtant, conſiderantur. Et per ſe quidem conſiſtunt eſſentiæ, vt corpus, & inane. In iis autem quæ per ſe conſiſtunt, conſiderantur ea quæ apud ipſos vocantur accidentia. Ex his autem accidentibus, alia quidem ſunt inſeparabilia ab iis quibus accidunt: alia autem ab iis ſua natura ſeparantur.

Corpus eſſe tempus dixit Aeneſidemus ex ſentẽtia Heracliti.

Tempus eſt incorporeum.

Incorporeorũ quatuor ſpecies.

Tempus quomodo definit Epicurus & Demetrius Lacon.

Per ſe conſiſtunt eſſentiæ.

In iis quæ per ſe ſunt, conſiderantur accidẽtia.

Inseparabilia quænam sunt accidentia.

tur. Atque inseparabilia quidem sunt ab iis quibus accidunt: vt corporis, resistētia: vacui autem, cessio. Neque enim fieri potest vt corpus vnquam intelligamus absque resistentia: neque inane absque cessione. sed sempiternum vtriusque accidens: corporis quidem, resistere: inanis autem, cedere.

Non inseparabilia accidentia.

Non inseparabilia autem ab iis quibus accidunt, sunt, vt motus & mansio. Quæ enim concreta sunt corpora, neque perpetuò moueri possunt citra quietem, neque semper esse sine motu: sed accidentem quidem aliquando habent motum, aliquando autem mansionem, etiamsi atomus, si per se sit, sit semper mobilis. Aut enim debet appropinquare inani, aut corpori. Siue autem appropinquet inani, propter cessionē fertur per ipsum: siue corpori, propter resistentiam, resiliendo motum ab ipso efficiet.

Accidētia quæ tēpus sequuntur.

Hæc sunt ergo accidentia quæ sequitur tempus, dies, inquam, & nox, & hora, & affectiones, & impatibilitates, motusque & māsiones.

Dies & nox accidentia ambientis aëris.

Dies enim & nox sunt accidentia ambientis aëris. Ex quibus dies quidem accidit per illuminationem à Sole. Nox autem accedit per priuationem lucis quæ à Sole procedit.

Hora est accidens aëris.

Hora autē, cùm sit pars diei aut noctis, rursus est accidens aëris, vt dies & nox. Ex aduerso autē cuiuslibet diei & cuiuslibet noctis & horæ eis comparatū extenditur tempus. Quam ob causam & dies & nox dicitur longa vel breuis dum ferimur ad tempus quod ei accidit:

Affectiones et impatibilitates, nempe dolores, & voluptates, sunt accidentia non absque tēpore.

affectionesque & impatibilitates, nempe dolores aut voluptates: & ideo non sunt aliquæ essentiæ, sed accidentia eorum qui afficiuntur, aut lætando, aut dolendo: & sunt accidentia non absq; tempore.

Motus & mansio sunt accidentia corporum, nō absque tempore.

Præterea motus quoque & etiā mansio, vt iam ostendimus, sunt accidentia corporū, & non sine tempore: motus certè velocitatem & tarditatem, & etiam diuturniorem & breuiorem mansionem tempore dimetimur. Verumenimuero ex his est perspicuum, quòd Epicurus tempus opinatur esse incorporeum, sed non eo modo quo Stoici. Nam illi quidem, vt dictum est, statuerunt tempus esse quidpiam incorporeum, si per se intelligatur. Epicurus autem, vt quod aliquibus accidat. Atque isti quidem sic existimant.

Tempus quo modo definiat Plato, vel vt alij volunt, Aristoteles.

Plato autem dicebat (vt nonnulli autem, Aristoteles) tempus esse numerū eius quod est in motu prius & posterius.

Tempus quid sit secundum Stratonē physicum.

Strato autem Physicus (vt alij autem, Aristotelès) esse mensuram motus & mansionis. Quamobrē cùm sit tanta de essentia temporis dissensio, iam quidem licet ex iis de quibus prius fuit dubitatum, coniicere, quòd ne ex ea quidē quidquam potest firmiter ac stabiliter disci. Et tamen nunc etiam aduersus Platonem & Aristotelem & Stratonē Physi-

Physicum ea sunt dicenda, quæ dicta sunt in principiis, nempe quòd ex notione temporis collegimus nihil esse tempus. Aduersus eos autem qui censent corpoream esse temporis essentiam, Heracliti, inquam, asseclas, id quod est in promptu, quòd si tempus est corpus: omne autem corpus aut manere aut moueri intelligitur: quod autem manet aut mouetur, in tempore manere aut moueri intelligitur: non autem in corpore corpus manere aut moueri intelligitur: tempus ergo non est corpus. Et id quod est, ex Heracliti sententia, quod quidem est corpus, est in tempore. Non est autem tempus in tempore. Id ergo quod est, & corpus, non est tempus. & animal viuit in tempore, vt etiam mortuum mortuum est in tempore. Quamobrem tempus non est animal aut corpus. Quinetiam ij qui dicunt ex Heracliti quidem sententia non esse primum corpus, nihil obstat quo minus tempus intelligant. Sed si tempus esset primũ corpus, vt vult Heraclitus, impedirentur tempus intelligere. Non est ergo ex Heracliti sententia tempus id quod est: & id quod est, ex Heracliti sententia est aër, vt dicit AEnesidemus. Ab aëre autem multum differt tempus. Et qua ratione nullus ignem aut aquam aut terram dicit esse tempus, eadem nec dicit esse aërem. Non est ergo id quod est, tempus. Atque aduersus hanc quidem sectam breuiter hæc dicta sint.

Tempus non est corpus, vt vult Heraclitus.

Tempus non est aër.

Breuis quoque est oratio aduersus Stoicos, qui dicunt ex aliquibus quidem aliqua esse corpora, alia verò incorporea. & ex incorporeis esse aliquam speciem quæ per se intelligitur, vt tempus. Nam quod est quidpiam maximè generale, propterea quòd nec potest esse aliquod corpus nec incorporeum, neque corpus fuerit nec incorporeum. Nam si est corpus, oportebit omnes eius species esse corpus, & nullam incorpoream. & quomodo omnes animalis species sunt animal, & nulla inanima: & omnes plantæ species sunt plantæ, nulla autem animata: ita sequetur vt alicuius quod est corpus, species sint re vera corpora, & nulla earum corpus. Similiter si sit simul corpus & incorporeum, omnia singularia erunt simul corpora & incorporea, & nihil seorsum aut corpus solum aut incorporeum. Quamobrem si illud quidpiam non est corpus, neque incorporeum, aut corpus simul & incorporeum, nihil est illud quidpiam. Si illud autem tollatur, simul etiam tolluntur quæcunque sunt in specie. quod quidem est absurdum. Præterea etiam de vnoquoque incorporeorum quæ simul data sunt cum tempore, dubitatum est à Scepticis, vtpote de eo quod dicitur, & de inani & de loco. Si de vnoquoque autem

Tempus non est corpus, vt volunt Stoici.

λεκτὸν

Essentiæ quæ aliquo modo se habent, sunt rerum subiectarum.

Quæ dicũtur accidere essentiis, cùm non sint alia ab essentiis, non possunt consistere.

eorum sit dubitatum, nec tempus quidem esse cõcedetur ex eodem genere cuius ea sunt. Aduersus Epicurum autem, qui censet tempus esse accidens accidentium, cùm multa etiam alia dici possint, illud in præsentia satis erit dicere, quòd quæ aliquo quidem modo se habent essentiæ, considerantur vtique & sunt rerum subiectarum. Quæ autẽ dicuntur accidere essentiis, cùm non sint alia ab essentiis, sunt eiusmodi vt non possint consistere. Neque enim est vlla resistentia præter corpus quod resistit: neque subiicitur cessio pręter id quod cedit, & inane: non motus præter corpus quod mouetur: non mansio præter id quod quiescit. Sed quomodo ducere exercitum nihil ėst præter eum qui exercitum ducit: neque esse gymnasiarcham pręter eum qui est gymnasiarcha: ita neque vnumquodque eorum quæ accidũt, sunt præter id cui accidunt. Vnde etiam cùm dicit Epicurus intelligendum esse corpus ex compositione magnitudinis, & figuræ, & resistentiæ, & ponderis, vrget vt ex iis quæ non sunt, intelligamus id quod est esse corpus. Nam si neque magnitudo aliqua ponitur præter id quod est præditum magnitudine: neque figura præter figuratum: neque resistentia præter resistens: quomodo fieri potest vt ex non subiectis non subiectum corpus intelligamus? Quamobrem si vt sit tempus, oportet esse accidentia: accidentia autem sunt aliquod accidens subiectum: nullum autem est accidens subiectum: igitur nec potest esse tempus. Mitto quòd ea quibus dicitur tempus accidere, & ea quorum dicuntur accidentia, sunt eiusmodi vt non possint inueniri, vt dies, nox, hora, motus, mãsio, affectio, impatibilitas. Dies quidem certè qui dicitur esse duodecim horarum, vt prius ostendimus, non consistit in duodecim horis, sed in vna sola præsenti, quæ non est dies. Eadem autem ratio est etiam in nocte & hora quæ largè intelligitur, & est veluti trium partium, quæ rursus nobis considerantibus cernitur non posse consistere. Neque enim quando est prima eius pars, consistit. nondum enim sunt reliquæ: neque quando secunda. tunc enim prima non est amplius, nondum autem est tertia. Cùm autem plures eius partes hoc modo non sint, nec ipsa esse potest. Ergo quoniam hæc sunt tempus: Epicurus autem dicit tempus esse horum accidentia: ex sententia Epicuri erit ipsum tempus sui accidens. Quinetiam ostẽsum est motus rationem esse variè dubiam, propterea quòd nec moueri possit in eo in quo est loco, nec in eo in quo non est. Simul quoque tollitur mansio. Nam si non sit motus, nec mansio quidem erit. Ex collatione enim eius quod mouetur, intelligi-

Nihil mouetur in loco in quo est, nec in eo in quo non est.

telligitur immobile: & eius quod non mouetur, id quod mouetur. Vnde quomodo si non sit dexterum, non erit sinistrum: ita si non sit horum alterum, nec reliquum quidem potest intelligi. Et aliter. Dicunt dubitatores: Quod manet, ab aliqua causa cogitur manere. Quod autem cogitur manere, patitur. Quod autē patitur, mouetur. Quod ergo manet, mouetur. Sed si Epicurus dicit tempus esse accidentia: ostensum est autem de his dubitari: fatēdum erit dubitari etiā de tempore quod eis accidit. Præterea si motus est incorporeus, & affectio, & vnumquodque eorum quæ sunt prędicata: & tempus etiā est incorporeum. Quoniam ergo est probabile incorporeis accidere incorporea, dicamus nec tempus esse accidens accidentium quæ sunt exposita. Cæterum cùm de temporis dubitauerimus essentia, deinceps dubitemus etiam de numero.

Quod manet, mouetur.

De numero.

PRÆTEREA quoniam ex rebus quæ sunt coniugatæ cum tempore, est etiam numerus, propterea quòd non absque enumeratione fiat temporis dimensio, vtpote horarū & dierum & mensium, & pręterea annorum: rectè habere existimamus, si post prius à nobis confectam de illo quæstionem, de eo quoque dicamus: & maximè quoniam qui sunt ex Physicis doctissimi, adeò magnam vim tribuerunt numeris, vt eos existiment principia & elementa vniuersorum. ij autem sunt sectatores Pythagoræ Samij. Dicunt enim eos qui verè & sincerè philosophantur, esse similes iis qui laborant in contexenda oratione. Quomodo enim primùm dictiones examinant: ex dictionibus enim constat oratio: & quoniam ex syllabis dictiones, primū considerant syllabas, ex syllabis enim in elementa vocis literatæ resolutis, de illis primùm scrutantur: ita dicunt Pythagorei oportere Physicos de vniuersitate scrutantes in primis examinare, in quænam resoluatur vniuersitas. Atque quod apparet quidem dicere esse principium vniuersorum, est quodammodo à natura alienum. Quidquid enim apparet, constare debet ex iis quæ non apparent. Quod autē ex aliquibus constat, non est principium, sed id quod illud ipsum constituit. Vnde etiam ea quæ apparenr, non sunt dicenda rerum vniuersarum principia, sed ea quæ constituunt illa quæ non apparent, quæ quidem non apparebant. Obscura ergo & nō apparentia posuerunt eorum quæ sunt, principia. Qui enim dixerunt atomos, vel similares partes ac magnitudines, aut communiter corpora quæ cadunt

Numeros Pythagorei posuerunt elementa & principia vniuersorum.

Quæ apparent, non sunt principia vniuersorum, sed ea quæ constituunt illa quæ non apparent.

ſub intelligentiam, eſſe rerum omnium principia, aliqua quidem ex parte ſe rectè geſſerunt, aliqua verò lapſi ſunt. Nam quatenus quidē obſcura & non euidentia dixerunt eſſe principia, rectè in eo verſantur: quatenus autem ea ponunt corporea, labūtur. Quomodo enim corpora quę percipiuntur intelligentia, & non ſunt euidentia, pręcedunt corpora ſenſilia: ita etiam oportet incorporea præcedere etiam corpora quæ percipiuntur intelligentia. & meritò. Quomodo enim elementa dictionis non ſunt dictiones: ita etiam elemēta corporum non ſunt corpora. Aut ergo oportet ea eſſe corpora, aut incorporea. Quamobrem ſunt omnino incorporea. Sed neq; licet dicere quòd æternas accidit eſſe atomos: & ideo poſſe, cùm ſint corporeæ, vniuerſorum eſſe principia. Primùm enim qui & ſimilares partes, & qui magnitudines, & qui minima & indiuidua dicunt eſſe elementa, eorum æternam relinquunt ſubſtantiam: quò fit vt non magis atomi, quàm ea ſint elementa. Deinde etiamſi datum fuerit re vera æternas eſſe atomos: attamen quomodo qui mundum relinquunt ingenitum & æternum, nihilo ſecius ad eum mente cogitandum quærunt principia quę ipſum primū conſtituerunt: ita etiam nos quoque, inquiunt Pythagorici, naturalium Philoſophorum more cogitantes, conſideramus, ex quibúſnam conſtent hæc æterna & ratione contemplanda corpora. Aut ergo ſunt corpora quæ ea conſtituunt, aut incorporea. Et corpora quidem non dixerimus, quoniam oportebit dicere etiam corpora, quæ illa conſtituant: & ita in infinitum procedente cogitatione, eſſe vniuerſitatem principij expertem. Reſtat ergo vt dicatur ex incorporeis cōſtitui corpora quæ percipiuntur intelligētia: quod etiam confeſſus eſt Epicurus, dicēs per congeriem figuræ & magnitudinis & reſiſtentiæ & grauitatis, intelligentia perceptum eſſe corpus. Atque quòd incorporea quidem oporteat eſſe principia corporum quæ ſunt ratione contemplāda, ex his eſt perſpicuum. Num autem, non ſi aliqua incorporea conſiſtunt ante corpora, ea neceſſariò ſunt rerum elementa & prima principia? Ecce enim ideæ quoque cùm ſint incorporeæ, vt vult Plato, cōſiſtunt ante corpora: & vnumquodque eorum quæ oriuntur ac fiunt, oriuntur ac fiunt ad ea relata. Sed eæ non ſunt rerum principia: quandoquidem vnaquæque idea ſi ſeorſum ſumatur, vnum eſſe dicitur: per alterius autem aut aliarum comprehenſionem, duæ aut tres aut quatuor. Quo fit vt numerus ſit tranſcendens earum ſubſtantiam: cuius per participationem, vnum aut duo aut tria, & his adhuc plura de eis prædicantur. & ſolidæ figuræ

Corpora intelligibilia præcedunt corpora ſenſilia.

Incorporea præcedunt corpora intelligibilia.

Atomi nō ſunt æternæ.

Ex incorporeis conſtituuntur corpora intelligibilia.

Incorporea etſi ſint ante corpora, non ideo ſunt rerū principia.

Ideæ non ſunt rerum principia.

ræ ante corpus mente agitantur, cùm habeant naturam incorporeã. ſed contrà, ea non ſunt omnium principia. Nam ea quoque cogitatione præcedunt figuræ planæ, propterea quòd ex illis conſiſtant ſolidæ. Sed nec figuras planas rerum poſueris elementa. Vnaquæque enim earum componitur ex lineis præcedentibus. & lineæ habent numeros qui mente prius cogitãtur, quandoquidem ex tribus lineis appellatur triangulus, & quadratum ex quatuor: & quia ſimplex linea non ſine numero mente eſt concepta, ſed à ſigno ducta in ſignũ hæret duobus: omnes autẽ numeri ipſi quoque cadunt ſub vnum. Nam binarius vnus eſt binarius: & ternarius vnum eſt, nempe ternarius: & denarius eſt vnum caput & vna ſumma numeri. His motus Pythagoras, dixit vnitatem eſſe rerum principium, per cuius participationem vnaquæque res vna dicitur: & eam ſi ex ſui quidem cogitetur, vt ita dicam, identitate, intelligi vnitatem. Sinautem ſibi adiungatur ex alteritate & diuerſitate, efficere interminatum & indefinitum qui vocatur binarium: propterea quòd numerabilium, eorumque quæ ſunt terminata ac finita, nullus ſit idem binarius, ex eius autem participatione intelligantur binarij, vt etiã arguunt in vnitate. Duo ergo ſunt rerum principia, Primum vnitas, ex cuius participatione omnes numerabiles intelliguntur vnitates: & interminatus binarius, ex cuius participatione ſunt omnes terminati binarij. Quòd autem hæc ſint re vera principia vniuerſorum, variè docent Pythagorei. Nam ex iis quæ ſunt, inquiunt, alia quidem intelliguntur ex differentia: alia autẽ ex repugnantia: alia autẽ relata ad aliquid. Atque ex differentia quidem eſſe quæ per ſe ſunt, & ſunt ſubiecta ex propria circunſcriptione: vt homo, equus, planta, aqua, aër, ignis. Vnumquodque enim eorum conſideratur abſolutè, & non ex ea qua ad aliud refertur habitudine. Ex repugnantia autem eſſe, quæ conſide[ra]ntur ex repugnantia alterius ad alterum: vt bonum & malum: iuſtum, iniuſtum: vtile, inutile: ſanctum, profanum: pium, impium: motum, quieſcens: & alia his ſimilia. Ad aliquid autem referri, quæ intelligũtur ex ea quæ eſt tanquam ad alterum relatione: vt dexterum, ſiniſtrum: ſurſum, deorſum: duplum, dimidium. Nam & dexterum intelligitur ex ea quæ eſt tanquam ad ſiniſtrum habitudine ac relatione: & ſiniſtrum ex ea quæ eſt tanquam ad dexterum. Surſum ex ea quę eſt tanquam ad deorſum: & ſimiliter in aliis. Dicunt autem ea quæ intelliguntur ex repugnãtia, differre ab iis quæ referuntur ad aliquid. Nam in contrariis quidem ac repugnantibus interitus alterius, alterius eſt ortus: vt in ſanitatę & morbo:

Figuræ nec ſolidæ nec planæ ſunt principia.

Vnitas eſt rerum principiũ.

Binarius quo modo etiam principium.

Triplex eſt rerum differentia, nempe & quæ intelliguntur ex differentia, & quæ ex repugnãtia, et quæ ſunt relata.

Ex differentia quænam ſint res.

Ex repugnantia quænã ſint.

Relata ad aliquid quænã ſint.

Ex repugnantia quæ ſunt, quomodo differant à relatis.

morbo,motu & quiete. Morbi enim ortus eſt ablatio ſanitatis. & ſi conſiſtat quidem motus, perit ſtatus: ſi oriatur autem ſtatus, tollitur motus. Eadem eſt ratio in dolore quoque & indolentia, bonoque & malo, & communiter in iis quę habent naturā contrariorum. Quę autem teferuntur ad aliquid,hoc continēt quòd ſimul ſunt & ſe inter ſe petimunt. Nihil enim eſt dexterum, niſi ſit etiam ſiniſtrum: nihil autem duplum,niſi prius ponatur dimidium, cuius eſt duplum. Prætetea in conttatiis quidem ac tepugnantibus nihil omnino cernitur medium:vt iam in motbo & ſanitate,vita & morte, motu & manſione. Nam inter ſanum eſſe & ægrotare, nihil intetcedit:& intet viuere & mori: & inter moueri & manete. In iis autē quæ quodammodo ſe habent relata ad aliquid,eſt medium. Nam inter maius, exempli cauſa,& minus,quę quodammodo ſe habent telata ad aliquid,intercedit medium,nempe ęquale:ſimiliter etiam inter plus & minus, eſt ſatis vel ſufficiens: intet acutum autem & gtaue, eſt conſonans. Cæterum cùm ſint tria geneta, nempe & quæ pet ſe ſunt, & quæ ex repugnantia,& prætetea ea quæ referuntur ad aliquid: debet neceſſariò etiam ſupta hæc ipſa poni aliquod genus & eſſe primum, proptetea quòd omne genus ſit ante ſpecies quæ ſunt ſub ipſo collocatæ. Nam ſi ipſum quidem tollatur, ſimul tolluntut omnes ſpecies: ſublata autem ſpecie,nō vtique amouetur genus.Nam ea dependet ex illo,& non contrà. Atque eorum quidem quæ pet ſe intelligūtur veluti tranſcendens genus poſuerunt vnum Pythagotei. Quomodò enim hoc pet ſe eſt, ita etiam vnumquodque eorum quæ ſunt ex differentia,& vnum eſt,& per ſe conſideratur. Eorum autem quæ ſunt ex tepugnantia,dixerunt eſſe principiū, generis locum tenens,ęquale & inæquale. In his enim conſideratut natura omnium quæ repugnant & ſunt conttaria:vt manſionis quidē in æqualitate. Non enim ſuſcipit maius & minus. Motus autem in inæqualitate: ſuſcipit enim maius & minus. Similitet autem id quidem quod eſt ſecundum naturam, in æqualitate. eſt enim inſtabilis exttemitas. Quod autem eſt præter naturam, eſt in inæqualitate. ſuſcipit enim maius & minus. Eadem ratio eſt in ſanitate & morbo, & rectitudine & obliquitate. Quæ autem teferuntur ad aliquid,conſtant genete, exupetatione & defectu. Nam magnum quidē & maius, multumque & plus, altumque & altius,intelliguntur per exuperationem: paruum autem & minus, abiectumque & abiectius,pet defectū. Sed quoniam quę per ſe ſunt, & quæ ſunt per repugnantiam,& quæ referuntur ad aliquid, cùm ſint genera,

Vnum eſt genus tranſcendens eorū quæ per ſe ſunt.

Aequale & inæquale eſt principium eorū quæ ſunt ex repugnantia.

Exuperatio & defectus eorum quæ referūtur ad aliquid.

genera, inueniuntur esse subiecta aliis generibus, vtpote vni æqualitati & inæqualitati, exuperationique ac defectui, consideremus an hæc quoque genera possint reduci ad alia. Atque æqualitas quidem reducitur ad vnum. Nam vnum quidem primò est sibi ipsi æquale. Inæqualitas autem cernitur in exuperatione & defectu. Inæqualia enim sunt, quorum alterum quidem superat, alterum verò superatur. Sed exuperatio quoque & defectus collocatur in ratione interminati binarij, quandoquidẽ prima exuperatio & defectus est in duobus, nẽpe in exuperanti & in exuperato. Emerserunt ergo omniũ in summo principia, nempe prima vnitas & interminatus binarius, ex quibus fieri dicunt, & vnum quod est in numeris, & rursus eum qui post hæc est binarium. A prima quidem vnitate vnum: ab vnitate autem & interminato binario, duo. bis enim vnum, duo. & cùm in numeris nondum positus esset binarius, ne bis quidem erat in iis: sed sumptus fuit ex interminato binario: & ita ex eo & vnitate natus est binarius qui est in numeris. Similiter autem reliqui quoq; numeri ex his fuerunt effecti, vno quidem semper ambulante, interminato autem binario duo gignente, & numeros in infinitam extendente multitudinem. Dicunt itaque in his principiis vnitatem tenere rationem causæ agentis, binarium autem materiæ patientis. & quomodo eos qui ex iis constant effecerunt numeros: ita etiam mundum cõstruxerunt, & quæcunque sunt in mundo. Iam enim ex ratione vnitatis collocatum esse signum. Quomodo enim vnitas est aliquid indiuiduum: ita etiam signum est aliquod principium in lineis. Quo fit vt signũ quidem habuerit rationem vnitatis, linea autem sit considerata ex ratione binarij. per transitũ enim intelligitur & binarius & linea. & alioqui quæ intelligitur inter duo signa longitudo expers latitudinis, est linea. erit ergo ex binario linea. Superficies autem ex ternario, cuius non solùm ipsa consideratur longitudo, quatenus erat binarius, sed etiam tertiam accepit distãtiam, nempe latitudinem. & tribus signis positis, duobus quidem ex contrario interuallo, tertio autem in medio lineæ quæ perfecta est ex duobus, rursus ex alio interuallo efficitur superficies. Solida autem figura & corpus, vtpote pyramidale, locatur ex quaternario. Tribus enim signis, vt prius dixi, sitis imposito aliquo alio supernè signo, efficitur pyramidalis figura solidi corporis. Iam enim habet tres dimensiones ac spatia, nempe longitudinem, latitudinem, profunditatem. Nonnulli autem dicunt ex vno signo constare corpus. hoc enim signum fluẽs efficere lineam: lineam

Aequalitas reducitur ad vnum.

Exuperatio et defectus reducuntur ad binarium.

Vnitas & binarius sunt omniũ principia.

Numeri quomodo nascantur ex vno & binario.

Vnitas habet rationem causæ agentis.

Binarius habet rationem causæ patiẽtis, id est materiæ.

Vnum & binarius constituerunt mundum, & quæ sunt in ipso.

Signum habet rationem vnitatis.

Linea consideratur ex ratione binarij.

Superficies cõsideratur ex ternario.

Solida figura, vtpote pyramis, consideratur ex quaternario.

cuius participatione vnusquisque & vnus homo fuit intellectus, & multi vocantur homines. Intelligitur enim homo, animal rationis particeps mortale. & propterea neq; Socrates est homo, neque Plato, neque aliquis alius in specie. Si enim Socrates, quatenus est Socrates, est homo, Plato non erit homo, neque Dion aut Theon. & si Plato est homo, non erit homo Socrates. Dicitur autem & Socrates homo, & Plato, & vnusquisque ex aliis: neque ex singularibus hominibus vnusquisque est homo: sed is cuius participatione vnusquisque intellectus est homo, qui non est vnus ex ipsis. Eadem autem est ratio & in planta, & in cæteris omnibus. Absurdum est autem dicere nullum ex singularibus hominibus esse hominem, neque ex plantis plantam. Absurdũ est ergo & vnumquodque ex numerabilibus propria ratione nõ dicere esse vnum. Et alioqui quæ etiam aduersus genus affertur dubitatio, videtur peruenire etiam vsq; ad hanc opinionem Pythagoreorum. Quomodo enim homo in genere neque consideratur cum hominibus in specie, nam ipse quoque est, vt ita dicã, specialis: neque seorsum consistit, quoniam singulares non fient homines eius participatione: neque in iis ipsis continetur. In cogitationem enim non cadit esse infinitos eius participatione, & partim quidem mortuis, partim viuis contineri. Quomodo ergo est hęc oratio dubia, ita etiam de hoc vno dubia magis erit, eo quòd nec cum singularibus numeris id consideretur, neque de vniuerso id statuatur, neque vniuersi participatione id sit principium infinitis. Vnius quidem certè idea, cuius per participationem vnumquodque intelligitur, aut vna est vnius idea, aut plures ideæ vnius. Et si vna quidẽ, aut totius est particeps vnumquodq; ex numerabilibus, aut alicuius eius partis. Et si totius quidem est particeps, non est vna. Si enim totam vnius ideam habet, exempli causa A, necessariò B non habẽs cuius sit particeps, non erit vnum. quod est absurdum. Si autem multarum partium est vnius idea, & vnumquodque ex numerabilibus est particeps vniuscuiusque eius partis: primùm quidem vnaquæque res nõ erit particeps ideæ vnius, sed partis eius: & ideo non erit vtique vna. Quomodo enim pars hominis non est homo, & pars dictionis non est dictio: ita pars ideæ vnius, non facit vt quod eius fuerit particeps sit vnum. Deinde vnius idea, non erit amplius idea vnius, neq; vna, sed plures. Vnum enim, quatenus est vnum, est indiuiduum. & vnitas, quatenus est vnitas, non diuiditur. aut si in plura diuiditur, fiet congeries multarum vnitatum: & non est vnitas. Si autẽ vnius plures

& multa, ex singularibus hominibus nullus erit homo.

Vnius sitne vna idea, an plures.

sunt ideæ, adeò vt vnumquodque ex numerabilibus sit particeps alicuius propriæ ideæ ex qua vnũ intelligitur, aut idea A, & idea B sunt participes alicuius vnius ideę, ex qua vnumquodque eorum appellatur vnum, aut non sunt participes. Et si non sunt quidem participes, quomodo eæ possunt censeri dignæ appellatione vnius, & si nõ sint participes transcendentis ideæ vnius: ita etiam potest quidquid quomodocunq; dicitur vnũ, non appellari ex participatione ideæ vnius. Si autem sunt participes, manet quæ ab initio fuit dubitatio. Quomodo enim sunt duæ ideæ participes vnius ideæ, vtraque totius aut partis eius? Vtrumuis enim dixerint, redibunt quæ à nobis paulò antè allatæ sunt dubitationes. Accedit ad hæc, quòd quoniam quidquid ab homine comprehenditur, aut sensu comprehenditur & solo occursu, aut mente ac cogitatione: omnino congeries quoque si potest ab homine comprehendi, aut sensu comprehendetur, aut mente seu cogitatione. Sed sensu quidem & simplici indicatione comprehendi non potuerit. nonnullos enim decipit substantia numerabilium. Nam ea videntes alba aut nigra, aut communiter sensilia, existimant numerum esse rem aliquam sensilem & apparentem, cùm rei non ita habeat veritas. Nam album quidem & nigrum, &, exempli gratia, planta, lapis, & lignum, & vnumquodq; ex numerabilibus cernitur, & sensu potest comprehendi. Numerus autem, vt numerus, non est nobis sensilis, nec apparet. Consideremus autem hoc modo: Sensilia vt sensilia à nobis apprehenduntur etiam absque doctore. Nemó enim docetur videre album aut nigrum: neque asperum aut leue apprehendere. Numerus autem, vt numerus, non sine doctore à nobis apprehenditur. Quòd enim bis duo sint quatuor, & ter duo sint sex, & decies decem centum, discendo cognouimus. Non est ergo numerus aliquid sensile. An autem cognitus sit memoria per additionem & compositionem aliquorum, dubitabit quispiam recedens à sensilibus: vt Plato quoque dubitauit in libro De anima, quemadmodum duo seorsum manentia, duo non intelliguntur: si simul autem coïerint, fiunt duo. Nam si post coitũ sunt eiusmodi cuiusmodi erãt ante coitum, erat autem vtrunque eorum vnum ante coitum, erit etiã post coitum vtrunque vnum. Nam si dederimus eis aliquid amplius accedere, præter id quod erant, nempe binarium, erit cõgressus duorum quaternio. Si enim vni quod coïit & vni amplius accedit binarius: quoniam in eo est vnitas, & vnitas intelligitur in cõgressu vnius & vnius, fiet quaternio, cùm duo quidem intelligantur quæ coëunt, duplex

Numerus non est sensilis nec apparet.

Sensilia apprehenduntur absque doctore.

Numerus sine doctore à nobis non apprehenditur.

Numerus sit ne memoria cognitus per additionem & compositionem aliquorum.

De numero quid dicat Plato in libro De anima.

duplex autem fit secundum naturam qui eis accessit binarius. Et rursus si in iis qui per coitum efficiunt denarium, aliquid amplius accedit denarius: quandoquidem in denario intelligũtur nouem & octo & septem, & reliqui inferiores numeri, infinitè infinitorum multitudo erunt decem, vt superius ostendimus. Plato autem vult etiam aliter argumentari. Si enim vnum, inquit, quãdo diuiditur & separatur, fit duo, omnino etiam vtriusque singulatim in vnum congressus, nõ intelligetur duo. Primæ enim causæ contraria est secunda causa. & si quæ ab eodem separantur duo sunt, quæ simul colliguntur & inter se sunt addita, non sunt duo. Est autem apud eum hic verborum contextus: Miror enim si quando vtrunque eorum erat inter se separatum, vtrunque erat vnum, & tunc non erant duo, sed cùm inter se appropinquarent. Hæc ergo fuit causa vt duo fierent, coitus vt inter se proximè ponerentur. Neque verò si quis vnum disciderit, potest adhuc mihi persuaderi, quòd similiter scissio causa fuerit vt duo fierent. contraria enim est quæ tunc erat causa vt duo fierent. Nam tunc quidem, quoniam propè inter se cogebantur, & alterum alteri addebatur: nunc autem quoniam alterum ab altero abducitur & separatur. per hæc apertè dicens, quòd si solus coitus vnius & vnius, & vnius solùm additio est causa vt fiant duo, cùm prius duo non essent, quomodo possum adhuc mihi persuadere, quòd vnum quando separatur & distrahitur, fit duo? coitui enim contraria est scissio & separatio. Atque sic quidem Plato. Sic quoque licet interrogare: Si numerus est aliquid: quando alteri additur aliquid, vt vnitati vnitas, tunc aut vnitatibus quæ coïerunt accedit aliquid: aut ab iis quæ coïerunt abscedit aliquid: aut ab eis neq; abscedit aliquid, nec accedit. Sed si eis neque accedit aliquid neque ab eis recedit, non erit binarius per alterius alteri additionem, vt neque erat ante coitum. Sinautem abscedit aliquid per earum additionem, erit diminutio vnius vnitatis, & non erit amplius binarius. Sinautem eis accedit aliquid, vtpote binarius: quæ debent duo esse, fient quatuor. Binarius enim qui accessit, erat vnitas & vnitas. Cùm ergo accesserit vnitati & vnitati quæ coibant, efficiet numerum. quod quidem est absurdum. Non est ergo aliquid numerus.

De ortu & interitu.

De ortu & interitu existit quæstio Scepticis cum Physicis de vniuersitate. siquidem ex iis qui considerarunt de constitutione vniuersitatis, alij quidem ex vno generarunt omnia: alij autem ex pluribus.

De mundi cõstitutione fuerunt diuersæ physicorũ sententiæ.

bus. Et ex iis quidem qui ex vno, alij quidem ex nulla qualitate prædito, alij verò ex aliqua prędito qualitate. Et ex iis qui ex aliqua qualitate prædito, alij quidẽ ex aëre: alij verò ex aqua: alij verò ex igne. Et ex iis qui ex numerabilibus, alij quidem ex duobus: alij verò ex quatuor: alij autem ex quinque: alii autem ex sex. Et ex iis qui ex infinitis, alii quidem ex similibus iis quæ generantur: alii autem ex dissimilibus. Et ex his, alii quidem ex impatibilibus: alii verò ex patibilibus. Atque ex nulla quidem qualitate prædito & vno corpore vniuersitatis ortum constituerunt Stoici. Rerum enim, ex eorum sententia, principium est materia expers qualitatis, & omnino mutabilis. Ea autem mutata fiunt quatuor elementa, ignis, & aër, & aqua, & terra. Ex vno autem eoque qualitate prædito orta volunt esse omnia, Hippasus & Anaximander & Thales. Ex quibus Hippasus quidem, & vt nonnulli volunt, Heraclitus Ephesius, ex igne rerum fuisse ortum scriptum reliquerunt, Anaximander autem ex aëre, Thales verò ex aqua, Xenophanes verò, vt nonnulli volunt, ex terra.

Ex igne ortũ esse mundum scripsit Hippasus & Heraclitus Ephesius.

,, *Omnia namque ex terra, in terram & cuncta redibunt.*

Ex pluribus autem & numerabilibus, ex duobus quidẽ, nempe terra & aqua, Poëta Homerus, aliquando quidem dicens:

,, *Oceanumq; Deûm patrem, Tethim quoque matrem.*

Aliquando verò,

,, *Cuncti, cuncti, inquam, sed vos aqua terraque sitis.*

Ei autem, vt nonnulli volunt, adstipulari quoque videtur Xenophanes Colophonius. Dicit enim,

,, *Ex tellure & aqua exorti nam nos sumus omnes.*

Ex terra autẽ & æthere, Euripides, vt licet accipere ex eo quod dicit,

,, *Aethera canto ipsum, rerum terramque parentem.*

Ex quatuor autem, Empedocles.

,, *Radices primum nam terræ quattuor audi.*
,, *Candens Iuppiter, almaque Iuno, Plutoque, Nestis*
,, *Tristia quæ ora hominum & lachrymis perfundere fertur.*

Ex quinque autem, Ocellus Lucanus & Aristoteles. Simul enim cum quatuor elementis assumpserunt quintũ corpus quod mouetur in orbem, ex quo dicunt esse cœlestia. Ex sex autem ortum omnium posuit Empedocles. Nam cùm dicit omnium quatuor esse radices, ex quatuor ortum esse statuit. Quando autem addit,

Ocellus Lucanus & Aristoteles addiderunt quatuor elemẽtis quintũ corpus quod mouetur in orbem.

,, *Perdendamque absque iis, illisque parem vndique litem.*
,, *Cum his quoque amicitiam, quæ longa est lataque tantum:*

sex

ſex tradit rerum principia: quatuor quidem materialia, terram, aquã, aërem, ignem. Duo autem agentia ſeu efficientia, amicitiam & litem ſeu contentionem. Ex infinitis autem rerum ortum eſſe ſunt opinati, Anaxagoras Clazomenius & Democritus & Epicurus, & alii permulti. Sed Anaxagoras quidem ex ſimilibus iis quæ generantur: Democritus autem & Epicurus ex diſſimilibus & impatibilibus, nempe ex atomis. Heraclides autẽ Ponticus & Aſclepiades ex diſſimilibus quidem ſed patibilibus, nempe ex incõcinnis corpuſculis. Cùm ergo prius ſumpſerimus quòd his omnibus dubia oſtenditur & incerta ratio phyſiologiæ ſublato ortu & interitu, promptius & alacrius de iis dicere aggrediamur, quæ ab eis dicuntur. Quanquam ſi rectè examinemus, per ea quæ prius dicta ſunt, huic capiti iam ſatis magna fuit vis allata. Quod enim oritur & interit, in tempore oritur & interit. Tempus autẽ non eſt, vt ſuperius oſtendimus. Quamobrem nec erit quod oritur & interit. Omnis quoque ortus & interitus ſunt quidem motus habentes vim mutandi. Nihil eſt autem motus, vt prius probauimus. Nec ergo fiet ortus nec interitus. Quidquid etiam gignitur & interit, non generatur & interit abſque agente & patiente. Nõ agit autem aut patitur quidquam. Quamobrem neque gignitur aliquid nec interit. Præterea ſi aliquid oritur & interit, alicui debet addi aliquid, & aliquid ab aliquo auferri: aut aliquid ex aliquo mutari. Ortus enim & interitus debet conſtare aliquo ex his quatuor modis: vt in denario, per ablationem vnitatis, fit quidem nouem, interit autem decem. Et rurſus in nouenario per additionem vnitatis, fit quidem denarius, interit autem nouenarius. Et in iis quæ intereunt aut gignuntur per verſionem ac mutationem, eadem eſt ratio. Sic enim interit quidem vinum, fit autem acetum. Si ergo quidquid oritur & interit, aut per additionem, aut per ablationem, aut per mutationem oritur & interit: quoniam oſtendimus neque eſſe additionem, neque ablationem, neque mutationem, vi ac poteſtate oſtendimus neque eſſe ortum nec interitum. Ad hæc accedit quòd id quod generatur & interit, debet tãgere illud à quo interit, & id in quod mutatur. Nihil eſt autem tactus, vt oſtenſum eſt. Neque ergo poteſt conſiſtere ortus aut interitus. Licet autem etiam primo loco dubitando dicere, quòd ſi fit ſeu oritur aliquid, aut fit id quod eſt, aut id quod nõ eſt. Sed neque fit id quod non eſt: ei enim quòd nõ eſt, nihil accidit. Cui autem nihil accidit, neque vt fiat oriatúrve accidit. Et aliter. Quod oritur ſeu generatur, patitur. Quod autem non eſt, nihil poteſt pati:

Ortum non eſſe probatur ex eo quòd nõ ſit tẽpus in quo res oriantur.

Ortum non eſſe probatur ex eo quòd nõ ſit motus.

Ortus et interitus reprobatur ex eo quòd nulla ſit additio nec ablatio.

Ortus & interitus tollitur ex eo quòd nõ ſit tactus.

Non oritur quod eſt, neque quod non eſt.

eius

eius enim quod est, est pati. Non ergo fit aut oritur id quod non est. Sed neque id quod est. Iam enim est id quod est, neque opus habet ortu seu generatione. Nō ergo id quod est, generatur seu oritur. Sed si neque id quod est, neque id quod non est, gignitur seu oritur: præter hæc autem nihil tertium cogitare licet: nihil gignitur seu oritur.

Gignuntur seu fiūt res ex vno per mutationem, ex pluribus per compositionem.

Aliter. In iis quæ cernuntur, considerantur alia quidem quæ gignuntur ex vno per mutationem: alia autem ex pluribus per compositionem. Et ex vno quidem per mutationē, quæ eadem manente essentia, ex alia aliam sumunt qualitatem: vt quando eodem manente humore in eadem multitudine, mustum quidem euanuerit, vinum autē factum fuerit: aut vinum quidem euanuerit, acetum autem extiterit. aut cera manente euanescit quidem durities, facta sit autē mollities, aut contrá. Ex pluribus autem per compositionem, vt catena quidem per alligationem circulorum seu annulorum: domus autem per coagmētationem lapidum: vestis autem per connexionē subtegminis & staminis. Si autem aliquid oritur etiam in iis quæ cadūt sub intelligentiam, aut ex eo quod est, oritur aliquid, aut ex eo quod non est.

Ex eo quod nō est, nihil potest generari.

Et ex eo quidem quod non est, nihil potest fieri. Oportet enim id quod gignit, alicuius habere essentiam, & aliquem motum suscipere. Quamobrem ex eo quod non est, non potest esse quod generatur.

Ex eo quod est, nihil potest fieri aut generari.

Ex vno nihil potest oriri seu generari.

Nihil potest augeri aut minui.

Sed neque ex eo quod est. Nam si ex eo quod est, gignitur aut fit aliquid, aut fit ex vno aut ex pluribus. Et gigni quidem non potest ex vno. Si enim fit seu generatur ex vno, fit aut dum augetur aut minuitur, aut manet in eodem. Sed fieri non potest vt idem augeatur & minuatur. neque potuerit aliquid effici seipso maius, aut aliquid idē effici seipso minus. Nam si seipso efficiatur amplius: quoniam nihil habet amplius præter se, ex eo quod non est, habet additionem. Sin autem seipso rursus minus, quoniam nihil habet sui quod pereat præter se, in id quod non est peribit. Nihil ergo potest fieri seu oriri ex eo quod augetur aut diminuitur.

Ex eo quod manet in seipso, nihil gignitur.

Ex immutabili nihil gignitur.

Ex mutato nihil gignitur.

Sed neque quod gignitur erit in eo quod manet in ipso. Nam si ita sit, aut eo manēte immutabili aliquid ex ipso generatur, aut eo mutato. Sed ex immutabili quidē, & quod semper similiter & eodem modo se habet, non potest aliquid gigni. est enim generatio qnædam alteratio. Si autem ex mutato ac verso: aut in seipsum mutato fit quod generatur, aut in alterum. Et si quidē mutato in seipsum, quod aliquid gignit rursus manet idē. & manens idem, nihil generabit amplius. Sin autem vertatur in alterum: à propria substantia excedit quod vertitur & oritur: aut manet quidem in

pro-

propria substanria, aliam autem formam pro alia suscipiens oritur: vt cera quæ transformarur, & aliàs aliam formam suscipir. Sed si à propria quidem excedat substantia, in id quod non est interibit: & in id quod non est inreriens, nihil generabir. Si autem manens in propria substantia, & aliam pro alia qualitarem suscipiens generatur, eadem existir dubiratio. Aur enim manenre prima forma, & priore in ipso qualitare, fir secunda forma & secunda qualitas, aut non manēte. Sed neque manente priore forma, fit secunda: neque non manente, vt prius ostendimus, quando considerabamus de patiente. Ergo nec ex vno fir quod oritur. Sed nec ex pluribus. Nam si duo coierint, non orietur tertium duobus manentibus. Et rursus si tria coierint, non orietur quartum tribus manentibus. De his aurem dictum est accuratius, quando quærebamus de hominis substātia, ostendentes quòd homo neque est corpus, neque anima, neq; compositum. Quamobrem si neque ex vno est quod oritur seu generatur, nec ex pluribus: prærer hæc aurem nihil est: necessariò ex iis quæ sunt, nihil oritur seu gignitur. Sic quidem de ortu disserunt dubitatores. Dogmatici autem non occurrentes ad sentenriam, rursus confugiunt ad exempla quæ petunrur ex euidentia. Nam aqua quidem cùm fit calida, non fit autem frigida, fit frigida. & quod est æs, cùm non sir statua, fir statua. & ouum quidem potestate est pullus, actu autem nō est ac perfectione: sed dicitur porestate esse pullus, ad hoc vt sit actu ac perfectione. Ergo & quod est, fieri gignique potest, & id quod non est. Deinde videmus ex homine gigni infanrem: succum autem ex herba. Quo fit vt omnis oratio Dogmaticorum procedat ad euidentiam. Errant autem qui hæc dicunt, & non occurrunt ad propositum. Aqua enim calida, & quæ non est frigida, neque fit calida, eo quòd sit, neque frigida, eo quòd non sit. Prærer esse autem nihil est. Ergo nec in aqua ortus est aliquis seu generatio. Er rursus neque fir æs, quoniā est æs: neque statua, quoniam non est. In iis quoque quæ sunt porestate & actu seu perfectione, eadē est ratio. Alioqui aut est aliquid amplius in eo quod est actu ac perfectione, quàm in eo quod est potestate, aut non est. Er si quidem nihil est amplius, eo ipso neque fit seu oritur, eò quòd sit potestate. Sin autem est amplius, hoc fir ex eo quod non est. quod quidem est absurdum. At, inquiunt, infans oritur ex muliere grauida: & ex herba consistit succus. Er quid hoc, dicemus, ad id quod quæritur? Neque enim infans fit seu oritur cùm paritur, sed in apertum ex occulto ducitur. Neque succus: erat enim prius in herba,

Ex pluribus non fit id quod generatur.

In rerum ortu ac generatione Dogmatici confugiunt ad euidentiā. ἐντελεχέια

Aqua non fit calida nec frigida.

In aqua non est generatio.

In ære non est generatio.

Potentia & actu esse nihil est.

Infans nō oritur cùm paritur, sed in apertū profertur.

Succus in herba non oritur, sed à loco transit ad locum.

herba, & extra herbam egressus solum mutauit locum. Quomodo ergo eum qui ex tenebris prodiit in lucem, non dicimus gigni, fieri aut oriri, sed à loco in locum transiuisse: eodem modo nec infantem fieri aut gigni dicemus, sed ex alio in alium transire locum. Nihil ergo gignitur seu oritur.

Nihil interit.

eadem autem ratione nec interit. Si enim aliquid interit: aut id quod est, interit, aut id quod non est. Sed neque quod nõ est, interit. Nã quod interit, ad hoc vt non sit interit. Quod autem non est, cùm iam in eo sit quòd non est, non opus habet vt ad hoc transeat. Sed neque id quod est. Aut enim interit, manens in eo quòd sit, aut non manens. Et si manens quidem, simul erit & nõ erit, interibitque & non interibit. Si autem non manens, perit, & non vtique quod est, sed quod non est interit. Quamobrem si neq; quod est, neque quod non est, interit: præter hæc autem nihil est: nihil interit. Quidam autem hærentes temporum ortui & interitui, sic interrogant:

Mortuum nõ esse Socratem quomodo probetur.

Si mortuus est Socrates, aut mortuus est quando viuebat, aut quando è vita excessit. Et viuens quidem non est mortuus. vtique enim viuebat. & viuẽs non fuit mortuus. Sed neq; quando est mortuus. bis enim esset mortuus. Eadem autem vi ac virtute, sed in diuerso exemplo, Cronus hanc interrogauit orationem: Si interit paries,

Paries nunquam interit.

aut quando se inter se tangunt lapides & sunt compacti, interit, aut quando sunt separati ac disiuncti. Sed neque quando se inter se tangunt & sunt compacti, interit paries: neque quando sunt separati ac disiuncti. Et oratio quidem est huiusmodi. Duo enim sunt in cogitatione tempora, nempe & in quo se tangunt lapides & sunt compacti, & in quo sunt separati ac disiuncti. Præter ea autẽ nullum tertium potest tempus cogitari. Si ergo interit paries, in eorum altero debet interire. Sed in eo quidem in quo se inter se tangunt & sunt compacti lapides, nõ potest interire. est enim adhuc paries. & si est, non interit. Neque in eo in quo sunt seiuncti & separati. nõ est enim amplius paries. Quod autem non est, non potest interire. Si ergo neque quando se inter se tangunt lapides, interit paries, neque quando sunt separati ac seiuncti, non interit paries. Sic quoque concipi potest intertogatio:

Quod oritur & interit, nec in tempore in quo est, nec in tempore in quo non est, oritur aut interit.

Si aliquid oritur & interit, aut in tẽpore in quo est, oritur & interit, aut in tempore in quo non est. Et in eo quidẽ in quo nõ est, nec oritur nec interit. Nam quatenus is est, nec oritur nec interit. Sed nec in eo in quo non est, eorum quidpiam ei eueniret. In eo enim in quo non est aliquid, neque pati potest quidpiam neque agere. Quod si ita est, nihil oritur nec interit. Atque hæc quidem dicta

dicta sunt aduersus naturales Philosophos. Tempus est autẽ ad eos quoque transeundi, qui amplexi sunt eam partem Philosophiæ quæ versatur in moribus.

Sexti Empirici liber decimus.

QVÆ ADVERSVS logicam & naturalem Philosophiæ partem, à Scepticis afferuntur dubitationes, prius persecuti sumus. Restat autẽ vt eas quoque subiiciamus quę afferri possunt aduersus eam quæ versatur in moribus. Sic enim vnusquisque nostrûm cùm perfectam ac scepticam seu considerantem acceperit affectionem, vt ait Timon, in quiete ac silentio facillimè semper viuet absque solicitudine ac motu, ea ratione

„ *Ad mala non tendens suauiloquæ sophiæ.*

Sed quoniã morum contemplationẽ omnes ferè vno consensu existimant versari in bonis & malis discernendis, vt qui eã primus visus est mouisse Socrates, præcepit quærere tanquã maximè necessariũ,

„ *Aedibus in nostris quæ praua aut recta gerantur.*

oportebit nos quoque statim in initio de hac cõsiderare differentia.

Sceptici viuunt absque metu & solicitudine.

Quænam sit summa rerum vitæ differentia.

OMNES Philosophi qui ritè videtur instituere, & præter omnes pręclarissimè, veteres Academici, & Peripatetici, & pręterea Stoici, diuidentes solent dicere, ex iis quæ sunt alia quidem esse bona, alia verò mala, alia autẽ intermedia, quæ etiam dicunt indifferentia. aliis autẽ magis propriè Xenocrates. & singularis numeri vtens casibus, » dicebat: Quidquid est, aut bonum est, aut malum est, aut neque bo- » num est, neque malum. Et cùm cæteri Philosophi absque demõstratione hanc proferrent diuisionem, ipse visus simul quoque assumere » demonstrationẽ, dicebat: Nam si est aliquid separatum à rebus bo- » nis & malis, & neque bonis neque malis, illud aut est bonum, aut nõ » est bonum. Et si est quidem bonum, erit vnum ex tribus. Sin autem » non est bonum, aut est malum, aut neque bonum, neque malum. Si » autem est malum, rursus erit vnum ex tribus. Quidquid ergo est, aut bonum est, aut malum est, aut neq; bonum est neque malum. Vi autem ac potestãte is quoque admisit diuisionẽ absque demonstratione. Quæ enim ad eam cõfirmandam assumpta est, non est alia quàm ipsa. Vnde si in se fidẽ continuerit demonstratio, ex se quoque fidem faciet

Ex iis quæ sunt, alia bona, alia mala, alia indifferentia.

Bonũ esse, & malum, & indifferens, quomodo probet Xenocrates.

Diuisio Xenocratis de bonis, malis, & indifferẽtibus, est absque demonstratione.

faciet diuisio, vt quæ non differat à demonstratione. Sed tamen quamuis videatur inter omnes conuenire quòd sit triplex rerum differentia, nonnulli tamen differendo verba profundunt, confitentes quidem in rebus hanc esse differentiam, sophisticè autem se inuoluentes in exposita diuisione. Hoc autem sciemus si rem paulo altius repetierimus. Dicunt enim artium scriptores definitionem differre sola constructione ab eo quod est in genere, &, vt vocant vniuersale, cùm vi ac virtute sit eadem, & meritò. Nam qui dixit, Homo est animal rationis particeps mortale, vi quidem ac virtute idem dicit quod is qui dixit, Si quid est homo, illud est animal rationis particeps mortale, voce autem differt. Quòd autem hoc ita sit, est ex hoc perspicuum, quòd non solum vniuersale, vt vocant, comprehendat singularia, sed definitio quoque peruadat ad omnes species rei quæ definitur: vt definitio quidem hominis ad omnes homines in specie: equi autem definitio ad omnes equos. & si vnum positum sit falsum, vtrunque fit malum, nempe vniuersale & definitio. Cæterum vt hæc voce variantia, vi ac virtute sunt eadem, similiter perfecta quoque, inquiunt, diuisio vim habens vniuersalem, constructione differt ab vniuersali. Qui enim hoc modo diuidit, Ex hominibus alij quidem sunt Græci, alij verò Barbari, tantundē dicit atque hoc, Si aliqui sunt homines, illi sunt aut Græci, aut Barbari. Nam si inueniatur aliquis homo, qui neque sit Græcus nec Barbarus, necesse est vt mala quidē sit diuisio, falsum autem sit vniuersale. Quamobrem id quoq; quod sic dicitur, Ex iis quæ sunt, alia quidem sunt bona, alia verò mala, alia autem intermedia, perinde est ex Chrysippi sententia ac hoc vniuersale, Si sunt aliqua quæ sunt, illa sunt aut bona, aut mala, aut indifferentia. Hoc autem vniuersale est falsum, si aliquid falsum ei subiiciatur. Si duæ enim, inquit, res subiiciantur, altera quidem bona, altera verò mala, aut altera quidem bona, altera verò indifferens, aut mala aut indifferens, illud quidem Ex iis quæ sunt, aliud quidem est bonū, verum est: hoc autem, Hæc sunt bona, est falsum. non enim sunt bona: sed alterum quidem bonum, alterum verò malum. Et illud, Hæc sunt mala, rursus falsum. non enim sunt mala, sed alterum eorum. Similiter autem in indifferentibus. falsum est enim, hæc sunt indifferentia, vt hoc quoque, Hæc sunt bona vel mala. Atq; huiusmodi quidem est hæc obiectio. Videtur autem non tangere Xenocratē, propterea quòd non sit vsus casibus pluralibus. Quo fit vt in indicandis iis quæ sunt diuersi generis, falsa facta fuerit diuisio. Alij autem illam

Definitio differt sola constructione ab eo quod est in genere et vniuersale.

Diuisio perfecta vim habēs vniuersalem, constructione differt ab vniuersali.

quoque

quoque fecerunt obiectionem: Omnis, inquiunt, recta diuiſio eſt generis ſectio in propinquas ſpecies. Et ideo mala eſt hæc diuiſio, Ex hominibus alij quidem ſunt Græci, alij verò AEgyptij, alij verò Perſæ, alij verò Indi. Aliarum enim propinquarum ſpecierũ non ea quæ eſt coniugans & proxima ſpecies ex aduerſo opponitur, ſed multæ eius ſpecies. cùm oporteret ſic dicere: Ex hominibus alij quidẽ ſunt Græci, alij verò Barbari. & deinde per ſubdiuiſionem, Ex Barbaris alij quidẽ ſunt AEgyptij, alij verò Perſæ, alij autem Indi. Quod quidem eſt etiam in eorum quæ ſunt diuiſione. Nam quæ ſunt bona & mala, nobis ſunt differentia. Quæ autem inter bona & mala ſunt intermedia, ſunt nobis indifferentia. Oporteret ergo diuiſionem non ſe ſic habere, ſed potius hoc modo. Ex iis quæ ſunt, alia quidem ſunt indifferentia: alia verò differentia. Ex differentibus autem alia quidẽ ſunt bona, alia verò mala. Eſt enim hæc diuiſio ſimilis ei quæ dicit, Ex hominibus alii quidem ſunt Græci, alii verò Barbari. Ex Barbaris autem alii quidem AEgyptii, alii verò Perſæ, alii verò Indi. Quæ autem fuit expoſita, eſt ſimilis huic, Ex hominibus alii quidẽ ſunt Græci, alii verò AEgyptii, alii autem Perſæ, alii verò Indi. Sed de his quidem obiectionibus non eſt nunc neceſſe prolixa vti oratione. Illud autem fortaſſe prius cõueniet explicare & diſtinguere, quod Eſt duo ſignificat, & vnum quidem, alicuius eſſe eſſentiam: vt in præſentia dicimus, Dies eſt, id eſt Diei nunc eſt eſſentia. Alterum autem eſt, vt Dies apparet. vt nonnulli Mathematici ſæpe ſolent dicere, Quod inter aliqua duo aſtra eſt interuallum, eſt cubitale, quaſi dicant, Apparet, non autem eſt omnino. Nam fortaſſe quidẽ eſt centum ſtadiorum: apparet autem vnius cubiti propter altitudinem, & propter viſus diſtantiam. Cùm autem hæc particula Eſt, ſit duplex: quando ſcepticè ſeu conſiderando dicimus, Ex iis quæ ſunt, alia quidem ſunt bona, alia verò mala, alia intermedia: illud Sunt, ibi locamus non vt quod ſignificet eſſentiam, ſed apparitionem. Nam de bonorum & malorum & neutrorum ſecundum naturam ſubſtantia, eſt nobis ſatis magnum certamen aduerſus Dogmaticos: Quòd autem ad id attinet quod apparet vnumquodque, ſolemus appellare bonũ vel malum vel indifferens: vt etiam in populis videtur Timon id declarare, cùm dicit,

Diuiſio recta eſt generis in propinquas ſpecies.

Diuiſio bonorum & malorum & indifferentium non rectè facta.

Eſt duo ſignificat, & eſſentiam & apparitionem.

De bonis & malis quid dicat Timon.

„ *Dico etenim, mihi quòd quidam ſermo eſſe videtur,*
„ *Qui index veri & regula recta fiet,*
„ *Quòd natura ſiet diuina, bonum quoque ſemper,*

„ *Vita aequa & constans ex quibus est homini.*

Posita ergo eo quo prius ostendimus modo, prius dicta diuisione, videamus quid sit sentiendum de iis quae sunt in ipsa, à notione ducentes initium.

Quid sit bonum, malum, & indifferens.

Absque notione anticipata neque dubitare licet, neque quaerere, vt vult Epicurus.

Bonum quomodo definiãt Stoici.

Virtus est vtilitas.

Vir bonus et amicus non diuersi ab vtilitate.

Partes neque sunt tota, nec diuersa à totis, vt volunt Stoici.

CVM contradictio quae à nobis hoc in loco tractatur aduersus Dogmaticos, praecipuam habeat partẽ in discernendis bonis & malis, oportebit ante omnia eorum statuere notionẽ. Ex sapientis enim Epicuri sententia, neque quaerere licet neque dubitare absque anticipata notione. Atque Stoici quidem communibus, vt ita dicam, haerentes notionibus, bonum hoc modo definiunt: Bonum est vtilitas, aut non diuersum ab vtilitate. Vtilitatem quidem dicentes virtutem & quae est ex virtute actionem: ab vtilitate autem non diuersum hominem bonum & amicum. Nam virtus quidẽ, cùm sit quodammodo affecta pars animae tenens principatum, & bona quaedam ex virtute operatio, apertè est vtilitas. Bonus quoq; homo & amicus, cùm rursus sint ipsi quoque ex bonis, neque dici debent vtilitas, neque diuersi ab vtilitate propter hanc causam. Partes enim, aiunt Stoici, neque eaedem sunt quae tota, neque diuersae à totis: vt, manus neque eadem est quae totus homo. Non est enim manus totus homo, neque diuersa à toto. Nam cum tota manu totus intelligitur homo. Quoniam ergo viri boni & amici pars est virtus: partes autem neque eaedem sunt quę tota, neque diuersae à totis, dictus fuit vir bonus & amicus non diuersus ab vtilitate. Quo fit vt vniuersum bonum definitione sit comprehensum, siue à recto sit vtilitas, siue non sit diuersum ab vtilitate. Hinc etiam ex consequentia cùm trifariam bonum dixerint appellari, vnumquodque significatum rursus describunt propria mentis conceptione. Dicitur enim bonũ, inquiunt, vno quidem modo, id ex quo & à quo licet iuuari, quod quidẽ in primis & praecipuè est virtus. Ab ea enim, tanquam ab aliquo fonte, naturaliter vniuersa oritur vtilitas. Alio autem dicitur id per quod accidit vt iuuemur. Ita non solùm virtutes dicentur bona, sed etiam quae fiunt ex eis actiones, siquidem per eas quoque accidit vt iuuemur. Tertio autẽ & vltimo modo dicitur bonum, quod potest iuuare, comprehẽdente hac definitione & virtutes, & ex virtute actiones, & amicos & bonos viros, Deosque & bonos daemones. Quamobrem non pariter dicitur apud Platonem & Xenocratem multis modis nominari bonum, & apud

Bonum à quo & ex quo licet iuuari.

Bonum per quod accidit vt iuuemur.

Bonum quod potest iuuare.

apud Stoicos. Illi enim quando dicunt aliter dici bonum, ideam, & aliter quod est ideæ particeps, significata exponunt & multum inter se distantia, & quæ nihil habent inter se commune: cuiusmodi quidpiam consideramus etiam in voce Canis. Quomodo enim ex ea significatur quidem casus, sub quem cadit animal latrans: & præterea sub quem animal aquatile: & præterea sub quem Philosophus: quinetiam sub quem astrum. Nihil autem inter se commune habent eiusmodi casus: neque in secundo continetur primus, nec in tertio secundus: ita etiam dicendo bonum ideam, & id quod est ideæ particeps, est quidem expositio significatorum, sed separatorum, & quæ nullã habent comprehensionem. Atque tales quidẽ, vt prius dixi, fuerunt antiquiores. Stoici autem volunt in boni appellatione secundum significatum primum comprehendere, & tertium duo. Fuerunt autẽ qui dicerent bonum esse quod per se est eligendum. Alij autem sic: Bonum est quod confert ad beatitudinem. Alij autẽ, quod complet fœlicitatem. Beatitudo autem seu fœlicitas est, vt definierunt Zeno Cleanthes & Chrysippus, bonus vitæ fluxus. Atque boni quidẽ definitionis genus est huiusmodi. Solent autem nõnulli, cùm bonum dicatur tribus modis, ad primi significati definitionem protinus inquirere, quatenus dicit, Bonũ est ex quo aut à quo licet iuuari: quòd si re vera bonum est à quo licet iuuari, solam in genere virtutem dicendum sit esse bonum. ab ea enim sola accidit iuuari: à definitione autem excidere vnamquanque ex iis quæ sunt in specie: vtpote prudẽtiam & temperantiam, & cæteras. à nulla enim earum accidit hoc ipsum iuuare ac prodesse: sed à prudentia quidem prouidere, & non communiter prodesse. Si enim hoc ipsum accidit iuuare & prodesse, non erit definitè prudentia, sed virtus in genere. A temperantia autem, vt fert eius prædicatum, temperantem esse ac moderatum, non commune prodesse. & in cæteris conuenienter. Qui autem huic resistunt reprehẽsioni, hoc dicunt. Quando dicimus, Bonum est, à quo accidit aliquid iuuari, perinde est ac si dicamus, Bonum est à quo accidit aliquid iuuari eorum quæ sunt in vita. Sic enim etiam vnaquæq; earum quæ sunt in specie virtutum, bonum erit, communiter quidẽ iuuare & prodesse non afferens, præbens autem aliquid eorum quæ versantur in iuuando: vt alia quidem, prouidere, vt prudentia: alia autem, esse temperantem ac moderatum, vt temperantia. Ii autem volentes, vt qui respondeant, priorem effugere reprehensionem: in aliã sunt deuoluti. Si enim horum quæ dicuntur bonorum, alterum est quo

Bonum apud Platonem & Xenocratẽ dicitur & idea boni, & id quod est ideæ particeps.

Canis significata inter se distantia.

Bonum idea, & bonũ ideæ particeps nullam habẽt comprehensionem.

Boni aliquot definitiones.

Beatitudo quid sit.

Virtus sola in genere est bonum.

quo accidit vt aliquid iuuetur eorum quæ ſunt in vita, virtus in genere cùm ſit bonum, non cadet in hanc definitionem. Non enim ab ea accidit aliquid eorum quibus vita iuuetur. Alia quoque dici ſolent aduerſus has definitiones, affinia dogmaticæ curioſitati. Nobis autẽ ſufficit oſtendere, quòd qui bonum dicit id quod prodeſt, aut quod eſt propter ſe eligendum, aut quod confert ad fœlicitatẽ, aut qui aliqua huiuſmodi ratione definit, non docet id quod eſt bonũ, ſed oſtendit id quod accidit. Iam enim quòd proſit quidem bonum, & quòd ſit eligendum quatenus eſt bonum, dictum eſt. & quòd cuiuſmodicunque ſit bonũ, id ſit efficiens beatitudinis, concedunt omnes. Sed ſi præter hæc inquiratur quídnam ſit hoc quod prodeſt, & quod propter ſe eſt eligendum, & efficiens beatitudinis, non vtique conſentient, etiam ſi prius communi conſenſu dicerent id eſſe quod prodeſt & quod propter ſe eſt eligendum, ſed res redibit ad bellum irreconciliabile, cùm alius quidem dicat virtutem, alius verò voluptatem, alius verò doloris vacuitatem, alius verò aliquid ex differentibus. Si autem oſtenderetur ex prius dictis definitionibus quòd ſit bonum, non ſeditionem inter ſe agitarent, tanquam boni ignoraretur natura. Expoſitæ ergo definitiones non docent quod ſit bonum, ſed quod bono accidit. Quamobrem nõ in hoc ſolùm ſe improbè gerunt, ſed etiam in eo quòd rem cupiant quæ non poteſt fieri. Qui enim ex iis quæ ſunt aliquid ignorat, nec ſcire poteſt quid illi accidat: vt qui ei qui neſcit quid ſit equus, dicit, Equus eſt animal hinniens, non docet quid ſit equus. Is enim qui ignorat equum, ignorat etiã quid ſit hinniens, quod quidem erat equi accidens. Et ei qui non comprehẽdit quid ſit bos, is qui pronuntiat, Bos eſt animal mugiens: non oſtendit bouem. Is enim qui eum non nouit, ſimul etiam non comprehendit mugire, quod eſt accidens bouis. Igitur ei qui bonum mente nõ concepit, temere & inutiliter dicitur, quòd bonum eſt quod eſt eligendum & quod prodeſt. Primùm enim eſt diſcenda ipſius boni natura: deinde tunc ſcire oportet quòd proſit, & quòd ſit eligendum & efficiens fœlicitatis. Propter eam autem ignoratam tales definitiones non docent quod quæritur. Exempli autem cauſa hæc dicta eſſe ſufficiet de boni intelligentia. ex quibus, vt opinor, ſunt manifeſta etiã quæ de malo artificioſè traduntur ab iis qui ſunt diuerſæ ſententiæ. Malum enim eſt quod eſt bono contrarium, quod quidem eſt noxa, vel non diuerſum à noxa. Et noxa quidem, ſicut & vitium, eſt etiam mala actio. non eſt autem aliud à noxa, ſicut vir malus & inimicus. Inter

Bonum eſt quod prodeſt.

Quid ſit quod prodeſt, dubitatur.

Boni definitiones non docent quid ſit bonum, ſed quid bono accidat.

Hinniens eſt equi accidens.

Mugiens non oſtendit bouẽ.

Malum bono contrariũ, nempe noxa.

Vitiũ et mala actio eſt noxa.

Inter hæc autem, bonum, inquam, & malum, est etiam quod nominabatur indifferens, quòd neutro modo se habeat. Quænam autem sit vis harum definitionum, & quænam sint dicenda aduersus definitiones, licet discere ex iis quæ dicuntur de bono. Nunc autem his prius constitutis transeamus ad considerandum, an quomodo mente concipitur aliquod bonum & malum, ita etiã esse possit natura. Atque quòd non satis quidem firmè ac validè descripserint Dogmatici boni & mali notionem, prius sumus ratiocinati. Vt fœlicius autem nos quoque simul nos conferamus ad tractãdum de eius essentia, satis est dicere, quòd omnes homines, vt dicebat etiam AEnesidemus, bonũ existimantes id quod eos capit, cuiusmodicunque sit, inter se pugnantia de eo ferunt iudicia. & quomodo, exempli causa, consentientes esse corpoream aliquam formæ pulchritudinem, de formosa ac pulcha muliere dissident, præferente quidem AEthiope nasi simitatem & nigrorem: Persa autem commendante nasi aduncitatem & alborem: alio autem dicente omnibus esse pulchriorem, quæ & in figura & in colore est mediocris: eodem modo communi etiam & anticipata notione opinantes esse aliquod bonum & malum, & vulgus & Philosophi: bonum quidem quod eos capit & iuuat, malum autem quòd secus se habet, de specie inter se pugnant.

Bonum existimantes omnes homines id quod eos capit, de eo pugnãtia ferunt iudicia.

De pulchritudine dissident homines.

„ *Namque aliis alius delectatur mage factis.*

& vt dicit Archilochus, Alius propter aliud factũ maiori lætitia perfunditur. siquidem alius gloriam amplectitur, alius diuitias, alius bonam existimationem, alius autem voluptatem. Eadem est ratio etiã in Philosophis. Nam Academici quidem & Peripatetici dicunt esse tria genera bonorum: & alia quidem esse in anima: alia verò in corpore: alia autem extra animam & corpus. Atque in anima quidẽ esse virtutes: in corpore autem sanitatem & bonam habitudinem, vigentesque & bene affectos sensus, & quidquid est eiusmodi. Extra animam autem & corpus, diuitias, patriam, parentes, liberos, amicos, & similia. Stoici autem dixerunt ipsi quoque esse tria genera bonorũ, sed non similiter. Ex iis enim alia quidem esse in anima: alia autem extrà: alia autem neque in anima, neque extrà, eximẽtes genus à bonis corporis, vt quæ non sint bona. Et in anima quidem dicunt esse virtutes & bonas actiones: extrà autem esse & amicum & virum bonum: & bonos liberos, & parentes, & similia. Neque autem in anima neque extrà ipsum esse bonum virum, quod ad se attinet. Neque enim fieri potest vt ipse sit extra se: neque in anima. constat enim ex

Tria bonorũ genera dicunt Peripatetici.

Stoici quomodo dicant tria genera bonorum.

Genus stoici eximunt à bonis.

anima & corpore. Sunt autem qui tantum abest vt genus eximant à bonis corporis, vt etiam in ipsis bonum reliquerint præcipuum: cuiusmodi sunt qui carnis amplectūtur voluptarem. Ne autem videamur nimis fusa & prolixa vti oratione, ostendentes non conuenire atque adeò pugnare hominū de bono & malo iudicium, in vno tanquam exemplo, nempe in sanirare, rem explicabimus, quoniā de ea solemus loqui frequenrius. Sanitatem ergo alii quidem bonum existimant, alii autem non bonum. Et ex iis qui eam bonum existimanr, alii quidē eam maximum dixerunr bonum, alii autem non maximū. Ex iis verò qui non bonum dixerunt, alii quidem indifferens præcipuum ac præpositum: alii autem indifferens quidem, sed non præcipuum ac præpositum. Arque hoc quidem primum bonum dixerunt, nempe sanitarem, non pauci tam Poëræ quàm qui solura scripserunt oratione. Nam Simonides quidem Lyricus dicit, Præclaræ sapientię ne esse quidem gratiam, nisi quis honestam habeat sanitatem. Licymnius cùm hæc prius dixisset:

Voluptas carnis.

Sanitas sitne bonum.

Simonides Lyricus.

,, *O nitidis es quæ oculis mater Apollinis*
,, *Sublimium ædium, regina optabilis,*
,, *Et dulcè ridens sanitas:* quàm excelsum statim subiungit?
,, *Quædam est opum, quædam parentum est gratia,*
,, *Aequiparatur quodque Diis humani imperij,*
,, *Beatus absque te esse sed nemo potest.*

Herophilus in Diæretico.

Herophilus quoque dicit in Diæretico, nō demonstrari posse sapientiam, artemque esse incertam & obscuram, viresque nō posse decertare, opesque esse inutiles, infirmamque & imbecillam eloquentiā, si absit sanitas. Atque ij quidem sic. Dicebant autem eam esse bonum, non tamen primū Academici & Peripatetici. Dicebant enim vnicuique bono tribuēdum esse suum ordinem ac dignitatem. Hinc Crantor volens nos deducere ad eius quod dicitur maiorem euidentiam, admodum eleganti & lepido vsus est exemplo: Si, inquir, nobis in mērcm venerir aliquod commune & publicum omnium Græcorum theatrum: & ad id accedere vnumquodque bonum primas partes sibi vendicans, statim etiam deducemur ad notionem differentiæ bonorum. Nam primùm quidem diuitiæ se ingerenres dicent, Ego, ô præclare Græcorum cœtus, ornatum præbens hominibus, & vestes, & calceos, & alia quibus vrantur: sum vtilis & ægrotis & sanis: & in pace quidem præbeo quæ sunr iucunda ac delectabilia: in bello autem sum nerui rerum gerēdarum. Hęc verba cùm audiisset vniuersus

Bonorum differentia quomodo cognoscatur ex Crantore.

Diuitiæ primas partes sibi vendicant.

uersus Græcorum cœtus, vnanimes vno ore iubent vt primæ dentur diuitiis. Sed cùm iam id publico proclamaretur præconio, accedens voluptas

,, *Adfuit huic & amor, desiderium, atque venustus*
,, *Qui possit quamuis prudentes fallere, sermo.*

Voluptas primas partes sibi vendicat.

Dixit autem prodiens in medium, æquum esse vt ipsa publico renuntiaretur præconio. Diuitiæ enim, inquit, non sunt firmæ ac stabiles, sed vix vno die durant, ab ædibusque auolant cùm exiguo tempore floruerint. Eas auté persequuntur homines, non propter se, sed propter eam quæ ex ipsis accedit voluptatem & delectationem. Græci autem omnes omnino non aliter quàm sic rem se habere existimantes, clamabunt oportere coronare voluptatem. Sed cùm ea quoque iam esset acceptura præmium, ingressa est sanitas cum deabus quæ illi assidét, docetque neque voluptatis neque diuitiarum vllum esse vsum si ipsa absit. Quid mihi in morbo prosunt diuitiæ? Mallem non multum habens vnde viuam quotidie, tristitię ac mœroris expertem vitam agere, quàm diues ægrotare. Cùm eam rursus audiissent Græci, & accepissent quòd in lecto decumbens & ægrotans non possit consistere fœlicitas, dicebant vincere sanitatem. Sed cùm iam vinceret sanitas, & ingressa esset fortis & excelsi animi virtus, fortiū virorum & Heroum eam magna stipante caterua, & dixisset, Si nō adsim, bonorum quæ sunt apud vos aliena erit possessio, optatintque hostes vos abundare bonis omnibus, vt qui sint vos superaturi. Ergo his quoque auditis, Græci primas quidem partes dabunt virtuti: secundas autem sanitati: tertias verò voluptati: in vltimo autem loco collocabunt diuitias. Atque Crantor quidem in secūdo loco posuit sanitatem, sequens Philosophos quos prius diximus. Non bonum autem eam dixerunt Stoici, sed indifferentem. Indifferens autem dici potest esse tribus modis. Vno quidem modo id ad quod nulla fertur appetitio, neque incitat occasio. vt quòd sint stellæ pares aut impares, aut capilli in capite. Secundo auté modo, ad quod fertur quidem appetitio, & incitat occasio, sed non magis ad hoc quàm ad illud: vt in duabus drachmis quæ non differunt charactere ac splendore, cùm oportuerit alteram earum eligere, non magis ad hanc quàm ad alteram tendit appetitio, aut incitat occasio. Tertio autem & vltimo modo dicunt esse indifferens, quod neque confert ad fœlicitaté, neque ad infœlicitaté. In quo significato dicunt & sanitatem & morbum, & omnia corporea, & plurima externa esse indifferentia: pro-

Sanitas primas partes sibi vendicat.

Fortitudo seu magni animi virtus primas sibi vendicat.

Sanitas secundū stoicos, non bonum, sed indifferens.

Indifferens quot modis dicitur.

pterea quòd nec tendant ad fœlicitatem nec ad infœlicitatẽ. Id enim est indifferens, quo licet bene vti & malè. Virtute autem semper bene, vitio autem malè, sanitate autem & iis quæ pertinent ad corpus, aliquando quidem bene, aliquando verò malè vti licet. & ideo hæc posteriora sunt indifferentia. Iam verò ex his indifferentibus, alia quidem dicunt esse præcipua ac præposita: alia verò reiecta ac reiectanea: alia autẽ neque præcipua ac præposita, neque reiecta ac reiectanea. Et præcipua quidẽ ac præposita esse, quæ satis habent dignitatis. Reiecta autẽ seu reiectanea, quę satis habent indignitatis. Non esse autem præcipua ac præposita, neque rursus esse reiectanea, vt extendere & inflectere digitum, & quidquid est huic simile. In præcipuorum autem ac præpositorum numerum referri quidem sanitatẽ viresque ac pulchritudinem, diuitiasque & gloriam, & his similia. In iis autem quę sunt reiectanea, morbum, paupertatem, & dolorem, & quæ his proportione conueniunt. Sic quidem Stoici. Non esse autem indifferens præcipuum, sanitatem, & quidquid est ei simile, dixit Ariston Chius. Perinde est enim eam dicere indifferens præcipuum ac præpositum, atque censere eam esse bonum, & propemodum differre tantùm nomine. In summa enim, indifferentia quæ sunt inter virtutem & vitium, nullam habere diuersitatem. neque aliqua quidẽ esse natura præcipua ac producta, aliqua verò reiectanea, sed ex diuersis temporum circunstantiis. neque quæ dicuntur esse præcipua ac præposita, omnino esse præcipua ac præposita: neque quæ dicuntur esse reiectanea, necessariò esse huiusmodi. Si ergo oporteat eos quidem qui sunt sani ministrare Tyranno, & ideo tolli de medio: eos verò qui ægrotant, liberatos à ministerio simul etiam liberari ab occisione, elegerit sapiens potius ægrotare hoc tempore quàm esse sanum. Et hac ratione neque sanitas est omnino præcipuum ac præpositum: neque morbus reiectaneum. Quomodo ergo in scribẽdis nominibus alij alia prǫponimus elemẽta, ea pro diuersis componentes circunstantiis: & D quidem præponimus quando scribimus nomen Dionis: I autem, quando Iouis: O autem, quando Orionis: non quòd natura aliæ aliis præponantur, sed quòd tempora hoc nos cogant facere: ita etiam in rebus quæ sunt inter virtutem & vitia, nõ est aliqua naturalis aliarum aliis prælatio, sed potius quòd ita accidat. Atque cùm ex his quidem ostensa sit, veluti quodam subiecto exemplo, anticipata notio de bonis & malis & etiam de indifferentibus, deinceps oportebit ea attingere quæ ad propositum dicuntur à Scepticis.

Indifferentiũ alia præposita quæ προηγμένα dicũtur, alia ἀπροηγμένα, id est reiecta.

Sanitatem nõ esse præcipuũ indifferens dixit Ariston Chius.

pticis. Si eſt ergo aliquod natura bonum,& eſt aliquod natura malũ, id debet eſſe commune omnium, & omnibus eſſe bonum vel malũ. Quomodo enim ignis habens natura vim calefaciendi, omnes calefacit,& non alios quidem calefacit, alios verò refrigerat: ita quod natura eſt bonum, debet omnibus eſſe bonum,& non aliis quidem bonum, aliis verò non bonum. Quamobrem Plato quoque probans Deum eſſe natura bonum, argumentatus eſt à ſimilibus. Quomodo enim, inquit, calidi eſt proprium calefacere, & frigidi proprium eſt frigefacere: ita etiam boni proprium eſt bene facere. Bonum eſt autem Deus: eſt ergo Dei proprium bene facere. Quamobrẽ ſi eſt aliquid natura bonum, hoc aduerſus omnes bonum eſt. Et ſi eſt aliquid natura malum, hoc aduerſus omnes eſt malum. Nihil eſt autem omnium cõmune bonum aut malum, vt oſtendemus. Non eſt ergo aliquid natura bonum aut malum. Aut enim omne quod quiſpiam opinatur bonum, dicẽdum eſt verè eſſe bonum, aut non omne. Et omne quidem non eſt dicendum. Si enim omne quod quiſquam opinatur bonum, dixerimus bonum: quoniam idem alius opinatur malum, & alius bonum, & differẽs opinatur indifferens, dabit quidem idem ſimul eſſe & malum & bonum & indifferens: vt; exempli cauſa, voluptatem Epicurus quidem dicit eſſe bonum: qui autem dixit,

„ *Inſaniam magis quàm gaudeam*, malum. Stoici autẽ indifferens & nõ præcipuum. Sed Cleanthes quidem nec eam eſſe natura, nec eam in vita habere dignitatẽ, quomodo nec fucatorium pigmentum eſſe ſecundum naturã. Archedemus autem dicit eſſe quidem ſecundũ naturam, vt pilos ſub ala, non habere autem dignitatem & exiſtimationem. Panætius autẽ dicebat aliqua quidem eſſe ſecundum naturam: aliqua autem præter naturam. Si ergo quidquid alicui videtur bonum, id omnino eſt bonum: quoniam voluptas Epicuro quidẽ videtur bonum, alicui autem Cynico malum, alicui verò Stoico indifferens, erit voluptas ſimul bonum & malum & indifferens. Non ergo quidquid alicui videtur bonum aut malum, id dicẽdum eſt eſſe bonum aut malum. Si autem quod alicui videtur bonum, eſt etiam omnino bonum: debemus eſſe præditi vi comprehendendi,& poſſe diſcernere differentiam in iis quorum ſuſcipitur opinio: vt dicamus id quod iſte opinatur bonum, eſſe re vera bonum: quod autẽ ille opinatur bonum, non eſſe natura bonum. Aut ergo per euidentiam euenit hanc capi differentiam, aut per aliquam rationem. Sed fieri quidem non poteſt vt capiatur per euidẽtiam. Quidquid enim incurrit

Bonum debet eſſe omnibus commune.

Malum natura debet eſſe omnibus malum.

Deum eſſe natura bonũ quomodo probet Plato.

Nullum eſt omnium commune bonũ & malum.

Voluptatem Epicurus dicit bonum.

κάλλωπιζον.

Cleanthes voluptatem dicit non eſſe natura.

De voluptate varij variè ſentiunt.

Boni non capitur differentia per euidentiam.

per euidentiam, communiter & vno eodemque consensu capitur, ab iis qui minimè impeditas habent apprehensiones: vt licet videre in omnibus ferè quæ apparent. Non autem communi consensu idem dicitur esse bonum omnibus: sed aliis quidem virtus, & quod est eius particeps: aliis verò voluptas: aliis autem doloris vacuitas: aliis autem aliquid aliud. Non ergo euidenter incurrit in omnes quod verè est bonum. Si autem capitur ratione: quoniam vnusquisque eorum omnium qui de diuersis sectis gloriantur, propriam habet rationem: & aliam quidem Zeno, per quam virtutem esse bonum est opinatus: aliam autem Epicurus, per quam voluptatem. non eandem autem Aristoteles, per quam, sanitatem, rursus vnusquisque proprium adducet quod non est in natura bonum, neque commune omnium. Nullum ergo est natura bonum. Si enim quod est vniuscuiusque proprium, non est bonum omnium, neque natura: præter proprium autẽ vniuscuiusque bonum, nullum est communi consensu bonum: nullum est ergo bonum. Præterea si est aliquod bonum, id propria ratione debet esse eligendum: quoniam quilibet homo eligit id assequi, sicut etiam malum fugere. Nihil autem est eligendum propria ratione vt eligendum, vt ostendemus. Non est ergo aliquod bonum. Si enim est aliquid propria ratione eligendum, aut ipsum eligere est eligendum, aut aliquid præter hoc: vt eligere diuitias est eligendum: aut ipsæ diuitiæ sunt eligendæ. Et ipsum quidem eligere non est eligendum. Si enim eligere est eligendum propria ratione, non debemus studium ponere vt assequamur quod eligimus, ne ab eo excidamus vt eligamus amplius. Quomodo enim bibere aut comesse est eligendum, ne cùm biberimus aut comederimus, excidamus ab eo vt amplius velimus bibere aut comesse: ita si eligere diuitias aut sanitatẽ est eligendum, non oporteret nos persequi diuitias aut sanitatem: ne ea assecuti, ab eo excidamus vt eligamus amplius. Persequimur autem eorum consecutionem: non est ergo eligendum eligere, sed potius fugiendum. Et quomodo is, qui amat, studet vt potiatur ea quam amat, vt fugiat eam quę est in amando molestiam: & sitiens festinat bibere, vt fugiat tormentum sitis: ita qui in eligendis diuitiis molestia afficitur, eligendo properat assequi diuitias, vt liberetur ab eo vt amplius eligat. Si est autẽ aliquid aliud eligendum quàm ipsum eligere, aut est ex iis quæ sunt à nobis separata, aut ex iis quæ sunt in nobis. Et si est quidem à nobis separatum & extrà, aut aliquid in nos ab eo accidit, aut nihil accidit. Accidit autem

Bonum nõ capitur ratione.

Bonũ propria ratione debet esse eligẽdum.

Ipsum eligere nõ est eligendũ.

Nullum est bonum & eligendum ex iis quæ sunt extrà.

tem vt ab amico, aut à viro bono, aur à filio, aut ab aliquo alio ex iis quæ extrà dicuntur eſſe bona: aur accidit aliqua in nos ab eo morio, aur aliquis gratus & acceptus ſtatus, & bona affectio: aur nihil accidit eiuſmodi: neque ſumus in differenti motione quando amicũ exiſtimamus eligendum aut filium. Er ſi nihil quidẽ omnino in nos exiſtit huiuſmodi: neque erit omnino quod extrà eſt nobis eligendum. Quomodo enim eius ad quod mobiliter afficimur, fieri poreſt vr faciamus electionem? Nam alioqui ſi delectabile quidem intelligitur ex eo quòd nos ab ipſo delectemur: moleſtum autẽ ex eo quòd moleſtia afficiamur: bonum autem, nempe ἀγαθόν, ἀπὸ τοῦ ἄγασθαι, id eſt ab eo quod laudamus & admiramur: ſequitur vt id à quo nobis non ingeneratur lætitia ac delectario, neque admirabilis & laudabilis affectio, neque iucunda & voluntariè ſuſcepra aliqua morio, ex eo neq; ingeneretur electio. Si autem ab aliquo quod extra eſt, vrpote amico aut filio, in nos fit iucunda aliqua cõſtitutio, aut lubenter ſuſcepta affectio, erit non propter ſe eligendus amicus aut filius, ſed propter iucundam hanc conſtitutionem, lubenterque ac voluntariè ſuſceptã affectionem. Sed erat quidem eiuſmodi conſtitutio, non extrà, ſed in nobis. Nihil ergo ex iis quæ ſunt extrà, eſt propter ſe eligendum aut bonum. Sed neque ex iis quę ſunt in nobis, eſt eligendum aut bonũ. Aut enim hoc eſt corporeum, aur animale. Sed corporeum quidem ſolum non fuerit. Si enim ponatur ſolum corporeum & non animę, effugiet noſtram cognitionem. eſt enim omnis cognitio animæ. & eſt par externis ſubiectis, & quæ nullam habent cum nobis ſympathiam ac conſenſionem. Si autem habet aliquid iucundum & gratũ quod pertingit vſque ad animã, ex eo erit eligendum & bonum, non autẽ quatenus eſt ſolummodo motio corporea. Quidquid eſt enim eligendum, iudicatur ſenſu aut intelligentia, non autem corpore experte rationis. Si ergo qui eligendum capit ſenſus, aut animæ cogitatio, eſt propria ratione: nihil ergo ex iis quæ accidunt in corpore, eſt propter ſe eligendum aut bonum. Si autem ſit ex iis quæ ſunt in anima, id rurſus deuoluitur ad eam quæ ab initio fuir dubitarionem. Nam cùm vniuſcuiuſque cogitario habeat iudicia quæ minimè conueniunt cum cogitatione proximi, neceſſe eſt vr vnuſquiſque exiſtimer id eſſe bonum quod ſibi videtur. Non eſt aurem quod vnicuiq; videtur bonum, natura bonum. Nec hac ergo ratione eſt aliquid bonum. Eadem autem eſt ratio etiam de malo. In boni enim inquiſitione id vi ac poteſtate traditum eſt. Primum quidem, quoniam cùm alterum

Bonum cur græcè dicatur ἀγαθὸν.

Nullum eſt bonum & eligendum ex iis quæ ſunt in nobis.

Cognitio eſt animæ, & par externis ſubiectis.

Ex iis quæ ſunt in corpore, nihil eſt eligendum.

Ex iis quæ ſunt in anima, nihil eſt bonũ & eligendum.

alterum tollitur, ſimul etiam tollitur alterum. vtrunque enim intelligitur ex habitudine & relatione ad alterum. Deinde quoniam rurſus licet etiam primò in vno exemplo confirmare quod dicitur, vtpote inſipientia quam ſolam eſſe malum dicunt Stoici. Si enim natura malum eſt inſipientia,

Inſipientia nõ eſt natura malum.

oportebit quomodo calidum cognoſcitur eſſe calidum naturaliter, quòd qui ad id acceſſerint calefiant: & frigidum ex eo quòd frigefiant: ita etiam inſipientiam cùm ſit natura malum, cognoſci ex eo quòd malè afficiãtur. Aut ergo qui dicuntur inſipientes, malè afficiuntur ab inſipientia, aut ſapientes. Sed ſapientes quidem non malè afficiuntur, ſunt enim extra inſipientiam. à malo autem quod eis non adeſt, ſed eſt ab eis ſeparatum, malè affici nõ potuerint. Si autẽ inſipientes malè afficit inſipientia, aut cùm ſit ante ipſos, eos malè afficit, aut latens & non euidens. Et latens quidem & non euidẽs minimè eos malè afficit. Nam ſi eos lateat nec ſit euidens, non eſt malum nec ab eis fugiendum. ſed quomodo moleſtiã quæ non apparet, & dolorem qui eſt inſenſilis, non fugit nec pertimeſcit quiſpiam: ita etiam inſipientiam quæ non eſt ſuſpecta & non apparet, nemo vitabit vt malum. Si autem manifeſtè & euidenter ab eis cognoſcitur, & eſt natura malum, deberent inſipientes eam fugere tanquam natura malum. Inſipientes autem non fugiunt tanquã malum euidens, id quod ab eis qui ab eo ſunt remoti dicitur deſipere. Sed vnuſquiſque ſuum amplectitur iudicium, eius autem qui contrà ſentit iudicium vituperat. Quamobrem nec inſipientibus eſt euidens inſipientia tanquam natura malum. Quo fit vt ſi neque ſapientes malè afficiantur ab inſipientia, neque ea inſipientibus res ſit fugienda, dicendum ſit inſipientiam non eſſe natura malum. Quod ſi non eam, neque aliquid aliud ex malis quæ dicuntur. Solent autem quidã ex ſecta Epicuri occurrentes ad has dubitationes, dicere, quòd

Dolorẽ natura fugit omne animal, voluptatem autem perſequitur.

naturaliter & abſque vllo magiſtro animal fugit quidem dolorẽ, perſequitur autem voluptatem. Cùm primum enim eſt natum, & necdũ ſeruit opinionibus, pulſum inſueto frigore aëris, flet & luget. Si autem naturaliter quidem appetit voluptatem, declinat autem dolorem, eſt ei aliquid natura fugiendum, nempe labor ac dolor: & eligendum, voluptas. Non animaduertunt autẽ qui hæc dicunt, quòd etiam viliſſima & abiectiſſima animalia bono impertiunt. Illis enim voluptatis magna eſt participatio. Deinde quòd neque omnino fugiendus eſt labor.

Labor nõ eſt omnino fugiendus.

Labore enim melius ſe habet ſanitas, roborantúrq; & aluntur corpora laboribus. Artes accuratasq́ue ſcientias nõ

abſque

abſque labore accipiunt homines. Quamobrem labor non eſt omnino fugiẽdus natura. Sed neque quod natura videtur iucundum, eſt omnino eligendum. Sæpe quidem certè accidit vt quæ nos primo occurſu voluptate affecerant, ea ſecundo, etſi ſint eadem, iniucunda exiſtimẽtur, vtpote quòd iucundum non ſit natura eiuſmodi, ſed pro diuerſis circunſtantiis nos aliquando quidem ſic, aliquando autem aliter moueat. Sed & qui ſolum honeſtum bonum opinantur, exiſtimant etiam à brutis oſtendi quòd id ſit natura eligendum. Videmus enim, inquiunt, quòd quædam generoſa animantia, vt tauri & galli, cùm nulla eis voluptas & delectatio ſit propoſita, decertãt vſque ad mortem. Ex hominibus quoque, qui pro patria, aut parẽtibus, aut liberis ſe ad mortem offerunt, hoc nunquam facerent, cùm poſt mortem nulla ſperetur voluptas, niſi naturaliter honeſtum & bonum eos & quoduis generoſum animal ſemper attraheret ad ſe eligendũ. Sed hos quoque latuit, quòd planè eſt inſipientis, exiſtimare prius dicta animantia, boni conſideratione mota, decertare ad extremam vſque reſpirationem. Ipſos enim audire licet dicentes, quod ſola ſapiens affectio aſpicit bonum & honeſtum: inſipientia autem excæcat ad id diſcernendum. Quamobrem gallus & taurus qui ſapientis nihil habent affectionis, honeſtum & bonum non intuentur. Et alioqui ſi eſt aliquid de quo vſque ad mortem certant hæc animantia, id non eſt aliud quàm vincere & eſſe ſuperiora. Aliquando autẽ vinci & ſubiici eſt pulchrius ac honeſtius, cùm ſit vtrunque eorũ indifferens. Non eſt ergo natura bonum ſed indifferens vincere & eſſe ſuperiorem. Quamobrem ſi dicant gallũ aut taurum, aut aliquod aliud forte animal, honeſtum expetere, quî ſit quòd homo quoque id ſibi ſcopum proponit? Non enim eo quòd oſtenderint illa huius curam gerere, oſtenſum eſt hominem quoque eſſe talem. Deinde ſi quoniam quędam ſunt animalia fortia, & quæ voluptatem quidem deſpiciunt, laboribus autem ſe offerunt, dicitur etiam homo honeſti curam gerere: ſi multa ſunt animalia gulæ ventrique ſeruientia, dicemus contrà hominem magis vſurpare voluptatem. Si autem dicant eſſe quidem aliqua animãtia voluptati dedita, hominem autem non eſſe omnino huiuſmodi, nos quoque retorquẽtes dicemus, Non ſi aliqua animantia honeſtum perſequuntur naturali ratione, protinus homo quoque eum ſibi finem proponit. Dicit autem alius quiſpiam animalia omni ratione contendere vt vincant & ſint ſuperiora propter ſe: hominem autem non propter ſe, ſed propter conſequentem in anima delectationem

Voluptas non eſt omnino eligenda.

Honeſtum non eſt ſolùm natura eligendum.

Bruta non boni cõſideratione decertant vſque ad mortem.

tionem & lætitiam, quæ est quędam grata & expetenda constitutio: hocéque esse magis existimandum in hominibus, in quibus & honor & laus & dona & gloria, animum magis possunt delectare & gaudio perfundere, & ideo eam vrgere & impellere ad aspera & molesta fortiter perferenda. Vnde etiam qui se fortiter gerunt vsque ad mortem, & se pro patria deuouent & occidendos offerunt, propter hanc fortasse causam strenuè decertant & moriuntur. Nam etsi è viuis excedunt, attamen quando viuunt gaudent & lætantur dum celebrantur laudibus. Est autem verisimile, nonnullos quoque eorum opinantes quòd post mortem similes eos laudes expectent, præuisam mortem eligere. Est etiam satis probabile, alios hoc pati, videntes quòd in vita essent toleraturi perpessu longè difficiliora, si essent contemplaturi,

„ *Raptari miseras natas, natosque perire,*
„ *Affligi thalamos, prosterni deiicierque*
„ *In terram infantes, dum prælia tristia miscent.*

Multis ergo modis quidã gloriosam mortem malunt oppetere, non autem quòd honestum, quod tantopere iactant Dogmatici, tantopere expetant & tanto studio persequantur. Sed de his quidem hactenus sit dubitatum.

An positis natura bonis & malis contingit beatè & fœliciter viuere.

ATQVE quòd natura quidẽ nihil sit bonum & malum, satis considerauimus. Nunc autem quæramus an etiam his cõcessis fieri possit vt bene ac beatè viuamus. Qui enim, vt ipsi volunt, bonum est assecutus, & malum declinat, is est fœlix ac beatus, quandoquidẽ vitæ rectè agendæ scientiam dicunt esse prudentiam, quæ bona quidẽ & mala discernit, acquirit autem beatitudinem. Scepticì autẽ nihil temere ponentes aut tollentes, & omnia considerantes, docent quòd iis quidem qui natura bonum aut malum constituerunt, consequens est vt miserè viuant & infœliciter: iis autem qui nihil definiunt, & eo hibent assensionem, vita est longè facillima. Hoc autẽ didicerimus, si rem paulò altius prius sumpserimus. Omnis ergo existit infœlicitas propter quandam perturbationem. Omnis autem hominibus sequitur perturbatio aut propterea quòd quędam intensè & vehementer persequantur, aut propterea quòd vehemẽter & intensè fugiant. Vehemẽter autem & intensè persequuntur omnes homines id quod

Beatus quis sit & fœlix.

Prudentia quid sit.

Scepticis vita est longè facillima.

Infœlicitas vnde existat.

ipſi opinantur bonũ, & fugiunt quod conſtitutum eſt malum. Omnis ergo ex eo exiſtit infœlicitas, quòd bona quidem perſequãtur vt bona: mala autem fugiant vt mala. Quoniam ergo credidit Dogmaticus, quòd hoc quidem eſt natura bonum, illud verò malum, ſemper quidem hoc perſequẽs, illud verò fugiens, & ideo perturbatus, nunquam erit beatus. Aut enim quidquid perſequitur quiſpiam, id ſtatim & natura eſt bonum: & quidquid fugit quiſpiam tanquam fugiendũ, id re vera eſt eiuſmodi. aut aliquid eorum quæ perſequuntur eſt eligendum & non omne. & aliquid eorum quæ fugiuntur, eſt fugiendum. aut ea ſunt in eo quòd quodammodo ſe habeant & referantur ad aliquid: & vt ad illud quidem relatum, hoc eſt eligendum aut fugiendum: vt ad rerum autem naturam, neque eſt eligendum, neque fugiendum. Atque ſi quidquid quidem quiſpiam quomodocunque perſequitur, poſueris natura bonum, & quod fugit natura fugiendũ, non vitalem ages vitam, vt qui neceſſe habeas idem ſimul perſequi & fugere. & perſequi quidem, quatenus nonnulli quidem eligendũ exiſtimant: fugere autem, quatenus opinantur alij fugiendum. Si autem non quidquid perſequuntur aut fugiunt non dixeris eſſe eligendum aut fugiendum, ſed ex iis aliquid eſſe eligendum & aliquid fugiendum, viues quidem, ſed non viues abſque perturbatione. Perpetuò enim perſequẽs id quod natura opinatus es bonum, & quod exiſtimaſti malum, fugiens, nunquam liber eris à perturbatione. Sed & cùm bonum nondum apprehenderis, propter aſſequẽdi deſiderium valde perturbaberis. & aſſecutus, propter nimiam lætitiam, aut propter eius quod acquiſiſti ſollicitam cuſtodiam nunquam quieſces. Eadem eſt autem etiam de malo ratio. Neque enim cùm es à malo remotus, es expers curæ, cùm de te ſatis ſumat ſupplicij, quæ eſt in fugiendo & in cauendo perturbatio. Neque cùm es in malo, vnquam ceſſas à tormento, inquirens & conſiderans quemadmodum graue fugias exitium. Sin autem dixeris non eſſe aliquid magis natura eligendum quàm fugiendum, neque magis fugiendum quàm eligendum, cùm vnumquodq; eorum quæ ſubiiciuntur, ad aliquid quodammodo ſe habeat ac referatur, & pro varietate temporum & circunſtantiarum nunc quidem ſit eligendum, nunc verò ſugiendum: viues quidẽ beatè & abſque vlla perturbatione, vt qui neque propter bonum tãquam bonum efferaris, neque propter malum deiiciaris, quod neceſſariò quidem euenit magno & excelſo animo accipiens, liber autem ab ea quæ eſt ex opinione moleſtia, per quam exiſtimatur aliquid

Dogmaticus nunquam erit beatus.

Beatitudo ex eo exiſtit, quòd nihil ſit natura bonum nec malum.

quid adesse boni aut mali. Hoc tibi aderit ex eo quòd nihil opineris natura bonum aut malum. Non licet ergo beatè viuere ei qui bona aut mala aliqua esse statuerit.

Mali alicuius efficiens est fugiendum vt malum.

Præterea id quoque quod est mali alicuius efficiens, omnino est etiam fugiẽdum vt malum: vt si dolor est malum, omnino id quoque quod est efficiens doloris, simul cum dolore statuetur esse fugiendum. Et si mors est ex malis, erit id quoque quod morte afficit, ex malis & fugiendis. Ergo & communiter si malum est fugiendum, necessariò id quoque quod est mali efficiens, erit malum fugiendum.

Bona quæ dicũtur, sunt etiã malorum efficientia.

Quæ autem à nonnullis dicuntur bona natura, sunt etiam malorum efficientia, vt docebimus. Sunt ergo vi ac potestate mala, quæ ab aliquibus dicuntur bona, & ideo sunt causæ infœlicitatis. Nam propter huiusmodi bona sunt omnia mala, auaritia, & mala fama, & ambitio, & studium cõtentionis, & libido, & quæcunque alia sunt his similia. Vnusquisque enim quod opinatus est bonũ & eligendum, acriter ac vehementer persequens, latenter incidit in propinquum vitium: vt (erit enim quod dicitur dilucidum, si conuenientia posita fuerint exempla) Qui bonum esse diuitias anticipata

Diuitiæ sunt efficientes auaritiæ.

notione accepit, debet omnia acri ac vehementi studio facere vt assequatur diuitias, & assiduè illud comicum meditari præceptum, *Lucrare ô amice æstateque & hyeme.* & illud tragicum lubenter admittere, *O aurum, quod pulcherrimè dextra teneris mortalium.* Omnia autem facere vt assequaris diuitias, nihil est aliud quàm esse auarum. Qui ergo diuitias maximum esse bonũ præ se fert, eo quòd magnopere studeat diuitiis, fit auarus. Rursus qui gloriã posuit virtutem, acriter ac vehemẽter appetit gloriam. Gloriam autem appetere, est esse ambitiosum.

Gloria est efficiens ambitionis.

Ponere ergo gloriam esse natura bonum & eligendum, magnum aliquod malum procreat, nempe ambitionẽ & gloriæ cupiditatem. Idem autem inueniemus etiam in voluptate.

Voluptas est efficiens flagitiosæ libidinis.

Iis enim qui magno studio contendunt ad eam assequendam, necesse est vt quędam flagitiosa libido consequatur. Quamobrem si id quod est malorum efficiens, est malum: ostensum est autem ea quæ quidam Philosophi opinati sunt bona, esse omnium malorum efficientia: dicendum est ea quæ quidam opinati sunt bona, esse vi ac potestate mala. Sed nec possunt dicere aduersarij, quòd in iis quidem

Per bonorum assecutionẽ nõ liberamur à perturbationibus & molestiis.

persequendis & appetendis, appetentibus & persequentibus est aliquod malum: vt ei quidem qui diuitias persequitur, auaritia: ei autem qui gloriam, ambitio: ei autem qui aliquid aliud, aliena quædam perturbatio: assecutis autem est liberatio à perturbationibus, & quies à

priori

priori molestia. Qui enim diuitias est assecutus, non amplius acri ac vehementi studio quærit diuitias: & qui voluptate est potitus, soluit vehementiam sui in eam studij. Quomodo certè animantia quæ gra diuntur in loco prærupto & præcipiti, vt bibant, per dolorē tendunt ad voluptatem:& simul atque sunt exatiata, quiescunt à prioribus laboribus:ita etiam homo dum ad bonum quidē properat, necessariò molestia afficitur: assecutus autem id quod desiderabat, liberatur à molestia. Nemo, inquam, hoc potest dicere, neque rem ita se habere. Etsi enim ea sint assecuti quæ bona existimant, magis anguntur & maiori afficiuntur molestia, quòd non soli ea habeant. Bona enim cū eo pretiosa & magna contentione expetenda existimant, quòd soli ea possideant. Quamobrem ingeneratur eis in proximos æmulatio & inuidia. Quo fit vt & bonorū quæ dicitur persecutio non sit absq; miseria & afflictione: & eorum possessio plura mala pariat. De ipsis quoque malis rursus eadē est ratio. Si quispiam enim anticipata notione præceperit esse quædam mala natura, vtpote ignominiam, paupertatem, orbitatem, dolorē, morbum, & communiter insipiētiam: non his solis cruciatur, sed etiam plurimis aliis propter ipsa mala. Nam si ipsa quidem adsint, non ab ipsis solis agitatur ac vexatur, sed ab ipsa etiam quam de iis concepit opinione, qua credidit adesse sibi malum: & tanquam maius malum eum depopulatur ea anticipatio. Si non adsint autē, similiter non quiescit: sed vel futurum præcauens, vel extimescens, secum habitantem habet solicitudinem. Cùm autē ratio ostenderit nihil horum esse natura bonum, aut natura malum, soluetur perturbatio, pacataque ac tranquilla vita nos excipiet. Sed quòd propter ea quæ quidam opinātur bona, accedit multitudo malorum, & propter mala alia mala existunt, adeò vt propter ea ad beatitudinē perueniri nequeat, est perspicuū ex iis quæ dicta sunt. Consequenter autem est ostendendum, quòd nec contingit assequi auxilium ei qui per dogmaticam ingreditur Philosophiam. Nam si ponatur aliquid natura bonum, aut malum natura, qui exhortatur eum qui perturbatur, ad bonum vehementer persequendum vt bonum, aut vehemēter fugiendum malum vt malum, eum ab initio reprimit, dicens: Neque bonum persequi cōuenit, neque malum fugere. ostendens quòd id quod ipse persequitur, est minimè æstimandum: nec ei ipsum persequi conuenit: sed maiora sunt ei persequenda: vt, minoris quidem æstimationis sunt diuitiæ, maioris autem virtus: nec illæ, sed hæc est persequēda: aut quòd hoc quidem cùm parum prosit, multas

Aemulatio et inuidia vnde existat.

Bona persequentes et possidentes nō carent malis.

Qui mala aliqua natura existimat, iis angitur si adsint, & concepta de iis opinione, si nō adsint, cruciatur metu & cautione.

Qui credit nihil esse natura bonum aut malum, vitā agit tranquillam.

Exhortationes nihil auxilij afferunt iis qui aliquid natura dicunt bonum aut malū.

habet molestias: hoc verò cùm multũ prosit, paucas. Sed dicere quidem, quòd nec bonum conuenit vehemẽter persequi, neque malum fugere, est diuersum ab iis quæ cẽsent Dogmatici, qui semper in vulgus iactant ea esse eligenda ac reiicienda, expetẽdaque & fugienda. Dicere autem, hoc quidem non esse persequendum, tanquam humile & abiectum, ad hoc autem esse contendendum tanquam præclarius, est eorum qui non soluunt perturbationem, sed eam aliò transferunt. Quomodo enim primum persequens quispiam, molestiâ afficiebatur: ita etiam secundum persequens quispiam molestia afficietur. Quo fit vt morbum pro morbo afferat Philosophi oratio. quandoquidem eum qui diuitias, aut gloriam, aut sanitatem appetit, auertens, ne ea persequatur, sed honestum, exempli causa, aut virtutem, non liberat à persecutione, sed ad alteram traducit persecutionem. Quomodo ergo Medicus qui tollit quidem pleuritidem, efficit autẽ peripneumoniam seu spirandi difficultatem: & remouet quidẽ phrenitidem, eius autem loco inducit lethargum: à periculo non liberat, sed mutat: ita etiam Philosophus pro alia aliam inducens perturbationẽ, non fert opem ei qui perturbatur. Non enim licet dicere quòd quæ pro alia inducitur perturbatio, est moderata: quę autem tollitur, vehementior. Qualem enim habuit opinionẽ is qui perturbabatur, de eo quod persequebatur, talem habuit etiam de secundo. Opinabatur autem primum quidem tanquam bonum, & ideo ad id magno studio contendebat. Ergo & qui secundum bonum esse opinatur, & ex æquo ad ipsum contendit, parem habebit perturbationem, & fortasse etiam vehementiorem, quòd contrarium sit ei persuasum, nempe pluris esse quod ipse nũc persequitur. Si ergo efficit Philosophus, vt qui molestia afficitur, alterum pro altero persequatur, non liberabit molestia. Si autem absolutè docet, Hoc quidem parum prodest, plures autem habet molestias: faciet comparationẽ electionis & fugæ cum alia electione & fuga: non autẽ tollet molestiam. quod quidem est absurdum. Nam qui molestia afficitur, non vult discere quid magis molestia afficit & quid minus, sed desiderat liberari à molestia. Tum demum ergo eam licebit effugere, si ostenderimus ei qui perturbatur in mali fuga aut boni persecutione, quòd neque est aliquod bonum natura, neque malum: sed ea, vt dicit Timon, ab hominibus mente sunt diiudicata. Id autem docere, est Scepticorum proprium considerationis. est ergo eius vitam beatam acquirere.

Philosophi oratio à bono dehortans vt aliud bonum persequatur, affert morbum pro morbo.

An is

An is qui de natura bonorum & malorum sustinet assensionem, sit omnino beatus.

FOELIX quidem est ac beatus, qui vitam traducit absque perturbatione, &, vt dicebat Timon, qui est in quiete & tranquillitate. Omní enim ex parte, inquit, eum tenuit tranquillitas: &, *Postquam eum vidit in tranquillitate à ventis placida.* Ex bonis autem & malis quæ dicuntur, alia quidem inducta sunt ex opinione: alia auté ex necessitate. Ex opinione quidem rationis participe inducta sunt, quæ ex iudicio persequuntur vel fugiunt homines: vt in externis quidem eligenda dicuntur & bona, diuitiæ & gloria & nobilitas, & amicitia, & quidquid est eis simile. In iis autem quæ pertinent ad corpus, pulchritudo, vires, bona habitudo. In iis verò quæ ad animam, magni animi virtus, iustitia, prudentia, temperantia, communiter virtus. & fugienda quæ sunt his contraria. Ex necessitate auté accesserunt, quę constant ex affectione sensus experte rationis, & quæ præbet quædã naturalis necessitas, sua sponte autem ea nemo elegerit aut fugerit, vt dolor & voluptas. Quamobrem cùm sit eiusmodi in rebus differentia, de vita quidẽ solùm traducenda absque perturbatione in bonis & malis quæ sunt in opinione, ab eo qui de omnibus sustinet assensionem, iam prius quoque diximus, quando disserebamus de fine Sceptici: & in præsentia, quòd fieri non potest vt sit beatus, qui constituit aliquid natura bonũ & malum. Qui enim hoc facit, inutilibus circumagitur perturbationibus, alia quidem fugiens, alia verò persequens: & propter bona quidem multa mala ad se attrahens: in multis autem versans malis propter opinionem de malis: vt, qui dicit, exempli causa, bonum quidem esse diuitias, malum autem paupertatem: non habet autem diuitias, perturbatur bifariam, nempe & quòd non habet bonum, & in eo acquirẽdo satagit. Cùm id autem acquisierit, tribus punitur modis: nempe & quòd immoderata effertur lætitia: & quòd magno studio hoc agit vt eius maneant diuitiæ: & quòd angitur & timet ne eas amittat. Qui auté neque in iis quę sunt natura bona collocat diuitias, neque in iis quæ sunt mala natura, & neque magis hanc quàm illam profert vocem: neque conturbatur propterea quòd absint, neque lætatur propterea quòd adsint: manet autem in vtroque absque perturbatione. Quamobrem in iis quidem quæ existimantur bona & mala ex opinione, in iis eligendis & fugiendis est plenè beatus. In iis auté quæ sunt ex sensu, & ratione carent motionibus, vtitur coniectura. Quæ enim nõ accidunt ex rationis peruersitate

Bonorum & malorum alia sunt ex opinione, alia ex necessitate.

Diuitias bona existimantibus quot eueniant perturbationes & incommoda.

In malis quæ accidũt ex inuoluntaria sensus affectione quomodo se gerat Scepticus.

sitate & mala opinione, sed ex inuoluntaria sensus affectione, fieri nõ potest vt ex ratione quæ existit ex consideratione, ab eis fiat liberatio. Ei enim qui famis aut sitis sentit molestiam, fieri non potest vt persuadeatur per existentem ex consideratione rationem, quòd molestia minimè afficiatur: & ei qui dum ab iis recreatur diffunditur, non contingit afferre persuasionem quòd non diffundatur. Quis ergo, inquiunt Dogmatici, ad fœlicitatem nobis vsus est ex sustinenda assensione, si omnino oportet perturbari, & perturbatos esse miseros

Scepticus tolerantius fert dolorem quàm Dogmaticus.

& infœlices? Magnus vsus, aiemus: Nam etsi is qui de omnibus sustinet assensionem, perturbatur ex eo quòd adsit id quod affert dolorem, tolerantius tamẽ fert molestiam quàm Dogmatici. Primùm quidem, quoniam non perinde est multitudine infinita bona persequendo, & mala vitando, à perturbationibus quæ existunt in persequendo & fugiendo, tanquam à furiis agitari: & hoc quidem non pati, vnum autem malum amputando ab omnibus, procurare vt id declinetur & caueatur.

Malis quæ fugiuntur non tã vehementer perturbatur Scepticus.

Deinde id quoque, quod tanquam malum fugiunt qui cohibent assensionem, nõ admodum perturbat. Aut enim est aliquis paruus labor aut dolor, vt quæ quotidie nobis adest fames aut sitis, aut frigus, aut æstus, aut aliquid ex similibus. Aut contrà est summus & vehementissimus, vt in iis qui summis vexantur tormentis quibus nullũ potest afferri remedium, in quibus Medici sæpe præbent medicamenta quæ omnino tollunt dolorem, vt aliquam modicam accipiant cõuersionem ad opitulationem. Aut mediocris, & ab aliquibus, vt qui est in aliquibus morbis. Ex iis autem is qui quotidie occurrit, & paratu facilia habet alleuamenta & remedia, nempe cibũ & potum & tegmentum, minimum conturbat. Qui autem est summus, etiamsi maximè perturbat, tamen cùm momento temporis instar fulguris terruerit, aut tollit, aut tollitur. Mediocris autem & qui producitur, neque est per totam vitam, neque est natura continuus, sed multam habet quietem & interualla. nam si esset continuus, non extenderetur. Est itaque moderatus: neque est adeò terribilis quæ

In naturam non in nos culpa est conferẽda si mala patimur.

Sceptico accidit perturbatio. Verumenimuero etiãsi esset maxima, non est culpa in nos conferenda, qui inuiti & necessariò patimur, sed in naturam, cui non sunt curæ leges: & in eum qui opinatione & iudicio sibi malum attrahit. Quomodo enim in febricitantem non est

Naturæ non sunt curæ leges.

culpa conferenda quòd febricitet: inuitus enim febricitat. sed culpa est conferenda in eum qui non abstinet ab iis quæ sunt inconducibilia: ita in eum quidem qui perturbatur præsentibus quæ dolorem afferunt,

ferunt, non est culpa conferenda. Nõ enim ex ipso aut propter ipsum fit perturbatio: sed velit nolit ea debet esse necessariò: sed culpa est in eum conferenda, qui propria opinione & existimatione fingit sibi multitudinem rerum eligendarum & fugiendarum. sibi enim excitat malorum inundationem. Idque licet videre in ipsis malis quæ dicuntur. Qui enim nullam suscipit opinioñe quòd labor seu dolor sit malus, is ei adhæret coacta motione laboris. Qui autẽ præterea fingit, quòd homini solùm res minimè conueniens est labor ac dolor, & quòd is est solum malũ, is hac opinione conduplicat molestiam quæ illi accidit eius præsentia. An non videmus quòd etiam in iis qui secantur, sæpenumero ipse quidẽ qui patitur & secatur, magno & forti animo fert tormentum sectionis, neque colore expallescens, neque à genis abstergens lachrymas, propterea quòd in eũ cadat solus motus sectionis. Qui autem adsistit, cùm primùm viderit modicam sanguinis fluxionem, pallet, contremiscit, sudat, labascit, & tandem mutus concidit, non propter dolorem (nullus enim ei adest dolor) sed propter opinionem quam accepit quòd dolor sit malum. Est itaque nonnunquam maior perturbatio propter alicuius mali tanquam mali opinionem, quàm quæ accidit propter ipsum quod dicitur malum. Qui itaque sustinet assensionem de omnibus quæ sunt ex opinione, perfectissima fruitur fœlicitate. In inuoluntariis autem & quæ sunt rationis expertes motionibus, perturbatur quidem,

Qui mali habet opinionem, conduplicat dolorem.

Qui secatur, dolorem sæpe fert constãtius quàm qui eum aspicit dum secatur.

Propter mali opinionẽ quandoque est maior perturbatio quàm propter ipsum malum.

„ *Nam non annosa quercu aut rupe editus ille est,*
„ *Sed genere ex hominum.*

Homerus.

sed mediocriter afficitur. Vnde etiam necesse est eos despicere, qui existimant eum ad viuendum in otio se includere, & ab actione remouere, & se ad quandam redigere absurditatem & contradictionẽ. Et se quidem remouere ab operatione, quòd cùm vita tota sit in eligendo & fugiendo, qui neque quidquam eligit, neque fugit, vi ac potestate vitam abnegat. Ad quandam autem absurditatem & contradictionem, quod si quando venerit in potestatem Tyranni, & cogatur aliquid facere nefarium, aut quod iubetur, facere non tolerabit, sed mortem eliget voluntariam: aut tormenta fugiens, faciet quòd iubetur. & ita nõ erit eiusmodi vt neque eligat nec fugiat, vt vult Timon: sed alterum quidem eliget, vitabit autem alterum. quod quidem est eorum qui comprehenderunt cum persuasione aliquid esse fugiendum & eligendum. Hæc autem dicentes, non intelligunt quòd non viuit Scepticus conuenienter orationi Philosophi: nam quod ad hoc

Scepticus ab actione non se remouet, nec ad aliquam se redigit absurditatẽ & contradictionem.

quidem attinet, cessat ab actione: sed conuenienter obseruationi quę est remota à Philosophia, potest alia quidem eligere, alia verò fugere. Si quid autem vetitum facere cogatur à Tyranno, anticipata fortè ex legibus patriis & moribus notione, hoc quidẽ eliget, illud verò fugiet: quodq; durum est & asperum, facilius feret quàm Dogmaticus, quòd nihil eorum quę sunt extrinsecus opinatur, sicut ille. De his autem dictum est accuratius in libris De fine Sceptici: nec necesse est ea quę apertè dicta sunt, rursus recensere. Cùm itaque de bonis & malis tractauerimus, ex quibus dubitationes extenduntur ad vniuersum ferè locum moralem, agè deinceps consideremus, an vitæ agendæ sit ars aliqua.

An vitæ agendæ sit ars aliqua.

QVÒD qui eligunt sustinere suam de omnibus assensionem, rectè possint viuere, satis ostensum est à nobis. Nihil autem vetat quo minus altrinsecus & ex aduerso examinemus sectã quoque Dogmaticorum, etiamsi ex parte iam sit examinata. Profitentur enim se vitę agendæ artem aliquam esse tradituros. Et ideo Epicurus quidem dicebat Philosophiam esse operationem, quę rationibus & disputationibus vitam parat beatam. Stoici autem apertè dicunt, prudentiam, cùm sit scientia bonorum & malorum & neutrorum, esse artem vitæ agendæ: quam qui protulerint, soli sunt pulchri: soli diuites: soli sapiẽtes. Qui enim ea possidet quę sunt magnæ æstimationis & magni pretij, est diues. Virtus autem est magni pretij & magnæ æstimationis: & solus sapiens eam possidet. Solus ergo sapiens est diues. Et, qui est dignus amari, est pulcher. Solus autẽ sapiens est dignus amari. Solus ergo sapiens est pulcher. Eiusmodi autem pollicitationes spe frigida venantur iuuenes. nequaquam autem sunt veræ: quandoquidem Timon aliquando quidem ridet eos qui profitentur se ea esse tradituros, dicens:

Philosophiæ definitio secundum Epicurũ.

Prudẽtia est ars vitæ agendæ.

Diues est solus sapiens.

Sapiens est solus pulcher.

„ *Multorum Laconum exitium pestesque dolosæ.*

aliquando autẽ eos qui ipsis dant operam, inducit pœnitentes, quòd in eis frustra laborem posuerint, dicens:

„ *Lamentansq; aliquis dixit de more virorum,*
„ *Hei mihi quid faciam hîc, fiet & sapientia quænam?*
„ *Corde ego mendicus, mentis non est mihi granum.*
„ *Terque quaterq; ij sunt dicendi iure beati,*
„ *Qui nec habent, nec rodunt quod maturuit ipsa*

In schola.

„ *In schola. at in fatis fuerat me lite domari*
„ *Exitiosa, & pauperie, reliquisque, virorum*
„ *Quæ mortale agitant genus, & quos dicere fucos*
„ *Iure queas.* Cur autem hæc ita habeant, ita didicerimus si aduertamus. Quæ enim vitæ agendæ ars esse censetur, & per quam beatos esse existimant, non est vna, sed multæ & discrepantes: vtpote alia quidem ex Epicuro: alia verò ex Stoicis: alia autẽ ex Peripateticis. Aut ergo omnes sunt similiter sequendæ: aut vna sola: aut nulla. Et vt omnes quidẽ sequamur, fieri non potest propter dissidium. Quòd enim hæc præcipit tanquam eligendum, illa prohibet tanquam fugiendum. Non contingit autem idem simul persequi & fugere. Sin autẽ sequenda est vna: aut sequenda est cuiusmodicunq; ea sit. quod quidem fieri non potest. sequitur enim ex æquo omnes velle sequi. Si enim hæc est attendenda, cur hæc magis quàm illa? & contrá. Restat ergo eam esse sequendã quæ est iudicata præstantior. Aut ergo eam sequemur quę ab alia iudicata est præstantior: aut eam quæ à se ipsa. Et si quidem eam quæ à seipsa, ei fides non habebitur: & oportebit existimare fidem esse habendam omnibus. Nam si huic erit fides habenda, quia ipsa à seipsa iudicata est præstantior, reliquis quoque habenda erit fides. Nam vnaquæque earum à seipsa iudicata est præstantior. Si autem ab alia, oportebit rursus ei quoque fidem non haberi. Quomodo enim ipsa, quatenus dissidet ab aliis, opus habet iudicio: ita etiam ipsam iudicãs, quatenus discrepat ab aliis, opus habet alia quæ iudicet: & eo ipso non erit credibile illius iudicium. Si ergo neque contingit sequi omnes vitæ artes, neque vnam, restat vt nulla sit sequenda. Et alioqui, vt prius dixi, cùm multæ sint vitæ agendæ artes, necesse est vt qui in vna earum acquieuerit, sit infœlix, non solùm propter prius dictas causas, sed etiam propter eã quæ est dicenda procedẽte orationẽ. Vnusquisque enim homo ab aliqua tenetur affectione seu animi perturbatione. aut enim diuitiarũ, aut voluptatũ, aut gloriæ amore tenetur ac desiderio. Sed qui tenetur quidẽ diuitiarum amore & gloriæ, is magis incenditur cupiditate à Philosophia Peripatetica, ex quã diuitiæ & gloria sunt in bonis. Qui autem amat voluptates, etiam inflammatur ab Epicuri disciplina. Finis enim fœlicitatis ex eius sententia demonstratur voluptas. Ambitiosus autẽ & gloriæ cupidus à Stoicis præcipitatur in eandem affectionem, ex quorum sentẽtia virtus est solùm bonum, & quod fit ex virtute. Quęcunq; ergo à Dogmaticis philosophis dicitur vitæ agendę scien-

Artes sunt multæ vitæ agendæ, cùm sint multæ sectæ philosophorum.

Ars vitæ agendæ quænã sequenda.

Quanti vitæ agendæ sciētia à Philosophis tradita, est humanorum malorū propugnaculū, non auxilium.

sciētia, est humanorum malorū propugnaculum, non auxiliū. Quòd si etiā dederimus esse vnam vitæ agēdæ artem, & eam de qua conueniatur, vtpote Stoicā, ne sic quidē eam admittemus, propterea quòd multæ & variæ simul cū ea inferantur calamitates. Si enim vitæ quidem agendæ ars, cùm sit prudētia, est virtus: virtutem autē solus habet sapiens: Stoici cùm non sint sapientes, nō habebunt prudentiam, neque vitæ agendæ artē aliquam. Cùm non habeant autē, nec alios

Ars nulla est.

docebunt. Et si ex eorū sententia nulla ars potest cōsistere, ne consistet quidē ars vitæ agendæ. Atqui est primum: est ergo etiā secundū.

Ars quid sit.

Est enim ars id quod est compositum ex comprehēsionibus: & comprehensio est comprehēdentis phantasiæ assensio. nulla est autē com-

Phātasia comprehēdens nulla est.

prehēdens phantasia, propterea quòd nec omnis phātasia sit comprehēdens, pugnāt enim: neque aliqua, propterea quòd nulla sit facultas discernendi. Si non sit autem comprehendens phantasia, nec erit vlla eius assensio. Ita autem nec comprehēsio. Si non sit autem comprehensio, nec erit id quod est compositum ex comprehēsione, nempe

Ars vitæ agēdæ nulla est.

ars. Cui est consequens ne vitę quidem agendæ esse artē. Ad hęc accedit, quòd comprehēdens phantasia ex Stoicorum sententia iudicatur esse comprehendens ex eo quod est, & congruenter ei quod est, per impressionē & obsignationē. Et id quod est, esse probatur ex eo

Id quod est, ex quónam esse probetur.

quòd comprehēdentem moueat phantasiam. Si autē vt comprehendēs quidem iudicetur phantasia, oportet id quod est, esse cognitum. Vt hoc autem comprehendatur, comprehendētem phantasiam esse firmam ac stabilem: vtriusque autē fides fieri non potest propter alterum: si sit ignota comprehendens phantasia, ars quoque tollitur, vt

Scientia vitæ agendæ nulla est.

quæ si id quod est compositum ex comprehensionibus. Et si agendę quidē vitæ scientia, nempe prudentia, contemplatur bona & mala & neutra, aut est diuersa à bonis quorum dicitur scientia, aut ea ipsa est

Bonum quid sit.

bonum, quando quidam ex eis definientes dicunt, Bonum est virtus, aut quod est eius particeps. Et si est quidem diuersa à bonis quorum dicitur scientia, ne erit quidē omnino scientia. Omnis enim scientia est aliquorum quæ sunt. Bona autem & mala prius non esse ostendimus. quamobrem nec est quidem vlla scientia bonorum & malorū. Sin autem ipsa est bonum, & censetur esse scientia bonorum, sui erit

Ea quorū est scientia, cogitantur ante scientiam.

Ars medendi quid sit.

scientia. quod rursus est absurdum. Ea enim quorū est scientia, cogitantur ante scientiam: vt ars medendi dicitur scientia salubrium, & non salubrium, & neutrorum. sed ante artem medendi prius fuerunt & præcedunt salubria & insalubria. Rursus Musica est scientia modulato-

Musica quid sit.

Dialectica quid sit.

dulatorum & non modulatorum, numerosorumque & non numerosorum. Sed ante ea non est Musica. Ipsi quoque dixerunt Dialecticam esse scientiam verorum & falsorum & neutrorum. Vera ergo & falsa & neutra fuerunt ante Dialecticam. Sin autem prudentia est sui ipsius scientia, ea debet esse ante se. Nihil autem potest esse ante se. Nec hac ergo ratione dicendum est esse aliquam vitæ degendæ scientiam. Omnis quoque quæ est ars & sciētia, comprehenditur ex iis quæ fiunt artificiosè & scienter: vt ars quidem medendi, ex iis quę medicè fiunt: citharistica autem ex iis quæ citharisticè. pictura quoque itidem, & statuaria, & omnes similes. Ars autem quæ censetur versari in vita, nullū habet opus quod ei accidat, vt ostendemus. Nō est ergo aliqua ars vitæ agendæ. Vt, cùm multa dicātur apud Stoicos de filiorum educatione, & de honore in parētes, & præterea de pietate ac religione in defunctos, paucis ex vnoquoque genere electis, ea, exempli causa proferemus ad probandam argumentationē. Atq; de liberorum quidem educatione in Diatribis hæc dicit Zeno princeps sectæ Stoicæ: Diuidere autem nihilo magis neque ex æquo pu » siones aut non pusiones, neque fœminas aut masculos. Non enim » alia pusionibus aut non pusionibus, neque fœminis aut masculis, sed » eadem conueniunt & sunt conuenientia. Et rursus: Diuisisti dilectū » an non? Nequaquam. Vtrùm nō desiderasti eum diuidere? Maximé. » Sed desiderasti ipsum se tibi præbere, an timuisti iubere? Non per » Iouem. Sed iussisti? Maximé. Deinde non tibi inseruient. Nequaquam. De honore autem in parentes adiecerit quispiam ea quæ ab eis vulgo iactantur de concubitu cum matre. Et Zeno quidem cùm posuisset quæ narrantur de Iocaste & Oedipo, dicit: Non erat graue » fricare matrem. Et si corpore quidem ægrotantem manibus fricans » profuisset, minimè est turpe. Si autem in altera parte fricuisset in qua » inuenit eam dolore affectam, & dolorem sedasset, & ex matre egre» gios procreasset liberos, quid esset turpe? Chrysippus autem in li» bro De republica hæc dicit ad verbum: Videtur autē mihi hæc quo» que sic edidisse, vt nunc quoque apud multos non malè mos inoleuit » vt pater ex filia, & frater germanus ex sorore germana. Eorum autē pietatis ac religionis in eos qui è viuis excesserunt, indicium fuerint ea quæ præcipiuntur de comedendis hominibus. Non solùm enim censent edendos esse mortuos, sed eorum quoq; carnes, si fortè pars aliqua corporis fuerit amputata. Dicūtur autem hæc à Chrysippo in » libro De iustitia. Et si ex membris pars aliqua fuerit amputata vtilis ad ali-

Omnis ars et sciensia constat ex iis quæ artificiosè & sciēter fiunt.

Ars vitæ agendæ nullum habet opus.

Obscœna & impia plurima dixerunt Stoici de vita agēda.

De concubitu quid dicant Stoici.

De sepultura quid dicant Stoici.

,, ad alimentum, neque eam infodere, neque aliàs proiicere, sed eam
,, consumere vt fiat pars ex nostris. In opere autem De decoro, disse-
,, rens de sepultura parentum, disertis verbis dicit: Cùm autem paren-
,, tes excesserint, simplicissima vtẽdum est sepultura: vtpote quòd cor-
,, pus, sicut vngues & pili, nihil sit ad nos, neque nos opus habeamus
,, aliqua huiusmodi cura & solicitudine. Et ideo si sint ad alimentum
,, quidẽ vtiles eorum carnes, eis vtẽtur: vt, pede amputato eo vti opor-
,, tuit, & iis similibus. Si ipsę autem sint inutiles, aut effosso monimen-
,, to eas inferent, aut iis exustis cinerem dimittent: aut iis longius abie-
,, ctis nullam eorum curam gerent, sicut vnguium & pilorum. Sic qui-
dem Stoici. In eos autem est inferẽdum id quod est consequens argumẽtationis. Aut enim hæc sic facere præcipiunt, vtpote quòd sint ij vsuri adolescentes, aut quòd minimè sint vsuri. Et vt quòd sint quidem vsuri, nulla ratione præcipiunt, leges enim prohibent, nisi apud nos licebit viuere sicut Cyclopes, apud quos licet & humanis vesci carnibus, & lac electum bibere. Sin autem vt qui non sint vsuri: est agẽdæ vitæ ars superuacanea, cuius nullus potest esse vsus. Quomodo enim inter cæcos inutilis est pictura, est enim ars videntium, & in in ciuitate surdorum est inutilis ars citharistica, audientes enim delectat: ita etiam vitæ agendæ ars est inutilis iis qui ea non possunt vti. Præterea ars quælibet siue versetur in contemplatione, vt Geometria & Astrologia: siue in actione, vt ars armis depugnãdi: siue aliquid reddat effectum, vt pictura & statuaria proprium habet opus, hęc differt ab aliis omnibus, vt ostendam. Non est ergo prudẽtia ats aliqua vitæ degendæ. Quomodo enim quod est commune Musici & Musicæ ignari, & quod est commune Grammatici & non Grammatici, & vt semel dicam, commune artificis & ignari artis, non est artificiosum: ita etiam quod est commune prudentis & imprudentis, nõn potest esse proprium opus prudentiæ. Quodcunque autem opus videtur fieri à prudente, hoc inuenitur esse etiã commune opus non prudentis: vt si posuerimus esse proprium opus sapientis honorare parentes: & si reddere depositum iis qui crediderunt, & si quid aliud huiusmodi: etiam nõ bonos inueniemus eorum aliquid facere. Quo fit vt ne sapientis quidem sit proprium quo differat à non sapiẽtibus. Quod si ita est, nec prudentia erit ars vitæ agendę, cuius nullum proprium opus artificiosum. Sed dicunt iis qui ipsis occurtũt, quòd omnia quidem sunt communia, & omnium opera: distinguuntur autem quòd fiant ab artificiosa diuisione & affectione, aut ex eo quod nihil sit artis.

Stoici præcipiunt quæ sunt contra leges.

Ars est inutilis iis qui ea non possunt vti.

Quod artificis & ignari artis est commune, non est artificiosum.

Omne opus prudentis est etiam commune non prudentis.

Artificiosa affectione distinguuntur opera prudentis ab imprudenti.

ſit artis. Non enim parentum curam gerere,& aliàs honorare parentes eſt viri boni:ſed eſt viri boni hoc facere ex prudentia. Et quomodo ſanare eſt commune Medici & ignari hominis:medica autem ratione ſanare, eſt proprium artificis: ita etiam honorare quidē parentes,commune eſt viri boni & non boni: ex prudentia autē honorare parentes,eſt proprium ſapientis. Quò fit vt & ipſe habeat artem vitę degendæ, cuius proprium eſt munus, rem quæcunque geritur, ex optima agere affectione. Videntur autē qui ita occurrunt, ſua ſponte eſſe ſurdi, & quæuis potius quàm ad id quod quæritur aliquid dicere. Nam cùm nos apertè oſtendamus nullum eſſe opus munúsve prudentis quo differat à non prudentibus, ſed quidquid fit ab eo, hoc etiam fieri à non bonis, ipſi quidem hoc non poſſunt tollere, extrinſecus autem dicunt, quòd commune opus, aliquando quidem fit à prudenti affectione, aliquando autem à ſtulta. quod quidē non eſt demonſtratio quòd non ſit commune opus ac munus prudentium & non prudentium: eget autem demonſtratione, ſi quæſierit quiſpiam, vndénam diſcernemus quando hæc fiunt à prudenti affectione,& quando non fiunt. Ipſa enim communia opera hoc non indicant, quatenus ſunt communia. Hinc & quod ex arte medendi allatum eſt exemplū, inuenitur contra eos magis facere. Cùm enim dixerint, ſanare quod eſt proprium etiam non medici, eximi & eſſe proprium artificis, cùm effectū fuerit ratione medica, tunc aut ſciunt aliquid diuersè fieri à Medico quàm ab homine rudi & ignaro, vtpote breui tempore & citra laborem & certo ordine & qualitate, aut neſciunt, ſed hæc etiam omnia exiſtimant communia imperitorum. Et ſi ſciunt quidem, ex hoc ipſo fatētur eſſe aliquod opus quod cernitur Medici proprium, & conſequens eſſe iis ex eo conari docere quod ſit proprium opus ſapiētis quo differet à non ſapiente. Si autem neſciunt, ſed quidquid fit à Medico, dicent etiam hoc fieri ab indocto & ignaro Medicinæ, auferent proprium opus Medici: & cùm in eo quod apparet, nullum ſit diſcrimē ac diſtinctio in operibus quæ fiunt, non diſcernent inter artificem & imperitum artis, neque inter id quod ab artificioſa efficitur affectione,& id quod ab inartificioſa, proprerea quòd neq; quæ ſingulatim fit obſcura affectio, ex ſe poſſit cognoſci cùm ſit obſcura. Nihil ergo eis prodeſt fateri communia eſſe opera quæ fiunt à ſapiente, & quæ à non ſapiente: ea autem differre, quòd nunc quidem à prudenti fiant affectione, nunc autem ab imprudenti. Alij autem ſunt qui exiſtimant ea diſtingui ex æquatione

Medici eſſe opus propriū.

tione

Artificis propria & communia opera distinguuntur æquatione & ordine.

tione & ordine. Quomodo enim in mediis artibus est proprium artificis ordinatè aliquid facere, & id quod est in effectis exæquare, fecerit enim etiã rudis & ignarus opus artificiosum, sed raro, nec tunc præclarè, nec eodem modo & similiter: ita etiam sapientis quidem esse dicunt exæquare id quod est in rectè factis: insipientis autẽ, contrà. Videntur autem isti cõtra rerum naturam statuere de ea quæ est præ manibus quæstione. Esse enim definitè aliquem vitæ ordinem ex artificiosa ratione, videtur magis esse dictum vt est in votis. Nam quiuis homo se componens ad rerum quæ incidunt diuersitates & varietates, nunquam potest eundem seruare ordinẽ. & maximè prudens, considerans fortunæ instabilitatem & rerum inconstantiam.

Idem ordo seruari non potest.

Alioqui si sapiens vnum & definitum haberet vitæ ordinẽ, ex eo euidenter comprehensus esset à non sapientibus. His autem non comprehenditur. Nec ergo ex operum factorúmve ordine comprehendi potest prudens ac sapiens. Vnde si omnis quidem ars ex propriis apparet operibus: prudentiæ autẽ nullum est opus proprium ex quo appareat: non erit prudenria vitæ agendæ ars aliqua. Præterea si prudentia est vitæ agendæ ars aliqua, nemini magis profuerit quàm sapienti qui eam possidet, vt quæ ei præbuerit cõtinentiam in boni appetitionibus, & in declinando malo.

Sapienti non prodest prudẽtia.

Sapienti autem nõ prodest prudentia, vt ostendemus. Non est ergo vitæ agendæ ars aliqua. Nam sapiens qui dicitur continens, aut ideo dicitur continẽs, quòd in nulla sit boni appetitione & declinatione à malo: aut quòd malas quidẽ habeat appetitiones, eas autẽ ratione superet. Et eo quidem quòd in malis non sit iudiciis, non dicetur esse cõtinens. non enim eo quod non habet erit superior.

Eunuchus nõ est continens.

Et quomodo nõ dixeris eunuchum esse continentem ad rem venereã: & eum qui malo est stomacho, continentem ad fruendum cibis: in eis enim non est omnino horum requisitio, vt continentes exurgant aduersus requisitionem: eodem modo nec sapiens dicendus est conrinens, propterea quòd in eo non nascatur id à quo se contineat. Si autem censebunt eum ideo esse continentem, quòd sit in malis quidem iudiciis, ea autem ratione superet, primùm quidem dabunt, nihil ei prodesse prudentiam, vt qui iam sit in perturbationibus, & egeat auxilio: deinde etiam stultis inueniatur infœlicior. Nam quatenus quidem aliquid appetit, omnino perturbatur: quatenus autem superat ratione, malum in se continet, & ideo magis turbatur, cùm stulto hoc minimè accidat. Nam quatenus quidem appetit, conturbatur: quatenus autem assequitur ea quæ desiderabat,

rabat, dissolutam habet perturbationem. Non est ergo sapiens continens, quod attinet ad prudentiam, aut si est, est omnium hominum infœlicissimus. Sed si vnaquæque ars magis prodest ei qui ipsam possidet: ostensum est autem eam quę vitæ agendæ censetur esse artem non prodesse possessori: dicendũ est esse nullam vitæ agendæ artem.

An degendæ vitæ ars possit doceri.

ATQVE cum eo quidem quòd non est vitæ degendæ ars aliqua, vi ac potestate simul ostẽsum est nec eam posse doceri. eorum enim quæ non sunt, nõ est disciplina. Et tamen etiamsi ex abundantia concesserimus eam esse, docemus eam non posse doceri. Atque multa quidem & varia dicunt Philosophi de disciplina. Nos autem præcipua selecta afferemus, quibus partim quidem argumentantur Sceptici nihil esse disciplinam, partim autem quæ peculiarius dicuntur de ipsa prudentia. Ordine autem communiores consideremus argumentationes. In omni ergo disciplina fatendum est esse & rem quæ docetur, & eum qui docet, & eum qui discit, & modum disciplinæ. De his autem nihil constat, vt ostẽdemus. Non est ergo aliqua disciplina. Et quoniam primùm rei quæ docetur meminimus, de ea primùm est dubitandum. Si enim docetur res aliqua, aut docetur quod est, aut quod non est. Sed neque quod est, docetur, vt ostendemus: neque quod non est, vt exponemus. Non ergo docetur res aliqua. Et id quidem quod non est, non docetur: nihil enim ei accidit: quamobrem nec doceri. Et alioqui si id quod non est, docetur, verum erit quod non est, & statim fiet vt sit. Verum quidem certè dicunt Stoici id quod & est, & quod ex aduerso alicuius ponitur. Absurdum est autem esse id quod non est. Non ergo id quod nõ est, docetur. Id quidem certè quod docetur, docetur mouẽs phantasiam. Quod autem non est, non potest mouere phantasiã. Non potest ergo doceri quod non est. Nam si id quod non est, docetur, aut docetur quatenus non est quod est, aut quatenus est aliquid aliud. Atque quatenus quidem non est quod est, non docetur. Si enim quod non est, quatenus non est quod est, docetur, cùm nihil sit docebitur. quod quidem est absurdum. Sed neque quatenus est aliquid aliud. Quod enim est aliquid aliud, est. Quod autem non est id quod est, non est. Quamobrẽ quod non est, minimè potest doceri. Restat ergo vt dicatur id quod est, doceri. quod ipsum quoque ostendemus non posse fieri. Si enim quod est, docetur, aut docetur quatenus est quod est, aut quatenus

Ars vitæ agendæ non potest doceri.

Disciplina nulla est.

Quod non est, non docetur.

Verum quid dicant Stoici.

Quod est, nõ docetur.

aliquid aliud. Et si quidem docetur quatenus est quod est, ne poterit quidem doceri. Si autem ex iis quæ sunt, nihil potest doceri, ne erit quidem quod doceatur. Oportet enim aliquid esse eiusmodi vt non possit doceri, vt ex eo fiat disciplina. Quamobrem quatenus quidem est quod est, non poterit doceri quod est. Sed neq; quatenus est aliquid aliud eorũ accidens, quod non est quod est. Sed omne quod ei accidit, est id quod est. Illud enim, quodcunque est aliud ei accidẽs, est quod est. Si ergo neque quod est, docetur, neque quod non est: præter hæc autem nihil est: ex iis quæ sunt, nihil docetur. Et aliter. Quoniam ex aliquibus alia quidem sunt corpora, alia verò incorporea: si docetur aliquid, aut docetur corpus, aut incorporeum. Sed neque corpus docetur, maximè ex sententia Stoicorum. Nam quæ dicuntur, sunt ea quæ docētur. Corpus autem nõ sunt ea quæ dicuntur. Et alioqui si corpus neque est sensile, neque cadit sub intelligentiam nõ docetur corpus. Oportet enim quod docetur, aut esse sensile, aut cadere sub intelligẽtiam. Si neutrum autem sit, non docetur. Quòd autem corpus nec sit sensile, nec cadat sub intelligentiã, ostendimus in iis quæ scripsimus aduersus Physicos. Nã & si corpus, vt dicit Epicurus, est congeries magnitudinis & figuræ & resistentiæ, seu quod tres habet dimensiones ac interualla cum resistentia: quoniam quidquid sumitur ex coitu multorum, non est sensus qui est expers rationis, id accipere, sed alicuius facultatis participis rationis, non est corpus ex sensilibus. Quòd si est sensile, rursus erit eiusmodi vt non possit doceri. ex sensilibus enim nihil docetur: vt nemo discit videre album, neque gustare dulce, neque ab aliquo odorem percipere, frigefieri, calefieri: sed doceri non potest eorum omnium apprehẽsio. Neque ergo corpus est sensile. neque si sit sensile, ea ratione poterit doceri. Sed neque vt quod cadat sub intelligentiam, potest doceri. Si enim neque lõgitudo separatim est corpus, neque latitudo, neque profunditas: id autẽ est ex his omnibus compositum, oportebit cùm sint omnia incorporea, etiam quod est ex eis coactum ac congregatum, intelligere incorporeum & non corpus: & ideo etiam nõ posse doceri corpus. & quòd ex corporibus alia quidem sunt sensilia, alia verò quæ cadunt sub intelligẽtiam. Quamobrem si docetur corpus, aut id quod est sensile, docetur, aut id quod cadit sub intelligentiam. Sed neque quod est sensile, docetur, propterea quod apparent, & ex se sit euidens: neque quod cadit sub intelligentiam, propterea quod nihil sit certi, & sic hucusque quæ diiudicari non potest de iis dissen-

Corpus non docetur secundum Stoicos.

Corpus non est sensile.

Corpus si sit sensile, non potest doceri.

Corpus si sit intelligibile, nõ potest doceri.

ſio: cùm alij quidem dicāt id eſſe indiuiduum, alij verò diuiduum: & alij quidem id carere partibus & eſſe minimum, alij ſecari poſſe in partes, & diuidi in infinitum. Non poteſt ergo doceri corpus. Sed neque incorporeum. Aut enim eſt aliqua idea Platonica: aut quod à Stoicis dicitur λεκτὸν, id eſt, quod dicitur: aut inane, aut locus, aut tempus, aut aliquid aliud ex iis quæ ſunt huiuſmodi. Quodcunque autem ſit ex his, habet ſubſtantiam de qua quæritur, & de qua diſſidetur abſque diiudicatione. Ea autem de quibus adhuc dubitatur, dicere doceri tanquam de quibus nulla ſit controuerſia, eſt planè abſurdum. Si autem ex iis quæ ſunt, alia quidem ſunt corpora, alia verò incorporea: oſtenſum eſt autem ex iis nihil doceri: nihil eſt quod docetur. Et alioqui ſi docetur aliquid, aut eſt verum aut falſum. Et falſum quidē non eſt, vt ex ipſo cernitur. Verum autem ſi ſit, eſt dubium, vt oſtendimus cùm ageremus de eo quod habet vim iudicandi. De rebus autem dubiis non eſt diſciplina. Non eſt ergo quod docetur. Ad hæc accedit, quòd id quod docetur, aut eſt artificioſum, aut arte carens. Sed non eſt quidē arte carens, alioqui ne opus quidem habebit diſciplina. Si eſt autem artificióſum, aut ex eo ipſo apparet, aut non apparet, nec eſt euidens. Et ſi ex eo quidem ipſo apparet, & caret arte & non poteſt doceri. Sin autem non apparet, nec eſt euidens: eo ipſo quòd non apparet nec eſt euidens, non poteſt doceri. Atque ex his quidem oſtenditur rem quæ docetur eſſe dubiam. Cum ipſa autem ſimul tollitur & qui docet, propterea quòd nō habeat quod doceat: & qui diſcit, propterea quòd non habeat quod diſcat. Nihilo ſecius autem in iis quoque licebit ſimiles mouere dubitationes. Nam ſi eſt aliquis qui docet, & erit etiam aliquis qui diſcit, aut artifex docebit artificem, aut iners inertem: aut contrà artifex inertem, aut iners artificem. Sed neque iners docere poteſt inertem, vt neque cæcus poteſt cæcum ducere. Neque artifex artificem. non habet enim omnino quod doceat. Neque iners artificem: vt neque cæcus poteſt ducere videntem. Rudis enim & imperitus eſt planè occæcatus ad artis contemplationes: & ideo non eſt aptus ad docendum. Reſtat ergo vt dicatur quòd artifex docet rudem & imperitum. quod rurſus eſt ex iis quæ nulla ratione poſſunt fieri. De artifice enim à nobis eſt dubitatum ſimul cum artis contemplationibus. Et iners ſi docetur & fit artifex, aut quando eſt iners, fit artifex, aut quando eſt artifex. Sed neque quando eſt iners poteſt fieri artifex. neque quādo eſt artifex, adhuc fit artifex, ſed eſt. Idq; eſt conſentaneum. Nam iners quidem

Incorporeum non poteſt doceri.

Falſum non eſt.

Artificioſum non poteſt doceri.

Nec eſt qui doceat, nec qui diſcat.

Arte carens est similis ei qui est ab ortu cæcus à natiuitate.

est similis ei qui est ab ortu cæcus aut surdus. & quomodo neque ei qui est ab ortu cæcus, veniunt in mentem colores: neque ei qui est ab ortu surdus, veniunt in mentem voces: ita etiam iners, quatenus est iners, occæcatus ad apprehendendas artificiosas contemplationes, non potest eorum ipsorum habere cognitionem. Et artifex non amplius docetur, sed iam est doctus. Quinetiam vt hæc sunt dubia, ita etiam modus disciplinæ est dubius. Ea enim fit ac suscipitur aut euidentia aut ratione. Sed neque euidentia aut ratione, vt ostendemus. Quamobrem nec disciplinæ modus est explicatus & absque dubitatione. Atque euidentia quidem non fit suscipitúrve disciplina: quoniam euidentia est corũ quæ monstrantur. Quod autem monstratur, apparet. Quod autem apparet, quatenus apparet, potest communiter ab omnibus apprehendi. Quod autem potest ab omnibus communiter apprehẽdi, minimè potest doceri. Quod ergo euidentia monstrari potest, nõ potest doceri. Sed nec oratione doceri potest aliquid. Aut enim natura aliquid significat oratio, aut nihil significat. Sed nihil significans, nihil docebit. Si autem aliquid significat, aut natura significat, aut ex instituto & ex impositione. Et natura quidem non significat, propterea quòd non omnes omnes intelligant, Græci Barbaros, & Barbari Græcos. Ex instituto autem & impositione si aliquid significat, perspicuum est quòd ij quidem qui anticiparunt, ea apprehendent in quibus ordinatæ fuerunt dictiones, non ex ipsis docti quæ ignorabant, sed in memoriam reuocantes & renouantes ea quæ sciebant. Qui autẽ opus habent vt discant ea quę ignorabant, & ignorant in quibúsnam ordinatæ sunt dictiones, nihil apprehendent. Quamobrem si neque res est quę docetur, neque qui docet, neque qui discit, neque modus disciplinæ, nihil est disciplina. Atque communiter quidem sic argumentantur Sceptici, vt probent non esse disciplinam. Licebit autem transferre dubitationes etiã ad eam quæ dicitur ars vitæ. Aut enim prudens prudentem eam docebit, aut imprudens imprudentem: aut imprudens prudentem, aut prudens imprudentem. Sed neque prudens prudentem eam dici potest docere. ambo enim sunt virtute perfecti, & neuter eorum opus habet disciplina. Neque imprudens imprudẽtem. ambo enim opus habent disciplina, & neuter eorum est prudens vt alterum doceat. Sed neque imprudens docebit prudentem. neque enim cęcus videnti indicat colores. Restat ergo vt prudens doceat imprudentẽ: quod est etiam ex dubiis. Nam si prudentia est scientia bonorum & malorum

Disciplinæ modus est dubius.

Euidentia nõ docetur aliquid.

Oratione non potest doceri aliquid.

Ars vitæ agendæ doceri non potest.

&neu-

& neutrorum, imprudens non habens aliquam prudentiam, habens autem horum omnium ignorationem, prudēte docente bona & mala & neutra, audiet ſolùm ea quæ dicuntur, ea autem non cognoſcet. Si enim ea apprehēdat cùm ſit in imprudentia, cōgnoſcet imprudentia bona & mala & neutra. Hæc autem, vt eſt eorum ſententia, non contēplatur imprudentia. Imprudens ergo non apprehendet ea quę à prudente dicuntur aut fiunt ratione prudentiæ. & quomodo qui eſt ab ortu cæcus, quandiu eſt cæcus, non habet notionem colorum: & qui eſt ab ortu ſurdus, quandiu eſt ſurdus, voces non apprehendit: ita etiam imprudens, quandiu eſt imprudens, non apprehendit ea quæ prudenter dicuntur aut geruntur. Nec ergo prudens poteſt eſſe dux imprudentis in arte degendæ vitæ. Præterea ſi prudēs docet imprudentem, prudentia debet contemplari imprudentiam, ſicut ars etiam inertiam. Non poteſt autem prudentia contemplari imprudentiam. Prudens ergo non docet imprudentem. Qui enim factus eſt prudēs ex vſu aliquo & exercitatione (nemo enim eſt natura eiuſmodi) aut cùm in eo ſita eſſet imprudentia, acquiſiuit prudentiam: aut per illius amiſſionem & huius acquiſitionem factus eſt prudens. Et ſi cùm in eo quidem ſita eſſet imprudentia, acquiſiuit etiam prudentiam, erit idem ſimul prudens & imprudens. quod non poteſt fieri. Sin autem amiſſione illius hanc acquiſiuit, nō poterit per poſterius genitam affectionem cognoſcere eam quæ prius aderat, nunc autem non adeſt. & meritó. Cuiuſlibet enim rei ſenſilis, aut quæ cadit ſub intelligentiam comprehenſio, fit aut incurrendo per euidentiam, aut per reputantem & ratiocinantē tranſitum ab incurrentibus quæ apparuerunt, eumque aut aſſimilantem: vt quando ab imagine Socratis cognoſcitur Socrates qui non adeſt. aut componētem: vt quando ab homine & equo per compoſitionem intelligimus Hippocentaurum qui nō eſt. aut ex proportione: vt quando ex communi homine amplificando quidem ſumitur Cyclops, qui nō erat ſimilis homini veſcenti pane, ſed nemoroſo promontorio: diminuendo autē Pygmæus. Quò fit vt ſi prudentia apprehendatur imprudētia, & prudenti imprudens, aut conſideratur per incurſionem, aut per tranſitum ab incurſione. Sed nec cōſideratur per incurſionem. nemo enim ſicut nouit per incurſionem album & nigrum, & dulce & amarum, ita etiā imprudentiam. Neque per tranſitum ab incurſione. nihil enim ex iis quæ ſunt, eſt ſimile imprudentiæ. Si autem ab eo tranſitum facit prudens, aut facit aſſimilantem, aut componentem, aut reputātem. Quamobrem

Prudentia nō poteſt contemplari imprudentiam.

Rei ſenſilis quomodo fiat comprehenſio.

imprudentiam nunquam comprehendet prudentia. Atqui, fortasse dicet aliquis, prudens ea quæ est in seipso prudentia, potest mente comprehendere quę est in alio prudentiam. quod quidem est stultū. Imprudentia enim est affectio quæ quædam edit factu. Si autem prudens considerat & contemplatur eam quæ est in alio, aut ipsam ex ea ipsa comprehendet affectionem: aut ad eius facta se applicans, ab iis eam quoque cognoscet. Quomodo enim artis quidem medendi affectionem ex iis quæ medicè fiunt: pingendi autem artem ex iis quæ vt à pictore fiunt: neque ipsam ex ipsa potest quispiam accipere affectionem. non apparet enim neque cadit sub aspectum: neque fieri potest vt per corporis formam ipsam intueamur, neque à factis quæ ab ipsa eduntur. Quæcunq; enim facta apparent, vt prius ostendebamus, sunt communia prudentię & imprudentiæ. Sed quomodo vt prudens doceat imprudentem artem vitæ degendæ, oportet eum contemplari imprudētiam, sicut etiam artificem inertiam: ostensum est autem ab eo comprehendi non posse imprudentiam: ita non potest prudens imprudentem docere artem vitæ agendæ. Cùm sic autem dubitauerimus de iis quæ maximè continent ea quæ quæruntur in loco qui pertinet ad mores, in eis absoluamus vniuersam institutionis Scepticæ pertractationem.

FINIS.

SEXTI PHILOSOPHI PYRRHONIARVM HYPOTYPΩSEΩN

LIBRI TRES,

QVIBVS in tres Philosophiæ partes seuerissimè inquiritur.

LIBRI *magno ingenij acumine scripti, variaque doctrina referti: Græcè nunquam, Latinè nunc primùm editi,*

Interprete Henrico Stephano.



PARISIIS.

HENRICVS STEPHANVS HENRICO MEMMIO SVPPLICVM LIBELLORVM IN REGIA MAGISTRO S. D.



VOI Graiæ ſophiæ dabo libellum
Romana modò pumice expolitum?
O MEMMI, tibi. nanque tu ſolebas
Graiorum lepidas amare nugas.

Quid? (dices ſtatim, ſi te bene noui) modeſtiáne quadã & verecundia hoc facis, vt tuum hunc libellum nugas appelles, an ex animo & vt ſentis ita loqueris, ingenuéque verum fateris? οὐ μᾶλλον τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. *Hic libellus ſeriáne tractat, an nugas?* ἐπέχω. *Ad hoc ſaltem reſponde, Eſtne philoſophicũ eius argumentum?* οὐ καταλαμβάνω. *Agè, quid definitum conſtitutumq́ue tibi de illo eſt?* οὐδὲν ὁρίζω. *At mihi tuam de eo ſententiam, quæcunque eſt, aperi. Imò nulla mihi ſententia eſt, vtpote nihil opinanti. Quid facis igitur?* σκεπτόμενος διατελῶ. *Miraris Henrice Henrici tui metamorphoſin, in Scepticum quaſi quodam virgulæ diuinæ miraculo transformati? At ego nunc à te vnica differo literula. tu enim* σκωπτικὸς *es (vt mos eſt hominum venuſtiorum) ego verò* σκεπτικός. *Quòd ſi huius metamorphoſis tragicocomicam hiſtoriam audieris, ad eam certè multo magis quàm ad vllam Ouidianam attonitus obſtupefactusq́ue diſcedes. Sed narrabo tamen. Quum anno ſuperiore quartana mea febris poſt varias* παροξυσμῶν ἀκμὰς & παρακμὰς *(longas Iuppiter & laborioſas) alioſq́ue multiplices actus, tandem ad cataſtrophen vergeret: eaq́ue non tantùm corporis mei cõſtitutionem penitus immutaſſet, ſed & ipſi naturali* ὁρμῇ *(dictu mirabile) tantam mutationem attuliſſet, vt, quemàdmodum nobis, tantiſper dum ſani ſumus, mel dulciſsimum videtur, at vbi in icterum inciderimus, amariſsimũ: ita ego, cui ante febris quartanæ tragœdiam, nihil dulcius, nihil ſuauius literarum ſtudio fuerat, ex quo illius fabulæ actor eſſe cœperã, adeò ab illis abhorrerem, vt non modò triſte & acerbum ſpectaculum libri mihi afferrent, ſed ſi qua vel minima de illis mihi occurrebat cogitatio, ea, velut obductam cicatricem refricans, animum mihi exulceraret: quum, inquam, ita malè erga literas affectus eſſem, atq; adeò eas cane peius & angue odiſſem, contigit vt bibliothecam meam aliquando ingreſſus (ſed oppoſita oculis manu, ne librorum aſpectus bilẽ mihi moueret) dum in ſcrinio veteres neſcio quas apinas & tricas euoluens nugor, in aduerſaria quædam mea inciderem, quæ tumultua-*

multuariam quorundam Pyrrhoniæ sectæ capitum interpretationem habebant. Illa mihi risum (quo medicamento ἰατρῶν παῖδες summopere mihi opus esse clamabant) primo statim aspectu & ad prima verba excutere, illa mihi decies repetita placere, illa sola scripta palato meo sapere, ego deniq; de Scepticis dicere, οἷοι πέπνυνται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Statim igitur chartas illas, tanquam ἑρμαῖον, arripiens, Græcũ Sexti exemplar vnde Pyrrhonia illa transtuleram, diligẽtissimè & auidissimè perquiro, tandem multo puluere sordidatum & situ propemodum obductum (adeò à me neglectus iacebat) inuenio. Quid multa? Quum opus à me inchoatũ dum firma valetudine eram, argumenti partim difficultate deterritus, partim paradoxologiam pertæsus, è manibus abiecissem, animum simul abiiciens atque despondens: tunc, veluti resumptis nouis viribus, & nouo quodam animo, ad id magna alacritate redeo, aduersusq; omnes difficultates pugnans, in eo pergo, nec antè absisto quàm extremã manum illi impono. An autem eas expugnauerim, aliorum esto iudicium. Certè si omnes expugnare non potui, duobus nominibus excusationẽ apud æquos iudices mereri mihi videor, quòd vno eodemq; tempore primùm aduersus febrim, & quidem peruicacissimã ac fallacissimam, deinde aduersus argumẽti magnam plerisque in locis obscuritatem, simulq; miram verborum (vt ita loquar) peregrinitatem luctandum fuit. Habes mi Henrice veram rei nuper gestæ historiam. Sed quis vnquam (dices) talem fore quartanæ febri cum Sceptice sympathiam sperasset? aut quis huius sympathiæ rationẽ è naturalis Philosophiæ arcanis eruere posset? Imò verò quis eam melius te vno eruere queat, Henrice φιλοσοφικώτατε? Agè igitur, fœcundũ concute pectus. Quòd si fortè nihil ex eo quod tibi satisfaciat deprompseris, domum habes quæ adeò à doctissimis frequentatur viris, vt quoddam pulcherrimarum disputationum emporium appellari meritò possit. hanc igitur quæstionem in frequenti illorum conciliabulo proponas velim, & quomodo soluta fuerit (vt aliquem narrationis meæ fructum capiam) perscribas. Ad me certè quod attinet, postquam diu multumq; cogitationem meã partes in omnes versaui, omnésq; circunstantias huius facti accuratè perpendi, aliquam eius rationẽ inuenisse tandẽ mihi videor: sed quæ tum demum mihi satisfaciet, quum eam aliis & ingenio & iudicio me præstantioribus satisfacere intellexero. Eam paucis aperiam. Febrim quartanam quum ex immoderato literarum studio cõtraxissem, omnes quotidie illud mihi certatim exprobrantes, & illi vni totum meum malum acceptum ferentes audiebam. Quid aliud hinc sequi poterat quàm immortale quoddã aduersus id studium quod vitæ meæ insidiabatur, odium? Verùm eò res deuenerat, vt non hunc vel illum librum peculiariter odio prosequerer (alioqui Pindarus potius quàm quisquam alius scri-

ptor dignus odio meo fuisset, quòd ex immenso circa illius interpretationẽ labore ægritudo corporis contracta foret) sed vnius crimen in omnes diffundebam, adeò vt iam non à Pindaricorum duntaxat similiúmve librorũ insidiis cauendum mihi existimarem, sed omnes ad vnum suspectos haberem. Qua in re mihi vsuueniebat quod ingeniosissimus Poëta canit,

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.

Sic igitur animo quum affectus essem, & libris omnibus (quorum lectio aliquam animi contentionem postularet) renuntiare & tantùm non bellum indicere statuissem, cur cum Scepticorum libris tandem potius quàm cum vllis aliis in gratiã redierim, in causa fuisse puto, quòd scepsin omnes omnium artium professores refellentem, magis ac magis in odio illo animum meum obfirmaturam sperarem. In illo autem odio salutis spem collocabam, quia quod reliquum erat vitæ, si in studio literarum pergerem, ἀβίωτον mihi futurum existimabam. Hæc est, mi Henrice, quam possum illius mirandæ metamorphosis rationem afferre, dum meliorem à te expecto.

Verùm vt tandem aliquando seriò loqui incipiã, tantum abest vt Sceptice animũ meum in illo aduersus literas odio obfirmauerit, vt potius per quandam ἀντιπερίστασιν cum illis me reconciliauerit. Ac certè vt iã liberè & ingenuè mentẽ meam patefaciam, hunc nostrum Scepticum minimè laudo in eo quòd ingenij acumine in refellendis Dogmaticis abusus sit, non solùm in iis quæ malè, verumetiam in iis quæ rectè ab illis dicta fuerant. ego siquidẽ non quid fieri debuerit, sed quid factum fuerit, narro. Quanquam si è duobus malis minus eligendum sit, tolerabilior ignaua Scepticorum epoche in quibusdam quæstionibus, quàm impudens & temeraria Dogmaticorum quorundam assertio, meritò videri possit. De iis autem disputationibus loquor per quas illi ea etiam quorum à suis sensibus conuincebantur, negabant. Vter enim, obsecro, grauius in veritatem peccat, illéne qui dubitat (hoc enim exemplum proferam) motus sit nécne, vt Sceptici: an ille qui nullum esse motũ audet asserere, vt Dogmaticorum bona pars? Et de aliis quidẽ eorum ad euertendum motum commentis, aliàs: at illud risus causa commemorabo. Si quid mouetur (aiebant) aut in eo in quo est loco mouetur, aut in eo in quo non est. Atqui neq; in eo loco mouetur in quo est: (manet enim) nec in eo loco in quo non est. (quomodo enim agere possit eo in loco in quo ne sit quidem?) Nihil ergo mouetur. Hoc commentum quum Diodoro Philosopho dogmatico summopere placere sciret Erophilus Medicus, facetissimè in eum suam illam argutiam retorsit. Nam quum is, luxato fortè humero, ad eum, non philosophicam sed medicam opem implorans, venisset, Diodore, inquit ille, luxatum

tibi

tibi humerũ ſuo loco decidiſſe, quomodo mihi perſuadebis? Aut enim in quo erat loco humerus decidit, aut in quo non erat. Atqui non decidit in loco in quo erat: manens enim, decidere non poterat. Nec verò decidit in loco in quo non erat. nam quomodo vbi non ſit, agere poßit? Ergo tibi humerus luxatus non eſt. Et hæc quidem feſtiuißimè Erophilus. Nos autẽ, vt ludicris omiſſis, ad ſeria veniamus, Dogmaticos cum Scepticis in Dei notitia comparemus. Quis neſcit Dogmaticorum plurimos ex illa ſua plus quàm effrænata iudicandi audacia quum diuinæ prouidentiæ velut cenſores, eam ex ſuo ſenſu metirentur, in ἀθεότητα eſſe lapſos? At Sceptici ex iis quidem quæ de Deo Philoſophi vtranque in partem diſputarent, ἐποχὴν induci: ſe tamen, quum obſeruationi eorum quæ ad vitam communem pertinent, acquieſcerent, naturali inſtinctu ad credendum eſſe Deum, cuius prouidentia omnia gubernarentur, & ad eum colendum venerandumque impelli dicebant. Quæ quamuis ita ſint, Sceptices tamen nec ipſe fautor eſſe, nec alios fautores efficere velim. Cur igitur, dicet aliquis, librum hunc edis? Primùm vt noſtri ſeculi dogmaticos impios Philoſophos ad inſaniam redigam. Ad inſaniam redigã, dico? imò verò vt eos ſanem. ſi enim contraria contrariorum ſunt remedia, ſpes eſt fore vt quem illi ex dogmaticis Philoſophis impietatis morbũ contraxerunt, ex eo ephecticorum ope ſanentur. Deinde vt modeſtos Philoſophiæ cultores (eos videlicet qui eã moderationem in eius ſtudio adhibẽt, vt ex profanis nihil tamen profanum imbibãt) labore longißimo tædioq; maximo leuem. (Nam præterquam quòd in vno eodemq; libro habebunt quæ ex variis petenda forent: multa etiam quæ apud alios obſcurißimè, apud hunc apertißimè tractata reperient. quum tamen author hic breuitatẽ, cui comes obſcuritas eſſe ſolet, ſectatus ſit: illi cõtrà fusè ac copiosè perſequuti ea fuerint. Quod profectò admirabili cuidã methodo, huic viro peculiari, acceptum ferendum eſt.) Poſtremò, vt eos etiã qui ex libris omnibus philologiam præcipuè & polyhiſtoriã haurire ſolent, aliquo mihi obſtringam beneficio. Illis enim in toto ferè primo libro, ac præcipuè in expoſitione τῆς δέκα τρόπων τῆς σκέψεως, amplum exhibeo polymathiæ, polyhiſtoriæ, ac deniq; philologiæ theſaurum. Hæ ſunt ferè cauſæ quæ me ad edendum librũ hunc impulerunt. Verùm obiiciat fortaſſe Philoſophiæ ſtudioſus aliquis, Quomodo hunc qui bellum Philoſophiæ indixiſſe videtur, vllũ meis ſtudiis adiumẽtum allaturum putem? Ego verò eum quiſquis hanc de Sexto opinionem conceperit, toto, quod aiunt, cælo errare exiſtimabo. Niſi fortè in Philoſophiam eum quis inuehi interpretetur, qui in eo ipſo Philoſophos, quòd malè de Philoſophia meriti ſint, & tam malè philoſophati, vt ſuis rationibus ipſa Philoſophiæ dogmata tueri nõ poßint: interdum grauiter reprehendat, interdum verò irrideat, aliiſque irridendos

propinet. Ideo quum aliquid ex iis quæ posuerunt, euertit, hoc semper addit, aut tanquam additū à nobis vult intelligi. ὅσον ἐπὶ τοῖς ὑπ' αὐτῶν λεγομένοις. Nec tamen is sum qui magis subtiles quàm veras Sexti disputationes esse ignorem: imò vero ne Sextum quidem id latuisse putandum est, hominem φιλοσοφικώτατον, & acerrimo iudicio pariter ac ingenio præditum: siue ostentandi acuminis ingenij causa, siue quodam philosophicæ temeritatis odio, hæc scripserit: vt gentem nimium quietam & suo quodam regno ac licentia nimium abutentem, sollicitaret, eique quantum posset negotij facesseret. Sed interim huiusmodi disputationibus veritati offunduntur tenebræ, ais. Quid? times ne à mendacio veritas nobis opprimatur? Hoc etiam timeto, quoties Solem in nubem conditum videbis, ne nubium caligo lumen eius nobis eripiat: aut potius quoties Solem ἐκλείπειν Lunæ crasso & tenebricoso corpore inter ipsum & obtutum nostrum interposito, cernes, de eius luce actum esse existima, vicemque nostram, qui κόσμον ἀνήλιον in posterum habituri sumus, deplora. quum enim eueniet vt sophismata ac quamlibet acuta & scita mēdacia veritati suam lucem eripiant, certè tum quoque vt nubes vel Luna Solis splendorem in tenebras vertant, accidet. Nec verò cum Democrito ἐν βυθῷ εἶναι τὴν ἀλήθειαν existimandum est, suapte quidem natura: sed prauis hominum opinionibus in profundo quidem illam & olim fuisse demersam, & hodie demergi: ita tamen, vt, sicut olim emersit, sic etiam hodie emergat, semperque emersura sit. Quinetiam tantum abest vt veritas oppugnata expugnari, vel eius lux mendaciis obrui possit, vt, perinde ac manus ex contrectatione niuis per ἀντιπερίστασιν calorem paulo pòst acquirit: ita etiam veritas, offusa illi mendacij caligine, haud multo pòst noua quadam luce aucta videatur. Sed sus Mineruam. Vale Henrice charissime, & hoc munusculum ab animo grato profectum accipe, tibique persuade, nihil mihi gratius quàm tibi gratificari, esse.



SEXTI PHILOSOPHI PYRRHONIARVM HYPOTYPΩSEΩN

LIBER PRIMVS.

De tribus generalissimis philosophandi rationibus. CAP. I.

QVICVNQVE rem aliquam quærunt, eos huc tandem deuenire consentaneum est, vt aut eam inueniant, aut à se inuentã negent: & vel à se comprehendi non posse fateantur, vel in eius inuestigatione perseuerent. Quamobrem fortasse in iis etiam quæ circa Philosophiam quærũtur, alij quidem verum se inuenisse dixerunt, alij autem id esse eiusmodi quod comprehendi non posset, pronuntiarunt, alij verò quærere pergunt. Inuenisse sibi videntur ij qui peculiari nomine Dogmatici appellantur, vt Aristoteles, Epicurus, & Stoici, & alij quidam. Negarunt autẽ comprehendi posse, Clitomachus, Carneades, & cæteri Academici. At Sceptici etiamnum quærunt. Vnde meritò tres esse generalissimę philosophandi rationes existimantur, Dogmatica, Academica, Sceptica. Ac de duabus quidem illis tractare, aliorum fuerit: de Sceptica autem institutione nos ὑποτυπωτικῶς *(id est, breuiter summa rerum ob oculos ponentes capita)* dicemus: hoc præfati, nos de nulla re earum quæ à nobis dicetur, ita pronuntiare, vt eam sic planè se habere vt dicimus, affirmemus & assertione approbemus, sed quid de quaque re nobis nunc videatur, historico quodam more narrantes, exponere.

De duplici Scepticæ tractatione. CAP. 2.

SCEPTICÆ igitur Philosophiæ vna quidem dicitur generalis tractatio: altera autem, specialis. Generalis, in qua notas & indicia scepseos exponimus, declarantes quæ sit eius mens, quæ principia, quæ orationes, quod sit eius κριτήριον, *id est, instrumentum ad iudicandũ*: quis finis: item qui modi ἐποχῆς, *id est, assensus retentionis*: & quomodo

Scepticorum dicta intelligamus, præterea quónam pacto Scepsis ab illis philosophandi modis qui sunt ei finitimi, distinguatur. Specialis autem Sceptice tractatio, ea est, in qua vnicuique parti eius quæ Philosophia nuncupatur, contradicimus. Et generalem quidem tractationem priore loco persequamur, ante omnia tradentes ea nomina quibus appellari Sceptica institutio consueuit.

Quibus nominibus Sceptica institutio vocetur. CAP. 3.

SCEPTICA igitur institutio vocatur etiã ζητητική, *q. d. quæsitoria,* ab ipsa actione quę est ἀπὸ τοῦ ζητεῖν καὶ σκέπτεσθαι, *id est, in quærendo & vtendo Scepsi.* Appellatur etiam Ephectice, ab ea affectione quę in eo est qui Scepsi vtitur, deducto nomine. Dicitur & ἀπορητική, *q. d. dubitatoria vel hæsitatoria*: aut inde quòd de re omni dubitet & quærat, vt nonnulli volunt: aut propterea quòd hæsitans suspenso sit ad assentiendum aut repugnandum animo. Quinetiam quoniam solidius & apertius Scepsin tractauisse Pyrrhonem existimamus, quàm eos qui ætate illum præcurrerunt, ab eius nomine Pyrrhonia nnncupatur.

Quid sit Scepsis. CAP. 4.

EST autẽ Sceptica δύναμις, *id est, vis & facultas,* quæ ea quæ sunt φαινόμενα, *id est, sub sensum cadunt,* iis quæ sunt νοούμενα, *id est, quæ mente & intellectu percipiuntur,* opponit: idque quolibet modo. A qua quidem deuenimus, propter paria in oppositis rebus ac orationibus momenta, primùm quidẽ ad ἐποχήν, *id est, assensus retentionem*: deinde verò ad ἀταραξίαν, *id est, vacuitatem à perturbatione.* Eam autem, δύναμιν appellamus simpliciter ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, *id est, ex eo quòd possit*: φαινόμενα autem dicimus nunc τὰ αἰσθητά, *id est, quæ sub sensum cadunt & sensu vsurpantur.* vnde fit vt iis opponamus τὰ νοητά, *id est, quæ mente & intellectu percipiuntur.* Quod autem dicimus, Quolibet modo, id ad nomen δύναμις accommodari & ad ipsum referri potest: vt simpliciter vocem hanc δύναμις, vti diximus, accipiamus. Potest etiam ad illud referri, Scepticam φαινόμενα & νοούμενα inter se opponere: quia enim variè hæc opponimus, aut phænomena phænomenis, aut nooumena nooumenis, aut permutatim: vt omnes oppositiones comprehendantur, dicimus, Quolibet modo. Aut certè Quolibet modo phænomenon & nooumenon, *id est, Quolibet modo sub sensum cadentium & mente ac intellectu perceptibilium.* ne quæramus in iis quæ sub sensum cadunt, quo pacto sub sensum cadant: & in iis quæ mente percipiuntur, quónam modo mente percipiantur. Oppositas autem orationes intelligimus, non necessariò negationem & affirmationem: sed simpliciter eas quę sibi

inui-

inuicem aduersentur. Vocamus autem ἰσοσθένειαν, *id est, æquã potentiam*, æqualitatē quandam & paria momenta ad impetrandam vel non impetrandam fidem: ita vt aduersantium orationum nunquã altera alteri præponatur, tanquam fide dignior. ἐποχὴ autē est status mentis per quem neque ponimus quicquam, neque tollimus. ἀταραξία verò, est vacuitas perturbationis in animo & tranquillitas. Quomodo autem vnà cum epoche ingrediatur ataraxia, vbi de fine Scepticæ agemus, declarabimus.

De Sceptico. CAP. 5.

QVINETIAM Pyrrhonius Philosophus cum notione Scepticæ institutionis exhibitus esse videri possit. is enim est qui hac vi & facultate præditus est.

De principiis Scepticæ. CAP. 6.

PRINCIPIVM autem Scepticæ, id quidē quod ex causa est, dicimus esse spē assequendę vacuitatis à perturbatione. Siquidem abundantia quadam ingenij præstantes homines, quum ob eam inæqualitatem & diffidentiam quæ in rebus erat, turbarētur, & quibus potius assentiendũ esset, dubitarent: quid in rebus verum, quid falsum esset, quærere cœperunt: vt ex horum diiudicatione & distinctione illum mentis imperturbatum statum adepturi. Principium autem id Scepticæ, quo ea nititur, est præcipuè hoc, Omni orationi orationem æqualis ponderis & momenti aduersari. Ex hoc enim videmur eò delabi, vt dogmata nulla statuamus.

An Scepticus aliqua dogmata statuat. CAP. 7.

DICIMVS autem Scepticũ dogmata (*id est decreta*) nulla statuere, non eo sensu quo dicunt nonnulli dogma esse generaliter assensionem ad aliquam rem: (nam ille iis quibus per phantasiam cogitur affici, assentitur. Exempli gratia, Quum calefit, aut frigefit, nequaquã dixerit, Puto me non calefieri, aut frigefieri) sed dicimus Scepticum dogma non ponere, eo sensu quo dogma nõnulli esse aiunt assensum ad rem aliquam dubiam & incertã earum de quibus in scientiis quæritur & ambigitur. Nulli enim rei incertæ & controuersæ assentitur Pyrrhonius. Imò verò ne tum quidem dogmata statuit, quum voces Scepticæ institutionis pronuntiat, nimirum vel hanc, οὐδὲν μᾶλλον, *id est, Nihilo magis*: aut illã, οὐδὲν ὁρίζω, *id est, nihil definio*: aut aliquã aliam ex iis de quibus pòstea dicemus. Nã qui dogma ponit tanquã entem rem illam ponit de qua dicitur dogma statuere: at verò Scepticus has voces non ita ponit quasi protinus dici debeãt esse. Arbitratur enim, vt hæc

vt hæc vox, Omnia ſunt falſa: cum aliis etiam ſeipſam falſam eſſe dicit: Item illa, Nihil eſt verum: eodem modo & hanc, Nihilo magis, cum aliis etiã ſeipſam dicere nihilo magis eſſe, & propterea vnà cum aliis ſe circunſcribere. Idem in reliquis quoq; Scepticorum vocibus dicimus. Iam verò ſi is qui dogma ſtatuit, tanquã ens ponit id de quo dogma ſtatuit, at Scepticus voces ſuas profert ita vt quæ poſſint à ſeipſis circunſcribi: dũ illas profert, dogmatis alicuius author cẽſeri nequaquam poſſit. Atque etiã quod potiſſimum eſt in his vocibus pronuntiandis, quid ſibi videatur, dicit, & paſſionem quam ſentit, exponit, citra vllam opinationem, nihil de externis ſubiectis affirmans.

An ſectam habeat Scepticus. CAP. 8.

EANDEM autem rationem ſequimur in reſpondendo iis qui rogant an ſectam habeat Scepticus. Si quis enim dicat ſectã eſſe inclinationem ad dogmata multa, quæ conuenientiam inter ſe & phænomena habeãt, & velit dogmã eſſe ad rẽ aliquam incertam aſſenſum: nos ſectã non habere reſpondebimus. Sin quis dicat ſectam eſſe inſtitutionem quæ ſecundum phænomenum rationi alicui adhæreat, illa ratione monſtrante quomodo rectè viuere videri poſſimus (illud Rectè non ſolùm ad virtutem referendo, ſed ſimplicius dictum intelligendo) & ad aſſenſus retentionem tendente: tum verò ſectam nos habere reſpondebimus. adhæremus enim rationi cuidam quæ ſecundum phænomenum, *id eſt, ſecundũ id quod apparet & ſub ſenſum ſe profert*, nobis monſtrat viuere ad patrios ritus & leges & inſtituta, & ad proprias nobis affectiones.

An phyſiologiam tractet Scepticus. CAP. 9.

SIMILIA ſunt ea quæ reſpondemus quærentibus an φυσιολογία, *id eſt, naturæ inueſtigatio*, ad Scepticum pertineat. Quantum enim attinet ad pronuntiandum cum firma perſuaſione de re aliqua earum quæ phyſiologiæ dogmatis ſtatuuntur: nihil nobis cum phyſiologia commercij eſt. ſed quatenus omni orationi orationem æqualẽ poſſumus opponere, etiam in phyſiologicis, perturbationis vacuitatem cõſequimur. Atque hoc quidem certè modo & logicam & ethicam eius quæ philoſophia dicitur, partem, tractamus.

An Sceptici phænomena tollant. CAP. 10.

QVI autem aiunt Scepticos tollere phænomena, *id eſt, apparentia*: ea quæ à nobis dici ſolent, audiſſe mihi non videntur. Non enim ea euertimus quę per phantaſiam patientem inuitos nos ad aſſenſionem adducunt, vt antea quoque dicebamus, ea autẽ ſunt apparentia.

Sed

Sed quum quærimus an tale sit ipsum subiectum quale apparet, apparere quidem concedimus: quęrimus autē & ambigimus non de ea re quæ apparet, sed de eo quod dicitur de re apparente. hoc autem aliud est quàm quæstionem mouere de ipsa re quæ apparet. Verbi gratia, Apparet nobis mel dulcare: dulcedinem enim ipsam sensu percipimus: sed an dulce sit quod ad rationem & intelligentiam attinet, ambigimus. Quòd si etiam apertè circa apparens quæstiones moueamus, non ita has mouemus quasi apparētia euertere velimus: sed Dogmaticorum philosophorum temeritatem arguētes. Si enim tales sunt rationis imposturæ, vt etiam apparentia tantum non oculis nostris surripiat: quomodo in incertis suspectam eam habere non debeamus, ne eam sequentes, in temeritatem labamur?

De criterio Sceptices. CAP. II.

NOS autem apparentibus acquiescere, ex iis quę à nobis de criterio Scepticæ institutionis dicuntur, manifestum est. κριτήριον autem, *id est, instrumentum ad iudicandum*, duobus dicitur modis: & id quo fides fit rem aliquam esse vel non esse: (de quo in eo loco dicemus vbi aliorum de ipso sententias refellemus) & id quo actiones diiudicantur: cui adhærentes, in communi vita, quædam agimus, quædam nequaquam. de quo nunc loquimur. Criterium igitur Scepticæ institutionis dicimus esse id quod apparet: quod perinde est ac si phantasiā dicamus. quum enim persuasionem & coactā passionem afferat, ambigi de ea non potest. Itaque hoc quidem, nimirùm tale aut tale apparere ipsum subiectum, nemo fortasse in dubium vocat: sed de hoc, videlicet an tale sit quale apparet, ambigitur. Apparētibus igitur acquiescentes, ea quæ ad vitam communē pertinent, obseruando, opinatione omni liberi viuimus: quia omnis actionis prorsus expertes esse non possumus. Videtur autem hæc obseruatio eorum quæ ad vitam communem spectāt, triplex esse: & partim in naturali instructione versari, partim in impulsu & coactu passionum, partim in constitutione legum & cōsuetudinum, partim in traditione artium. Instructione naturali: per quam à natura & sensuum & intellectus facultate prædití sumus. Passionum coactu: quo fit vt fames ad cibum nos deducat, sitis ad potum. Legum & morum constitutione: quæ facit vt piè agere in vita communi, bonum censeamus: impiè agere, malum. Artium traditione: per quam non inutiles & otiosi sumus in iis quæ nobis traduntur artibus. Hæc autem omnia citra opinationem dicimus.

Quis finis sit Sceptica. CAP. 12.

ORDO poscit vt de fine Scepticæ disciplinæ deinceps dicamus. Est igitur finis, id cuius causâ omnia fiunt aut cõsiderantur: ipsum autem, nullius rei causa: aut vltimum appetendorum. Dicimus autem etiamnum finem esse Sceptici, imperturbatum mentis statum circa ea quæ ad opinationem spectant, & in coactis *μετριοπάθειαν, id est, moderationem in ferendis affectionibus*. Incipiẽs enim philosophari, ad phantasias discernendas & comprehendendas, quænam sint veræ, quæ falsæ, vt perturbatione mentis careret: incidit in æqualia contrariis in partibus momenta rationum. quæ quum diiudicare non posset, assensum retinuit. Hanc autem assensus retentionem forte fortuna sequutus est imperturbatus mẽtis status circa opinabilia. Nam qui opinatur aliquid natura bonum aut malum esse, turbatur semper. quandiu enim non adsunt ea quæ bona esse videntur, & ab iis quæ natura mala sunt, putat se torqueri, & persequitur bona, vt ea quidem iudicat. iam verò vbi ea acquisiuit, in plures perturbationes incidit, tum ob rei nouitatẽ, tum quòd immodicè efferatur: mutationemque timens, totus in hoc sit ne amittat ea quæ ipsi videntur esse bona. At ille qui ambigit de iis quæ secundum naturam bona aut mala sunt, neque fugit quicquam, neque persequitur acri studio: proptereaque perturbatione caret. Quod igitur de Apelle pictore memoriæ proditũ est, hoc Sceptico vsuuenit. aiunt enim ipsum, quum in pingendo equo, spumam eius sua pictura repræsentare voluisset, tam malè ei rem successisse vt de ea omnino desperaret, ideoque spongiam in quam abstergebat penicilli sui colores, in illam imaginem impegisse. spongiã autem, quum equum attigisset, spumæ similitudinem expressisse. Itidem enim Sceptici sperabant quidem se imperturbatum mentis statum adepturos, inæqualitatem eorum quæ sensu & eorum quæ intellectu percipiuntur, distinguendo: quum autem id efficere non potuissent, assensum retinuerunt: at hanc assensus retentionem quasi fortuitò imperturbatus mentis status consequutus est, tanquam vmbra corpus. Neq; tamen omnino quietũ esse & ab omni molestia abesse Scepticum existimamus, sed externorum quorundam impulsu inquietari dicimus. Nam algere nonnunquam eum, & sitire, & huiusmodi alia pati fatemur. Sed in his etiam vulgo hominum duo contingũt aduersa, & ex iis quæ patitur, & quòd ea quæ sibi accidere videt, mala esse natura iudicet. At verò Scepticus non addens illam opinationem, videlicet horum vnumquodque natura malum esse, hæc etiã

fert

fert moderantius quàm alij. Propterea igitur in illis quidem quæ ex opinatione pendet, ataraxiám dicimus finem esse Sceptici, at in coactis metriopathiam. Nonnulli autem non ignobilium Scepticorum his epochen quæ circa quæstiones versatur, addiderunt.

De modis vniuersalibus Scepseos. CAP 13.

QVONIAM autem perturbationis vacuitarem consequi diceba mus ex assensus retentione de omnibus, nobis deinceps dicẽdum est quomodo ad huiusmodi assensus retentionem perueniamus. Fit igitur hæc(vt generalius loquamur)per mutuam rerum inter se oppositionem. Opponimus autem apparẽtia appatentibus, aut intellectualia intellectualibus: aut permutatim. Apparentia quidem apparentibus, vt quum dicimus, Eadem turris procul intuẽti apparet rotunda, propè spectanti, quadrata. Intellectualia autem intellectualibus, vt quum ei qui ex cœlestium dispositione infert esse prouidentiam, opponimus, bonos quidem aduersa vti fortuna sæpenumero, malos autem prospera: & hinc inferimus non esse prouidentiã. Intellectualia autem apparẽtibus, vt Anaxagoras, huic propositioni, albã esse niuẽ, opponebat hanc, niuem, aquam esse cõcretam, aquam autem esse nigram: igitur & niuem nigrã esse. Alio autem sensu opponimus inter se aliquando præsentia præsentibus, vt quæ modò diximus: aliquando etiam præsentia præteritis aut futuris: vt quum argumẽtum nobis quis proponit quod soluere non possumus, dicimus ei, Quemadmodum antequã natus esset is qui author fuit sectæ cui te addixisti, nondum verba quæ ab ea manant, vera esse videbantur, & tamen quantũ ad naturam, erant in rerum subsistentia: ita etiam fieri potest vt contraria verba iis quæ mihi proponis, quantum ad naturam quidẽ, sint in rerum subsistentia, nondum tamen nobis apparentia sint: itaque nondum nos assentiri oportet propositioni quæ valida ratione niti nunc videtur. Vt autẽ hæ oppositiones exactius oculis nostris subiiciãtur, etiam modos proponam quibus epoche colligitur: nullã nec de numero, nec de facultate earũ affirmationem adhibẽs. fieri enim potest vt & infirmi sint, & plures etiã iis qui à nobis enumerabuntur.

De modis decem epoches. CAP. 14.

TRADI igitur solent ab antiquioribus Scepticis modi numero decem, quibus epoche colligi videtur: qui & λόγοι & τύποι, diuersis vocibus, sed eodem sensu, ab illis appellantur. sunt autem isti: Primus ex animalium varietate. Secundus, ex hominum differentia. Tertius, ex diuersè cõstitutis sensuum instrumentis. Quartus, ex vario habitu.

Quintus, ex poſitionibus & interuallis ac locis. Sextus, ex permiſtionibus. Septimus, ex quantitatibus & conſtitutionibus ſubiectorum. Octauus, ex eo quod ad aliquid refertur. Nonus, ex iis quæ frequenter aut rarò contingunt. Decimus, ex inſtitutis, cõſuetudinibus & legibus, fabuloſiſque perſuaſionibus, & dogmaticis opinionibus. Vtimur autẽ hoc ordine poſitiuè. Porrò tres ſunt modi qui hos omnes complectuntur. Primus, à iudicante: Secundus, ab eo quod iudicatur: Tertius, ab vtroque. Nam ſub hoc modo qui eſt à iudicante, comprehẽduntur primi quatuor. quia iudicans, aut animal eſt, aut homo, aut ſenſus, & in aliquo accidenti. Ad modum autem qui eſt ab eo quod iudicatur, referuntur ſeptimus & decimus. Modo autem qui ex vtroq; horũ compoſitus eſt, ſubiiciuntur quintus & ſextus & octauus & nonus. Rurſus autẽ hi tres referuntur ad modum qui eſt à relatis: adeò vt generaliſſimus quidẽ modus ſit hic à relatis: ſpeciales autẽ, alij tres: ſub quibus rurſum conſtituti ſint illi decem. Et hęc quidẽ de numero eorũ probabiliter dicimus. de facultate autẽ, quæ ſequũtur.

1. Primum modum eſſe dicebamus, ſecundum quem ex differentia animalium, non eædem ab iiſdẽm obiiciuntur phantaſiæ. hoc autem colligimus & ex diuerſis eorum generationibus, & differentia quæ eſt in corporum conſtitutionibus. Circa generationes igitur hæc: quoniam ex animalibus alia abſque coitu naſcuntur, alia ex coitu. Et eorum quæ abſque coitu naſcuntur, alia ex igne eduntur, vt zoophyta quæ in caminis videmus: alia ex aqua corrupta, vt culices: alia ex vino vappa facto, vt ſcnipes: alia ex terra: alia ex limo, vt ranę: alia ex luto, vt vermes: alia ex aſinis, vt ſcarabei: alia ex oleribus, vt erucæ: alia ex fructibus, vt qui in caprifico naſcũtur vermiculi pſenes appellati: alia ex animalibus putrefactis, vt apes ex tauris, & veſpę ex equis. Eorum autem quæ ex coitu gignuntur, alia ex eiuſdem generis animalibus, vt bona pars: alia ex animalibus diſparis generis, vt aſini. Rurſus generaliter ex animantibus alia viua eduntur, vt homines: alia ex ouo proueniunt, vt aues: alia carne informi prædita generantur, vt vrſi. Non dubium eſt igitur, diſſimilitudines & differentias quæ in generationibus ſunt, magnas efficere antipathias, vt quæ inde diuerſum inter ſe temperamentum & incohęrentiam ac repugnantiã accipiant. Sed & differentia præcipuarũ corporis partium, earumq; potiſſimùm quæ à natura ad diiudicandum & ſentiendum datæ ſunt, maximam poteſt excitare phantaſiarum diſcordiam, pro animalium varietate. Exempli gratia, icterici pallida eſſe dicunt quæ nobis alba viden-

videntur: & qui hypoſphagma habent, ſanguinea. Quoniã igitur animalium etiam alia pallidos habẽt oculos, alia ſanguinis colorem referentes, alia albicantes, alia alium colorem habentes: non ſine cauſa diuerſo modo colores percipiũt. Quinetiam nos ſi diutius defixos habuerimus in Solem oculos, deinde in librum eos demittamus, aureæ nobis literæ videntur eſſe, & in orbem circumagi. Quandoquidem igitur aliqua etiam animantia fulgorem quendam in oculis habent, & lumen tenue ac verſatile ex eis emittunt, adeò vt etiã noctu cernant: meritò exiſtimemus nõ ſimilia nobis & illis externa ſub ſenſum cadere. Iam verò & præſtigiatores lucernas ærugine & ſepiæ atramento vngẽtes, faciunt vt qui adſunt, modò æris colorem habere, modò nigri eſſe videantur, propter paruã eius quod admiſtum eſt, inſperſionem. multo certè magis conſentaneum eſt, quum diuerſi humores animalium viſui commiſti ſint, diuerſas ſubiectorum phantaſias ipſis fieri. Quinetiam, quum oculum fricuerimus, oblongæ & anguſtæ apparent formæ & figuræ, & magnitudines eorum quæ ſub oculos cadunt. Eſt igitur conſentaneum, quæcunque animalia obliquam habent pupillam & oblongam, vt capræ, feles, & huiuſmodi, diuerſam de ſubiectis phantaſiam concipere, & nõ eandem quam ea quæ rotundam pupillam habent. Sed & ſpeculum prout vel hoc vel illo modo factum fuerit, aliquando minora nobis oſtendit quæ extrinſecus ſubiecta ſunt, vt ſi ſit concauum: aliquando oblonga & anguſta, vt ſi curuum fuerit. Sunt & ſpecula quæ caput eius qui ſe in illis intuetur, deorſum eſſe oſtendunt, pedes autem ſurſum. Quoniam igitur & vaſorum quæ circa viſum ſunt, alia ſunt adeò repanda vt extuberantia propendeant, alia magis caua ſunt, alia etiam in plano iacent: conſentaneum eſt, propter hoc variari etiam phantaſias, & neq; æqualia magnitudinibus, neque ſimilia formis videre eadem, canes, piſces, leones, homines, locuſtas, ſed pro ea impreſſione cuiuſq; quã facit viſus excipiẽs id quod apparet. Eadem eſt & in aliis ſenſibus ratio. nam quomodo dicantur ſimiliter affici in contactu oſtracoderma & ſarcophana & ſpinis hirſuta & pennata & ſquamoſa: aut quomodo ſimilia recipere auditu, animal quod habeat anguſtiſſimũ porum auditorium, & quod ipſum habeat latiſſimum? aut cui piloſę ſint aures, aut cui glabræ cõtrà eæ ſint? quum etiam ipſi aliter afficiamur auditu quum ſemiobſtrictas aures habemus, aliter quum ita illis vtimur vt à natura habemus. Quinetiam odoratus diuerſus eſſe debet pro animalium varietate. nam ſi nos aliter quidem mouemur frige-

facti, & pituita in nobis abundante, aliter si quæ circa caput nostrum sunt partes, sanguinis abundantiam acceperint (adeò vt ea quæ aliis suaueolentia esse videntur, auersemur, & iis quasi percuti nos existimemus:) quandoquidem animantium alia humida sunt natura & pituitosa, aliis sanguis inest multus, alia præualentem & abundantem habent flauam aut atram bilem: mirum certè nī eorum singulis diuersa apparēt ea quæ sub odoratum cadunt. Itidem quod ad gustum attinet: quum alia asperam & siccam habeāt linguam, alia valde humidam: (siquidem & nos quoque, dum febricitamus, aridiorem linguā habentes, terrea & mali succi atque amara ea quę nobis apponuntur, existimamus. hoc autem nobis accidit ob diuersam humorum qui in nobis esse dicuntur, præualētiam) quandoquidem animalia quoque diuersum inter se habent gustatus instrumentum, & diuersis humoribus abundant: hinc fit vt etiam in gustu diuersas subiectorum phantasias accipiant. Quemadmodum enim idē cibus concoctus, aliquando fit vena, interdum arteria, interdum os, nonnunquam neruus, & vnumquodque aliorū: quippe qui pro diuersitate partium quę ipsum recipiunt, diuersam facultatem proferat: Et vt aqua vna & vnius generis in arbores infusa & quasi digesta, aliquando fit cortex, aliquando ramus, aliquando fructus: iam verò & ficus, & malum punicum, & quiuis alius ex cæteris fructibus. Quemadmodum item musicorum flatus vnus & idē in tibiam inspiratus, modò acutus fit, modò grauis: & manus eodem pacto lyræ impressa, nonnunquam grauem sonum, nonnunqnam acutum reddit: Ita non mirum est ea etiam quæ extrinsecus subiecta sunt, in diuersam contemplationem venire pro diuersa constitutione animalium quibus substantiæ accidunt. Hoc autem euidentius est perspicere ex iis quæ appetunt & quæ fugiunt animalia. Exempli gratia, Vnguentum hominibus gratissimum videtur, at scarabeis & apibus intolerabile. Et oleum quidē est hominibus vtile, at vespas & apes interficit, si illis irroretur. Itidem marina aqua hominibus quidem in potu est ingrata & venenata, at piscibus suauissimus est eius potus. Sues præterea lubentius in lutum se immergunt graueolētissimum, quàm in aquam puram & limpidam. Insuper & animaliū alia vescuntur herbis, alia frutices depascuntur, alia in syluis viuunt, alia semen edunt, alia sunt carniuora, aliis cibus est lac: deinde alia putrefacto gaudent cibo, alia recenti: alia crudo, alia à coquis apparato. denique quæcunque vni sunt iucunda, alteri sunt iniucunda & periculosa ac mortifera. Exemplo esse potest cicuta, quæ coturni-

ces pinguefacit, ſicuti hyoſcyamus ſues: quæ ſalamandras etiã libenter edunt, quemadmodum & cerui venenata animalia, & hirundines cantharidas. Quinetiam formicæ & ſcnipes hominibus quidem dolores & tormina afferunt, ſi deuorẽtur: at verò vrſus ſiquo morbo laborare cœperit, his auidiſſimè veſcens, corroboratur. Vipera, ſi vel vnicus fagi eam attigerit ramus, vertigine opprimitur: quemadmodum & veſpertilio, ſi platani tactus fuerit folio. Fugit præterea arietem elephas, gallum gallinaceum leo, & fragorẽ fabarum freſarum marina cete, tigris tympani ſonum. Quibus alia id genus addi poſſunt: ſed ne diutius quàm par eſt, in his immorari videamur: Si eadem aliis iucunda ſint, aliis iniucunda: iucundum autem & iniucundum in phantaſia verſatur: diuerſæ fiunt animalibus à ſubiectis phantaſiæ. Quòd ſi eædem res, diuerſæ apparent ob animalium varietatẽ: quale quidem contemplemur ipſum ſubiectum, dicere poterimus: de eo autem, quale ſit natura, aſſenſum retinebimus. Neq; enim ipſi & noſtras & aliorum animalium phãtaſias diiudicare poterimus, quum & ipſi diſcrepantiæ pars ſimus, & propterea tales quibus opus ſit potius alio diiudicante, quàm qui id ipſi præſtare poſſimus. Sed nec ſine demonſtratione poſſumus noſtras phantaſias phãtaſiis animalium præferre, nec cum demonſtratione. Nam ad id vt demonſtrationem nõ eſſe probetur, fortaſſe, vt docebimus, adhibita ea quæ vocatur demonſtratio, aut nobis apparens erit, aut non apparens. & ſi quidem non apparens, ne cum certa quidem perſuaſione eam excipiemus: quòd ſi appareat nobis, quandoquidem quæritur de iis quæ animalibus apparentia ſunt, & demonſtratio nobis, qui ex animalium numero ſumus, apparens eſt: etiam de ipſa quæſtio èrit, vtrum vera ſit, quatenus eſt apparens. At verò abſurdum eſt conari cõfirmare quod quæritur per aliud de quo etiam quæſtio eſt. nam hoc modo eſſet eidem rei adhibenda fides & non adhibenda: adiungenda fides ei, quatenus vult demonſtrare: non adiungenda autem, quatenus demonſtrari neceſſe habet. Non reperiemus igitur demonſtrationem qua noſtras phantaſias phantaſiis animalium ratione carentium præferamus. Si ergo diuerſæ ſunt phantaſiæ pro diuerſitate animalium, quas diiudicare eſt impoſſibile: aſſenſum de extrinſecus ſubiectis ſuſtinere neceſſe eſt. Ex abundanti autem, ſuperioribus addemus irrationabilium quæ vocãtur animalium comparationem cum hominibus, in iis quidẽ certè quæ ad phantaſiam ſpectant. Poſtquam enim protulimus ſerias & validas rationes, Dogmaticis inflatis & immodicè

sua iactantibus, paulisper illudere non recusamus. Nostri igitur irrationabilium animalium multitudinem simpliciter solent cum homine conferre. sed quoniam nugates Dogmatici comparationē æqualem esse negant: nos vt ampliorem etiam quàm satis sit illudendi illis materiam habeamus, non vltra vnum animal progrediemur, canem, si libet: quo nullum vilius esse videtur animal. nam etiam ita comperiemus nihilo inferiora esse nobis ea de quibus nūc loquimur animalia, ad fidem de apparentibus obtinendam. Sensu ergo nos antecellere hoc animal, ore vno fatentur omnes Dogmatici. nam odoratu magis quàm nos percipit, per hunc feras quas non videt, indagans: & oculis eas celerius cernens quàm ipsi possimus. Sed & acuto aurium sensu prǽditus est. Itaque ad sermonem veniamus, qui intrinsecus & in animo situs est, aut enuntiatiuus. videamus igitur prius de intrinseco. hic certè secundum eos qui maximè nobis aduersantur nunc, dogmaticos Stoicos, in his videtur agitari, videlicet in eligendis iis quæ ad naturam nostram accommodata, & in fugiendis iis quæ aliena sunt: item in cognoscendis quæ ad hoc conferunt artibus, in percipiendis iis quæ ad propriam naturam pertinent virtutibus, quæ circa affectiones versantur. Canis ergo (quod vnum ex brutis in exemplum afferre libuit) eligit quæ sibi sunt cōmoda, & fugit quæ noxia: quæcunque esculenta sibi esse cognoscit, quærens & persequens, intentato autem flagello recedens. Sed & artem habet sibi commodorum comparatricem, nimirum venatoriam. Nec verò virtutis est expers. nam quum iustitia sit ea quæ vnicuique id quo dignus est, tribuit: canis familiaribus quidem & iis qui de ipso bene merentur, velut assentans, eosque custodiens, externos autē & qui ei iniuriam inferunt, vlciscens, iustitiæ expers non fuerit. Quòd si hanc habet, quū virtus vna ab aliis separari non possit, etiam cæteras habet virtutes, quas ipsi sapientes vulgus hominum habere negant. Quinetiam & magnanimum ipsum esse videmus in propulsandis iniuriis. Videmus & prudentem: vt etiam testatus est Homerus: qui Vlyssem omnibus domesticis ignotum inducit, à solo autem Argo agnitum: quum nec immutatione corporis ipsius hominis deceptus esset canis, nec à comprehensiua phantasia desciuisset, quam magis quàm homines habere ipsum apparuit. Secundum autem Chrysippum (qui maximè irrationalibus animalibus aduersatur) etiam illius tam celebratæ dialecticæ particeps est. ait enim eum hic vir tertij notitiam per multa anapodicta cōsequi, quum ad triuium venerit, & ex tribus viis quum

iam

iam duas indagauerit, per quas non transierit fera, tertiā ne indagans quidem, statim per eam magno impetu fertur. Perinde enim hoc valere ait vetus ille Philosophus, acsi si ratiocinaretur hoc modo, Aut hac, aut istac, aut illac transiit fera: neque autem hac, neque istac: ergo illac. Sed & morbi sui, quales sint, percipit, & leniendo dolori curā adhibet. Si quis enim illi palum impegerit, ad hunc extrahendū properat, pedem terræ adfricans, & dentium vtens ministerio. Quòd si illi fortè sit alicubi vlcus (quoniam sordida vlcera magna cum difficultate curantur, munda autem facilè) leniter tabum inde fluentem abstergit. Sed & Hippocratis præceptū pulcherrimè obseruat: quoniam enim pedis medicina, est eius quies: is si quod fortè vulnus in pede habuerit, hunc sursum attollit, & quātum potest, dat operam ne agitetur. Quum verò facessunt illi negotium humores incommodi, herba vescitur, cuius ope quicquid est incommodum illi, egerēs, valetudinem recuperat. Si igitur ostensum est, canem (quod vnum animal sermoni nostro exemplum suppeditauit) & quæ sibi commoda sunt, appetere, & quæ negotium exhibent, fugere, & arte sibi commodorum comparatrice præditum esse: talem etiā esse qui passiones suas percipere, & remedia quibus eas mitiget, excogitare possit: nec verò virtutis expertem esse, in qua sermonis intrinseci consistit perfectio, perfectus, quantum ad hunc spectat, canis iure dicatur. vnde mihi factum videtur vt nõnulli Philosophi se huius animalis cognomine commendauerint. De sermone autem enuntiatiuo in præsentia quidem disputare non est necesse. hunc enim etiā nonnulli Dogmatici respuerunt, vt virtutis adeptioni aduersantem: ideo & toto tempore quo instituendos se tradebant, silere solebant. Præterea, fingamus hominem aliquem esse mutum: nõ eum propterea quisquam irrationalem dicet. Verùm vt hæc quoque omittamus, primùm videmus hæc animalia de quibus loquimur, humanas proferre voces, vt picas & aliqua alia. Sed vt etiam hoc missum faciamus, etiamsi animalium irrationalium voces non intelligamus, non absurdum fuerit dicere ea inter se differere, sed nos nõ intelligere. nam quum Barbarorum audimus vocem, minimè eam intelligimus, sed vniformē nullaque varietate distinctam esse putamus. Quin etiam canes audimus aliam quidem edētes vocem quum aliquos persequuntur, aliā quum vlulant: & rursum aliam quum vapulant: sed & aliam quū cæuent. ac, vt semel absoluam, si quis hoc attentè considerauerit, magnū comperiet discrimen esse vocis non in hoc animali solùm, sed & in aliis,

prout diuersa contingunt. Itaque meritò his de causis, animalia quæ irrationalia appellãtur, sermonis enuntiatiui non expertia esse dicantur. Iam verò si & tam exactis prædita sunt sensibus quàm homines, & æquè pollēt sermone intrinseco ac illi, & (vt hoc ex abundanti addam) etiam enuntiatiuo: in iis certè quæ ex phantasia pendēt, nihilominus penes ea quàm penes nos fides esse poterit. Possim autem vnumquodque animalium oratione percurrens, eadem ostendere. nam & illud quis negauerit, & solertia præstare aues, & enuntiatiuo vti sermone: quippe quum non præsentia solùm, sed & futura norint, & hæc iis qui intelligere possunt, prænuntient, cum aliis modis ipsa significantes, tum etiam voce prædicentes? Sed hac comparatione vsus sum (vt etiam antea admonui) ex abundanti: quum, meo quidem iudicio, satis superque iam declarassem non posse nos phantasias nostras phantasiis animalium irrationabilium præferre. Quòd si ratione carentia animalia, in diiudicatione phantasiarum non minus fide digna sunt quàm nos: diuersæ autem sunt pro animalium varietate phantasiæ: quale mihi quoduis subiectum appareat, id ego dicere potero: quale autem natura sit, de eo quidem certè assensum retinere cogar. Et primus quidem epoches modus hic est.

2. Secundum autē esse dicebamus eum qui est ab hominum diuersitate. licet enim hoc demus, hominum potius quàm irrationalium animalium iudicio, vt certiori, standum esse: certè vel ex ea quæ inter nos est differentia, epochen induci videbimus. Quum enim ex duobus constare dicatur homo, animo & corpore, vtroq; horum alij ab aliis differimus. Corpore quidē, vt formis & ἰδίοις συγκρίσεσι, *id est, propriis temperamentis.* Forma enim differt corpus Scythæ ab Indi corpore. differentiam verò facit, vt aiunt, diuersa humorū præualentia. prout autem hi aut illi humores præualent, diuersæ fiunt & phantasiæ, quemadmodum & primum modum exponentes diximus: ideo & in appetendis vel fugiendis externis differentia magna inter ipsos est. Aliis enim gaudent Indi, aliis nostrates. ex eo autem quod diuersis gaudeant, manifestum est eos diuersas à subiectis phantasias capere. Differimus autem idiosyncrisiis, quum aliqui sint qui carnes bubulas facilius quàm saxatiles pisces concoquant: sint nonnulli qui ex Lesbij vini potu cholera statim corripiātur. Quin etiā fuisse aiunt anum quandam Atticam, quæ cicutæ triginta holcas sine damno sorberet. Lysis autem etiam succi papaueris quatuor holcas nulla cum molestia hauriebat. Et Demophon quidem qui Alexandro mensæ

structor

ſtructor erat, quum ad Solē ſtabat, aut in balneo erat, algebat: in vmbra autem caleſcebat. Athenagoras autem Argiuus nullum ex ſcorpionū & araneorum ictu dolorem ſentiebat. Quinetiam ij qui Pſylli vocantur, ne ſi à ſerpentibus quidem aut etiā aſpidibus mordeantur, læduntur. At Tintyritæ AEgyptiorum * crocodilorum. Sed & AEthiopes illi qui ex aduerſo Meroes habitant, Hydaſpis fluuij accolæ, ſcorpios & ſerpentes, & huius generis alia citra periculum comedunt. Fuit & Rufinus quidam apud Chalcidem, qui bibens elleborum, neque poſtea vomebat, neque vllo modo purgabatur, ſed vt conſuetum aliquem potum ſumebat & concoquebat. Chryſermus autem Erophilus ſiquādo piper ediſſet, cardiacus erat, etiam periculoſé. Et Soterichus chirurgus quidam, ſiquando ſiluri nidorem ſentiebat, cholera corripiebatur. Andron Argiuus adeò parum erat ſiticuloſus, vt vel peraridā Libyam iter faceret potu non indigens. Tiberius Cęſar in tenebris cernebat. Ariſtoteles autem cuiuſdā Thaſij meminit qui hominis imaginem perpetuò ſeipſum antecedere dicebat. Quum tanta igitur ſit diuerſitas inter ipſa hominū corpora (vt pauca è multis quæ apud Dogmaticos habētur, commemoraſſe con tenti ſimus) neceſſe eſt & animis ipſis inter ſe differre homines. Eſt enim corpus quędam animi imago, vt etiā phyſiognomonica doctrina docet. Magnæ autem vel potius infinitæ differentiæ quæ eſt inter hominum mentes, maximum hoc fuerit indicium, diſcrepātia eorum quæ Dogmatici cum de aliis rebus dicunt, tum verò de hoc, quæ appetere, quæ vitare oporteat. Quamobrem rectè etiam Poëtæ de his pronuntiarunt. nam Pindarus ait,

Hic velocis equi gaudet honoribus:
Ille inter thalami viuit opes iners:
Eſt quem pontigradæ nauis amor tenet. Poëta autem dicit,
Nam non vna trahit cunctos eademque voluptas.

Sed & tragœdia plena eſt huiuſmodi dictis: ex qua etiam hoc eſt,

Si pulchra cuncti ſeitaque eadem ducerent,
Contentioſa abeſſet altercatio. Et rurſum,
Qui ſit eadem vt res placeat his mortalibus,
Odio ſit illis? Quandoquidem igitur appetitio vel

declinatio in voluptate & in odio conſiſtit, voluptas autem & odium in ſenſu verſatur & phantaſia, quum eadem alij appetant, alij declinent, hinc conſentaneum eſt colligere, non eodē modo ipſos ab iiſdem affici. alioqui eadem pariter appeterent aut fugerent. Si autem

hæc variè afficiunt, pro varietate hominum, inducatur etiam in hoc epoche: quum quale vnumquodq; subiectum appareat, pro vnaquaque varietate, dicere fortasse liceat: quale autem sit suapte vi & natura, pronuntiare non possimus. Aut enim omnibus hominibus credemus, aut aliquibus tantùm. Iam si omnibus, & impossibilia aggrediemur, & inter se pugnantia admittemus. Sin autem aliquibus tantùm, dicant nobis quibus assentiri oporteat. Nam Platonicus Platoni assentiēdum esse dicet, Epicureus Epicuro, & alij itidem aliis. atq; ita nos ex confusa sua discrepātia rursum ad epochen adigent. Qui autē dicit maximò numero esse assentiendū, puerile quiddam affert, quum nullus possit homines omnes percurrere, & quid plurimis eorū placeat, discernere. quum fieri possit vt in gentibus nobis ignotis, quæ apud nos sint rara, pluribus insint: & quæ apud nos pluribus contingant, rara sint illic: vt, verbi gratia, multi sint illic qui ab araneis morsi, dolorem non sentiant, pauci qui sentiant. & in aliis idiosyncrisiis quas antea diximus, eadem erit ratio. Quamobrem & propter hominum diuersitatem necesse est induci epochen.

3. Quoniam autem sibi placentes Dogmatici se aliis hominibus in rebus iudicandis præferendos esse dicunt: quanuis eos rem absurdam postulare sciamus (nam ipsi controuersiæ pars sunt: ac, postquā seipsos præ aliis dignos ea re iudicauerint, si deinde iudicent de apparentibus: nimirum dum sibi iudicationem permittunt, ea apparentia de quibus iudicandum erat, abripiunt iam tanquam iudicata, etiā antequam iudicare cœperint.) veruntamen vt in nostra disputatione vnicum hominem exempli gratia in medium proferentes, illum videlicet sapientē quem somniant, ad epochen deueniamus: eum modum qui ordine tertius est, aggrediemur. Eum autē dicimus qui est à sensuum diuersitate. differre autem sensus inter se manifestum est. Verbi gratia, pictæ tabulæ visui quidem videntur aliquid prominens & aliquid retrusum habere: at non tactui. & mel linguæ videtur dulce esse in aliquibus, at verò oculis ingratum. Itaque dici non potest vtrum suaue sit purè & per se, an insuaue. Idē in vnguento vsuuenit: olfactum enim exhilarat, gustatui autem iniucundum est. Sic & euphorbium, quum oculis molestum sit, reliquis autem partibus corporis minimè: purè & simpliciter corporibus molestum sit néc ne, dicere nequaquam poterimus. Item & aqua pluuia oculis quidem vtilis est, arteriam autem & pulmonem exasperat, nō aliter quàm oleum, quanuis superficiem allæuet. Præterea torpedo marina extremitati-

bus quidē corporis apposita, torpere facit, at reliquo corpori apposita, dolorē nullum excitat. Itaque quale natura sit vnumquodque horum, dicere non poterimus: quale autem passim appareat, id verò à nobis dici possit. Plura huc afferre possemus: sed in his ne immoremur diutius quàm ratio instituti operis patitur, illud dicēdum: vnumquodque apparentium nobis sensibilium varium sub sensus cadere: vt malum, læue, odoratum, dulce, flauum. Incertum ergo vtrum has solas habeat qualitates: an potius vnicam tantùm qualitatem habeat, sed ob sensuum instrumenta, alio atque alio modo constituta, diuersas habere videatur. an contrà, plures quidē habeat qualitates quàm quæ nobis apparēt, sed earum aliquæ sub sensus nostros non cadant. Nam vnicam ipsum habere qualitatem, ex iis possit colligi quę antea diximus de cibo qui per corpora nostra digeritur, & aqua quæ in arbores diffunditur, & spiritu qui est in tibiis & tubis & id genus instrumētis. Potest enim fieri vt malū quoque vniforme quidem sit, ipsum tamen varium cōtemplemur, ob varietatem sensus instrumentorum circa quæ fit ipsius perceptio. Rursum fieri posse vt malum plures habeat qualitates quàm nobis appareant, sic colligimus. Imaginemur aliquem qui à natiuitate tactum quidē habeat & olfactum & gustū, auditu autem & visu careat: hic putabit omnino nihil esse quod visu, nihil quod auditu percipi possit, sed tres solas esse eas qualitates quas percipere potest. igitur fieri potest vt quum quinque tantùm sensibus præditi simus, ex qualitatibus quæ malò insunt, eas solas percipiamus, quarum perceptiuam facultatem habemus: interim tamen subiectæ sint aliæ quæ sub alia sensus instrumenta cadant, quæ quidē nos non habeamus: propterea neque percipiamus quæ eorum opera sint sensibilia. Sed natura (dicet aliquis) æqualiter metita est sensus ad sensibilia. quæ natura, quum tam confusa sit discrepantia apud Dogmaticos de ipsius essentia? nam qui hoc ipsum diiudicat, an natura sit, si quidem aliquis sit è vulgo imperito, eum fide dignū illi non censebunt: quòd si Philosophus sit, pars erit discrepantiæ, & ipse in iudicium vocabitur, non autem iudex erit. Porrò si nihil absurdū est in eo vt dicamus hasce omnes subesse malo qualitates quas percipere nobis videmur, & plures etiam his: aut contrà, ne eas quidem quæ sub sensus nostros cadunt: quale sit malum, incertum nobis erit, eademq; & in aliis sensibilibus ratio. Quū autē sensus externa nō comprehendant, ne intellectus quidē ea comprehendere potest. Itaque hac quoque ratione epoche de externis subiectis induci videbitur.

 Vt

4. Vt autem vnumquenq; ſenſum diſputatione noſtra percurrentes, aut à ſenſibus diſcedentes, ad epochen deuenire poſſimus, etiam quartum eius modum aſſumimus. Eſt autem is qui παρὰ τὰς περιστάσεις vocatur. quo nomine intelligimus τὰς διαθέσεις, *id eſt, vel habitus vel diſpoſitiones*. eius autem contemplationem conſiſtere dicimus in eo quod ſecundum naturam aut quod præter naturam eſt, in vigilia aut ſomno, in ætatibus, in motu aut quiete, in odio aut amore, in inedia aut ſaturitate, in eo ſi ebrij ſimus aut nō poti: item in prodiatheſibus, *id eſt, prædiſpoſitionibus vel præhabitudinibus*, in confidentia aut metu, in mœrore aut gaudio. Exempli gratia, Prout vel ſecundum naturam vel preter eam nos habemus, aliter atque aliter res ſub ſenſus noſtros cadunt. nam phrenitici & qui numine ſunt afflati, dæmonas audire ſibi videntur, nos autem minimé. Iidem ſe & odorem ſæpe percipere dicūt qui à ſtyrace aut thure, aut aliquo huiuſmodi emittatur, aliaq; complura: quum nihil tale ſenſu vſurpemus. Præterea, eadem aqua inflammatis partibus infuſa, feruida videtur eſſe, at nobis, tepida: Et eadem veſtis iis qui hypoſphagma habent, videtur eſſe ſanguinea, at mihi non: Et idem mel mihi dulce, at ictericis amarum. Quòd ſi quis dicat humorum quorundam admiſtionem in iis qui præter naturam ſe habent, elicere non conſentaneas phantaſias à ſubiectis, reſpondendum eſt: Quoniam etiā qui ſani ſunt, humores habent permiſtos, hi poſſunt facere vt externa ſubiecta, quæ talia ſunt natura qualia apparent præter naturam ſe habentibus, diuerſa appareant ſanis. Nam illis quidem humoribus attribuere facultatem mutandi ſubiecta, his autem nō, nugatorium eſt. Nam ſicut ſani quidem, ſecundum naturā ſanorum ſe habēt, præter naturam autem ægrotantium: ſic qui ægrotant, præter naturam quidem ſe habent ſanorum, ſecundum naturam autem ægrotantium. quare etiam illis fides adhibenda eſt in eo ad quod ſe habent ſecundum naturam. Ex ſomno autem aut vigilia diuerſæ fiunt phantaſię, quia quas phantaſias in ſomnis concipimus, nō eaſdem vigilantes: nec rurſum quas vigilantes, eaſdē in ſomnis. itaq; exiſtentia earum fit non ſimpliciter, ſed ad aliquid, ad ſomnum videlicet aut ad vigiliam. Meritò igitur ea in ſomnis videmus quæ, dum vigilamus, inexiſtentia ſunt: quum alioqui per ſe nequaquam ſint inexiſtentia: exiſtunt enim in ſomnis. quemadmodū & ea quæ exiſtunt dum vigilamus, exiſtere dicuntur, etiamſi nō exiſtant in ſomnis. Ex ætatibus autem: quoniam idem aër ſenibus quidem frigidus eſſe videtur, aliis qui in ætatis flore ſunt, bene temperatus. & idem cibus,

ſenibus

senibus quidem, tenuis videtur, at iis qui florent ætate, crassus. Eodē modo & vox eadem, aliis quidem depressa esse videtur, aliis autem alta. Sic verò & ad appetendas aut fugiēdas res impelluntur qui ætatibus inter se differunt. Verbi gratia, Pueris sphæra & trochus in pretio sunt: at ij qui ætatem virilem attigerunt, alia his præferunt: rursus alia senes. Ex quibus colligitur, diuersas elici phantasias ab iisdem subiectis, ob diuersas ætates. Ex motu autem aut quiete dissimiles videntur res: nam quæ stantes videmus immota, ea prętérnauigantes moueri putamus. Ex amore autē vel odio: quia carnes suillas nonnulli mirum in modum auersantur, quum alij lubentissimè iis vescantur. Multi etiam amicas pulchras habentes, pulcherrimas ipsas esse autumāt. Ex fame autem aut saturitate: quia eundem cibum famelici suauem iudicant: saturi, insuauem. Ex eo autem si quis sit ebrius aut non potus: quia quæ non poti turpia esse existimamus, ea nobis madidis minimè turpia videntur. Ex præhabitudinibus autem: quia idem vinum iis quidem qui palmulas aut caricas paulo antè esitauerint, acidum esse videtur: contrà, iis qui nuces aut cicer, suaue. Item balnei parastas eos quidē qui ingrediuntur, calefacit: at eos qui egrediuntur, frigefacit, si in ipsa commorentur. Ex confidentia autē aut metu: quia eadem res meticuloso quidem timenda & horrenda videtur: audaciori autem, minimè. Ex mœrore autem aut gaudio: quia res eædē mœrore affectis sunt molestæ, lętis verò iucundæ. Quum igitur tanta sit inæqualitas & discrepantia etiam in habitibus, & quū homines modò in his, modò in illis habitibus sint constituti: quale quidem vnumquodq; subiectum cuique videatur, facilè, opinor, fuerit dicere: sed quale sit pronuntiare, id verò non item. indiiudicabilis enim est discrepantia: quum qui eam diiudicat, aut in aliquo versetur illorum quos diximus habituum, aut in nullo prorsus. Sed dicere eū in nullo esse habitu, nimirum eum neque valere neque ægrotare, neque moueri neque quiescere, nec in vlla esse ętate, & à reliquis etiam habitibus vacuum esse: prorsus absurdum est. quòd si in aliquo habitu cōstitutus diiudicabit phātasias, pars ipse erit discordiæ. Præterea non erit sincerus externorū subiectorum iudex, quòd inquinatus sit habitibus in quibus versatur. nam neque qui vigilat, dormientium phantasias cū vigilantium phantasiis cōferre potest, nec sanus ægrotantium & sanorum phātasias inter se comparare. Nam præsentibus & mouentibus nos ad præsens assentimur potius quàm non præsentibus. Alio etiā modo indiiudicabilis est talium phantasiarum discre-

pantia. nam qui phantasiam phantasiæ præfert, & habitum habitui, aut sine diiudicatione & sine demōstratione hoc facit, aut diiudicans & demonstrans. sed neque sine his: nam fide carebit. neque cum his: nam si diiudicabit phantasias, omnino diiudicabit criterio, *id est, iudicandi instrumento.* at hoc criteriū aut verum esse dicet, aut falsum. sed si quidem falsum, ipsum fide carebit. sin autem verum esse hoc dicet, aut absque demonstratione dicet verum esse criterium, aut cum demonstratione. & si quidem absque demonstratione, fide carebit: si autem cum demonstratione, omnino oportebit ipsam quoque demonstrationem veram esse, alioqui fidem nō obtinebit. Veram igitur esse dicet demonstrationem quæ in criterij confirmationem adhibebitur, vtrum ea à se diiudicata, an nō diiudicata? nam si non diiudicauerit, fide carebit. sin diiudicauerit, nimirū criterio se diiudicasse dicet: cuius criterij nos demonstrationem quæremus: & ipsius demonstrationis rursus criterium. eget enim semper etiam demōnstratio criterio, vt confirmetur: ipsum quoque criterium demonstratione, vt verum esse ostendatur. ita vt neq; demonstratio vera esse possit, nisi præcedat verum criterium: neque criterium verum, nisi fides prius demonstrationi facta fuerit. & ita incidūt in modum diallelum criteriū & demonstratio, in qua reperientur fide carere ambo. vtraq; enim itidem fide carent, donec mutuas alterum alteri ad confirmationem tradiderit operas. Si ergo nec sine demonstratione & criterio, neque cum his potest phantasiā phantasiæ præferre, indiiudicabiles erunt quas varij habitus efficiunt phātasiæ. Itaque infertur hoc etiam modo assensus retentio de natura externorum subiectorum.

5. Quintus modus est ex positionibus & interuallis & locis. nam ex vnoquoque horum eædem res, diuersæ apparent. vt idem porticus ab altero quidem ingressu intuenti videtur in acutum desinere: à media autē parte spectanti, vndique æqualis. & idem nauigium, procul quidem intuentibus, paruum videtur esse & stare: propè autem, magnū esse & moueri. & eadē turris procul quidē videtur rotunda, propè autē, quadrata. Hæc quidē ex interuallis. Ex locis autē: quia lucernę lumen, in Sole quidem obscurum apparet, in tenebris autem splendidum. & idem remus intra mare quidem, fractus, extra autem, rectus. & ouum, in aue quidem, molle: in aëre autem, durum. & lyncurium, in lynce quidem, humidum: in aëre autem durum. & coraliū in mari quidem molle, in aëre autem durum. & vox diuersa videtur in tuba, diuersa in tibiis, diuersa rursus in aëre simpliciter. Ex positioni-

tionibus autem: quia eadem imago, resupinata quidem, læuis esse: si autem aliquantum propendeat, aliquid prominens & aliquid retrusum habere videtur. sed & columbarum ceruices, prout diuersè inflectuntur, diuersum habere videtur colorem. Quoniam igitur quæcunque videntur, ea in aliquo contemplamur, atque ab aliquo interuallo, & in aliqua positione: quorum vnumquodque magnam facit in phantasiis varietatem, vt docuimus: cogemur & propter hos modos ad epochen deuenire. nam qui harum phantasiarum volet alias aliis præferre, impossibilia aggredietur. nam si simpliciter & sine demonstratione de iis pronuntiauerit, fidem non impetrabit: demonstrationem autē adhibere volens, si quidem falsam dicet esse demonstrationem, seipsum euertet: at si verā esse dicat, cogetur afferre demonstrationem qua ostendat illam veram esse: huius rursum aliam: quia & hanc veram esse oportet: & vsque in infinitū. Impossibile autem erit infinitas demonstrationes proferre. Quare ne cum demonstratione quidem phantasiā phantasiæ præferre poterit. Quòd si nec cum demonstratione, nec sine ea poterit quisquam supradictas phantasias diiudicare, infertur hinc epoche: quum, quale appareat vnumquodque secundum hanc positionē, aut hoc interuallum, aut in hoc, dicere quidem possimus: quale autem secundum naturam sit, ob ea quæ antè dicta fuerunt, pronuntiare nequeamus.

6. Sextus autem modus est ex admistionibus. ex quo inferimus, quum nullum subiectum sub sensus nostros ipsum per se cadat, sed cū aliquo: qualis quidem sit permistio, & ex externo, & ex eo quocum cernitur, posse nos fortasse dicere: quale autem sit externum subiectū purè & sincerè, nequaquam dicere posse. Nihil autem eorum quæ sunt extrinsecus, per se sub sensum cadere, sed omnino cum aliquo, (ex quo fit vt diuersum contemplantibus appareat) manifestum esse arbitror. Nam color noster, diuersus cernitur in calido aëre, ab eo qui in frigido cernitur. nec dicere possimus qualis sit natura color noster, sed qualem eum cum vtrolibet horum contemplemur. Itidē & eadem vox, alia apparet cum tenui aëre, alia cum crasso. Et aromata in balneo ac Sole odore suo vehementius pungunt quàm in aëre frigido. Et corpus, quum ipsum ambit aqua, leue est: quū aër, graue. Vt autem etiam externam admistionem omittamus, oculi nostri in seipsis habent & tunicas & humiditates. visibilia igitur quia absque his cernere non possumus, non percipientur exactè & purè. cum admistione enim percipimus. ac propterea ictericis quidem omnia pal-

lida videntur eſſe,hypoſphagma autem habẽtibus,ſanguinea. Item, quia eadem vox, alia apparet in patentibus locis & planis, alia in anguſtis & tortuoſis: & alia in puro aëre, alia in turbido: veriſimile eſt nos purè vocem non percipere. nam aures obliqua habent foramina atque anguſta,& vaporoſis exhalationibus quæ à locis capiti viciniſ ferri dicuntur, turbidæ ſunt & inquinatæ. Quinetiam in naribus & in locis guſtatus ſi materiæ ſubiectæ ſint, cum illis percipimus guſtabilia & odorabilia, non autem puré. Itaque propter admiſtiones, qualia exactè ſint externa ſubiecta, ſenſus non percipiunt. Sed nec ipſe intellectus percipit, ob hanc potiſſimum cauſam,quòd ſenſus duces ipſius errent: verùm & ob eam fortaſſe, quòd ipſe cum iis quæ à ſenſibus nunciantur,commiſtionem aliquam propriam faciat. * ſiue circa cerebrum, ſiue circa cor,ſiue circa aliquam aliam animalis partem hoc ſtatuere quis velit. Itaque ex hoc etiam modo videmus nos de natura externorum ſubiectorum nihil habentes quod dicamus, aſſenſum retinere cogi.

7. Septimum eſſe dicebamus modũ ex quantitatibus & conſtitutionibus ſubiectorum. *σκευασίας, id eſt, conſtitutiones,* appellantes generaliter *τὰς συνθέσεις, id eſt, compoſitiones.* Nos autem per hunc quoque modum aſſenſum retinere de natura rerum cogi manifeſtũ eſt. Verbi gratia: ramenta cornu caprini apparent quidem alba, ſimpliciter & ſine compoſitione ea intuentibus: compoſita autem in ipſius cornu eſſentia,nigra apparẽt cernentibus. Itidem & argẽti ramenta ſi ſeorſum fuerint, nigra apparent:at cum toto, tanquam alba ſub ſenſum noſtrum cadunt. Quin & Tænarei lapidis partes quidẽ albæ videntur, quum læuigatæ fuerint:at cum toto,flauæ. Similiter & arenæ ſeparatæ aliæ ab aliis,aſperæ apparent:at in aceruum compoſitæ,molles à ſenſu percipiuntur. Præterea elleborum, ſi tenue & lanuginoſum quis ipſum edat,ſuffocationẽ affert:ſin autem craſſum, nõ item. Inſuper & vinũ ſi moderatè bibatur, corroborat nos:ſi largius quàm par eſt,ſumatur,corpus frangit & diſſoluit. Sic etiam cibus pro quantitate diuerſam facultatem profert. ſæpe enim largior cibus ſumptus corpus purgat per cruditates & cholericas paſſiones. Poterimus igitur in his quoq; dicere qualis ſit ipſius cornu pars illa tenuis, & quale cornu quod ex multis tenuibus particulis compoſitum eſt: quales argenti minutæ particulæ, & quale argentum ex multis minutis particulis conflatum: qualis itẽ minutiſſimus Tænareus lapis, rurſus qualis qui ex multis minutis conflatus. & in arenis & in elleboro & in vino

&in

& in cibo, relationem ad aliquid, at verò naturam rerum per ſe non item:propter phantaſiarum diſcrepantiam,quæ ex compoſitionibus contingit. Generaliter enim videntur, etiam vtilia, noxia eſſe quantitatem mediocrem in earum vſu excedētibus:contrà quæ noxia eſſe putantur,ſi perquam exigua menſura ſumantur,minimè nocere. confirmat autem quod dico illud maximè quod in medicis facultatibus obſeruatur. in quibus ſi exactè commiſceātur ſimplicia medicamenta,vtilem reddunt compoſitionem : ſi tantillo plus vel minus per incuriam poſitum fuerit,perniciosiſſima fit, & ſæpe etiam toxicum:nedum ſit vtilis. Sic ergo quantitatum & compoſitionum ratio, externorum ſubiectorum exiſtentiam confundit. ideoque non abs re hic etiam modus ad epôchen nos redigat, vt qui purè de natura externi cuiuſque ſubiecti pronuntiare non valeamus.

8. Octauus eſt modus,Ex relatione ad aliquid. ſecundum quē colligimus,nos,quum omnia ſint ad aliquid,de hoc,quænam ſint per ſe & ſecundum naturam, aſſenſum retenturos. Illud autem ſciendum, nos hîc,ſicuti & aliis in locis,voce EST abuti pro eo quod eſt apparet.quū perinde ſit ac ſi diceremus, omnia ad aliquid apparere. Hoc autem bifariam dicitur, Vno quidem modo, vt ad iudicans. nam externum ſubiectum & quod diiudicatur, ad iudicans apparet. Altero autem modo,ad ea quæ ſimul in cōtemplationem veniunt:vt dextrū ad ſiniſtrum. Omnia autem eſſe ad aliquid, ratiocinati ſumus & antea. vt,ad iudicans:quia ad hoc animal & hunc hominem & hunc ſenſum omnia apparent,& ad talem habitum. Ad ea autem quę ſimul in contemplationē veniunt, quia ad hanc commiſtionem, & hunc modum,& compoſitionem hanc, & quantitatem,& poſitionem,vnumquodq; apparet. Sed & aliunde colligi poteſt,omnia eſſe ad aliquid, hoc pacto: Vtrum quæ ſunt ſecundum differentiam, diuerſa ſunt ab illis quæ ſunt ad aliquid, an non? ſi diuerſa non ſint, ergo & ipſa ſunt ad aliquid. ſi autem differunt:quoniam omne quod differt,ad aliquid eſt(dicitur enim eius reſpectu à quo differt) ad aliquid ſunt ea quę ſecundum differentiam ſunt. Iam verò & eorum quæ eſſe habent, alia quidem ſunt ſuprema genera, iuxta Dogmaticos, alia autem vltimæ ſpecies : alia verò & genera & ſpecies. omnia autem hæc ſunt ad aliquid. nihil ergo eſt quod non ſit ad aliquid. Præterea eorum quæ exiſtentia ſunt,alia ſunt manifeſta, alia occulta,vt ipſi aiunt. & ſignificantia quidem eſſe ea quæ apparent, ſignificari autem ab apparentibus incerta. aſpectum enim eſſe aiunt incertorum ea quæ apparēt.

quod autem significat & quod significatur, est ad aliquid. omnia igitur sunt ad aliquid. Ad hæc, eorum quæ esse habent, alia sunt similia, alia dissimilia: alia rursus æqualia, alia inæqualia. hæc autem sunt ad aliquid. omnia igitur sunt ad aliquid. Et is quoque qui dicit omnia non esse ad aliquid, cõfirmat omnia esse ad aliquid. nã & hoc ipsum, omnia esse ad aliquid, ad nos esse ostendit, & non generaliter, per ea quibus nobis aduersatur. Porrò quũ ita esse omnia ad aliquid, ostendamus, manifestum iam est, nos, quale sit vnumquodque natura sua & purè, non posse dicere, sed quale appareat in relatione ad aliquid. Ideo de rerum natura nos assensum sustinere, his consentaneum est.

9. De modo autem qui est ex crebrò aut rarò contingentibus (quẽ ordine nonum esse dicebamus) talia disserimus. Sol multo certè maiorem obstupefaciendi vim habet quàm stella cometa: sed quoniam Solem crebrò videmus, rarò autem stellam cometam, stella hæc ita nos attonitos reddit, vt ea portendi etiam aliquid à Diis putemus: at Sol non item. Quòd si imaginemur Solem rarò apparẽtem, rarò occidẽtem, &, vbi simul omnia illustrarit, deinde repentè omnibus rursus tenebras inducentem: reperiemus in hac re vnde valde obstupefiamus. Sed & terræmotus aliter turbat eos qui tum primùm ipsum experiũtur, aliter eos qui illi assuefacti fuerint. Quantũ verò quis obstupescit ad primum maris conspectum? Itidẽ corporis humani pulchritudo, quum cernitur primùm & repentè, magis nos commouet, quàm vbi à nobis cerni solita fuerit. Iam & quæ rara sunt, habentur in pretio: at ea inter quæ viuimus, & ea quæ sunt in medio posita, nequaquam. nam si aquam rarò reperiri imaginemur, quanto ea pretiosior esse nobis videatur omnibus quæ in pretio habemus? aut si imaginemur multum auri temere humi iacere proiectum perinde atque lapides, cui adeò pretiosum ipsum fore existimabimus, aut à quo tam sollicitè inclusum & asseruatũ iri? Quum ergo res eædẽ ob frequentiã aut raritatem, aliquando admiratione dignę aut pretiosæ, aliquando verò non tales esse putentur: hinc colligimus, nos, quale appareat horum vnumquodque, prout frequenter aut rarò contigẽrit, fortasse dicturos: nudè autem & simpliciter, quale sit vnumquodque externorum subiectorum, minimè. Itaque propter hunc etiam modum de illis assensum retinemus.

10. Decimus verò modus ad moralia maximè spectat: quippe qui sit ex institutis & cõsuetudinibus & legibus, fabulosisque persuasionibus ac dogmaticis opinionibus. Institutum igitur, est electio vitę

aut

aut alicuius rei quæ apud vnũ aut apud multos fit: vt apud Diogenem aut Lacedæmonios. Lex autem est pactum scriptum apud reipublicę moderatores, quod qui trãsgreditur, punitur. ἔθος autem, vel συνήθεια, (nihil enim differunt) *.i. consuetudo*, est communi multorum assensu rei alicuius comprobatio, quam qui transgreditur, non protinus etiã punitur. Verbi gratiã, Lex est, non committendum esse adulterium. Consuetudo autem nobis, non congredi cum vxore in propatulo. Fabulosa autem persuasio, est fictarum rerum & quæ nunquam fuerunt, approbatio. qualia sunt cum alia, tum eæ quæ de Saturno narrantur fabulæ. hæ enim apud multos fidem impetrant. Dogmatica autem opinio, est approbatio alicuius rei quę consideratione aut aliqua demonstratione cõfirmari videtur. Verbi gratia, atoma esse omnium rerum elementa, aut similaribus partibus constantia, minima, aut aliqua alia. Opponimus autem horum vnumquodque, interdũ quidẽ sibiipsi, interdum aliorum vnicuique. Exempli gratia, consuetudinem quidem consuetudini, sic, Aliqui AEthiopum notis quibusdam infantes compungunt: nos autem minimè. Et Persæ veste floribus tincta & talari vti, decorum esse existimant, nos autem indecorũ. Item, Indi quidem cum vxoribus in propatulo congrediuntur, alij autem plurimi hoc turpe esse existimant. Legem autem legi sic opponimus, Apud Romanos quidem qui paternis bonis renunciat, non persoluit patris nomina: apud Rhodios autem persoluere cogitur. Et in Tauris Scythiæ lex erat, peregrinos Artemidi immolari: apud nos autẽ hominem in templo interfici vetitũ est. Institutũ autem instituto, quũ Diogenis institutũ opponimus Aristippi instituto, aut Lacedæmoniorum institutũ, Italorum instituto. Fabulosam autẽ persuasionẽ persuasioni fabulosæ, quũ dicimus, interdum Iouẽ fabulosè appellari patrem hominumq; Deumque: interdũ verò Oceanum, vt,

Oceanum diuûm patrem, matrem quoque Tethyn.

Dogmaticas autem opiniones inter se opponimus, quum dicimus, Alios vnũ esse elementum pronuntiare, alios infinita. &, Alios mortalem esse animam, alios immortalem. &, Alios quidem prouidentia Deorum gubernari quæ apud nos sunt, alios autem prouidentia nulla regi, asserere. Consuetudinem autem aliis opponimus, vt legi, quum dicimus apud Persas quidem consuetudinem esse vti Venere mascula, apud Romanos autem lege prohibitũ esse eius vsum. Item apud nos adulterium vetitum esse, apud Massagetas autem consuetudine illud receptum esse, tanquam rem indifferentem, vt Eudoxus

Cnidius in primo libro τῆς περιόδου commemorat. Et apud nos vetitũ esse cũ matre concumbere, Persarum autẽ moribus vel maximè permitti hoc coniugium. Et apud AEgyptios cum sororibus cõtrahunt nuptias: quod apud nos lege interdictum est. Instituto autem consuetudo opponitur, vt quum vix quisquam reperiatur qui nõ secedat congressurus cum vxore, Crates tamen cum Hipparchia in publico congrediatur. Et Diogenes quidem exomidem quocunque iret, gestabat: nos autem cõsuetum nobis vestimentum solemus circumferre. Fabulosæ autem persuasioni, vt quod dicunt fabulæ, comedisse Saturnum suos liberos: quum mos sit apud nos liberorum curam gerere. Et nos quidem consueuimus venerari Deos, vt bonos nullisq; malis obnoxios: at vulnerari & inuidere alij aliis inducuntur à Poëtis. Dogmaticæ autem opinioni: quũ nobis quidem mos sit à Diis bona petere, Epicurus autem Deũ curam nostri gerere neget. Item, quum Aristippus rem indifferentem esse existimet vestem muliebrẽ gestare, nos autem illud turpe esse existimemus. Institutum autem opponimus legi quidem, sic; Quum lex sit, non licere pulsare hominem liberum & nobilem, bonis parẽtibus prognatum: Pancratiastæ alij alios pulsant, propter vitę suæ institutum. Item, quum vetitum sit homicidium, gladiatores alij alios interficiunt ob eandem causam. Fabulosam autem persuasionẽ instituto opponimus, quum dicimus, Fabulis quidẽ proditum esse, Herculem apud Omphalen lanas carpsisse, atq; iugum seruile tulisse: & prorsus effœminati hominis opera egisse. at institutũ vitæ Herculis generosum fuisse. Dogmaticæ autem opinioni, quum athletæ quidẽ gloriæ, vt rei bonæ, studio adducti, propterea laboriosum vitæ institutum deligant: multorum autem Philosophorum dogma sit, in malis habendam esse gloriã. Legem verò fabulosæ persuasioni opponimus, Quum Poëtæ inducant Deos adulteria committẽtes & præposteram venerem exercentes: lex autem apud nos hæc facere prohibeat. Dogmaticæ autem opinioni, quum Chrysippus indifferens esse dicat cum matre aut sorore congredi: lex autem hæc vetet. Fabulosam verò persuasionem dogmaticæ opinioni opponimus, quum dicunt Poëtæ Iouem descendentem, cum mortalibus mulieribus cõgredi: apud Dogmaticos autem hoc esse impossibile existimetur. Item dicat Poëta, Iouem præ luctu & mœrore quem ob Sarpedonem conceperat, sanguineas in terram guttas fudisse: at dogma Philosophorum sit, nullis passionibus obnoxium esse Deum. Item, quum fabulam de Hippocentauris

tollunt,

tollunt,Hippocentaurũ afferentes in exemplum inexiſtẽtię. Multa quidem certè alia in vnaquaque ſupradictarum oppoſitionum poterant exempla ſumi:ſed,vt in compẽdiario tractatu, hęc ſatis eſſe poterunt. Porrò quum tanta rerum diſcrepantia etiam per hunc modũ oſtendatur:quale quidẽ natura ſit ſubiectum, dicere non poterimus: ſed duntaxat quale videatur ad hoc inſtitutum,aut ad hanc legem,aut ad hunc morem, & aliorum vnumquodque. Itaque propter hunc quoque modum de natura externorum ſubiectorum retinere nos aſſenſum neceſſe fuerit. Sic ergo per decem hos modos ad aſſenſus retentionem redigimur.

De quinque modis. CAP. 15.

SCEPTICI autem ętate poſteriores hos quinque modos epoches tradunt. Primum,qui eſt à diffidentia. Secundum,qui in infinitum reiicit. Tertium,qui eſt à relatione ad aliquid. Quartum,hypotheticum. Quintum,diallelum. Et modus quidem à diffidentia,eſt, per quem de re propoſita comperimus diſcrepantiam indiiudicatam & in vita & apud Philoſophos fuiſſe: propter quam, quum nihil aut probare aut improbare poſſimus,ad epochen deuenimus. Is autem qui in infinitum delabitur,eſt in quo, id quod in confirmationem rei propoſitę affertur, altera confirmatione egere dicimus,& illud alia, & vſque in infinitũ: adeò vt quum non habeamus vnde aſtruere aliquid incipiamus,ſequatur epoche. A relatione ad aliquid,eſt huiuſmodi qualem antea deſcripſimus:in quo ad ipſum quidẽ diiudicans, atque ad ea quę ſimul in contemplationem veniunt, tale aut tale apparet ſubiectum:quale autem ſit natura, de eo aſſenſum retinemus. Hypotheticus autem,ſiue ex hypotheſi, *id eſt,ſuppoſitione*, quum Dogmatici videntes ſe in infinitum reiici,incipiunt ab aliquo quod non aſtruunt,ſed nudè & ſine demonſtratione per cõceſſionem accipere volunt. Diallelus autem modus *(q.d. alternatorius)* fit,quum id quo rem de qua quęritur, confirmare debemus, ipſum ab ea confirmari opus habet. & tum,quòd neutrum ad alterum aſtruendum poſſimus accipere,de vtroque aſſenſum retinemus. Omnem autem quęſtionem ad hos reduci modos poſſe,ita paucis oſtendemus. Quod propoſitum eſt,aut ſenſibile eſt aut intellectuale: vtrumuis ſit autem,de eo diffidentia eſt. alij enim ſola ſenſibilia dicunt eſſe vera, alij ſola intellectualia: alij quędã ſenſibilia,quędam intellectualia. Vtrum igitur diiudicabilem eſſe dicent diffidentiam,an indiiudicabilem? Si indiiudicabilem,nobis conceditur eſſe retinendũ aſſenſum: ſin diiu-

dicabilē, vnde diiudicabitur, quærimus. Verbi gratia, Quod eſt ſenſile (nam ab hoc incipiet noſtra diſputatio) vtrum à ſenſili an ab intellectuali diiudicabitur? ſi enim à ſenſili, quoniam de ſenſilibus quæritur, ipſum quoque altero ad confirmationem indigebit. quod quidē ſi etiam fuerit ſenſile, rurſus & ipſum alio confirmari oportebit: & hoc vſq; in infinitū. Quòd ſi ab intellectuali ſenſile diiudicari oportebit: quoniam & de intellectualibus controuerſia eſt, hoc quoque, quum intellectuale ſit, diiudicatione & cōfirmatione opus habebit. Vnde ergo confirmabitur? ſi quidem ab intellectuali, in infinitum incidet eodem pacto: ſin à ſenſili, quoniam ad confirmationem quidē ſenſilis aſſumptum eſt intellectuale, ad intellectualis autem confirmationem, ſenſile: inducitur modus qui vocatur *διάλληλος.q.d. alternatorius.* Si verò hæc vitans is qui nobiſcum diſputat, per cōceſſionem & citra demonſtrationem aliquid voluerit ſumere ad demonſtrationem ſequentium, hypotheticus modus ad demonſtrationem aſſumptus, implicitus eſt. nam ſi quis in iis quæ per conceſſionem ſumit & ſupponit, fidem meretur: nos quoque ſemper illis contraria per ſuppoſitionem ſumentes, fidem obtinebimus. & ſi quidem aliquid verum ſupponitur, is qui ſupponit, ipſum ſuſpectum reddit: quippe qui illud ſupponendo ſumat, non autem aſtruendo. ſin falſum, ruinoſum erit eorum quæ aſtruuntur, fundamentum. Prȩterea ſi huiuſmodi ſuppoſitio ad confirmationem aliquid valet, idipſum de quo quæritur, ſupponat, non aliud per quod aſtruat rem de qua quæritur. Quòd ſi abſurdum eſt ſupponere id de quo quæritur, abſurdum itidem erit ſupponere vniuerſale. Omnia autem ſenſilia, eſſe ad aliquid, patet. ſunt enim ad eos qui ſentiunt. Manifeſtum eſt igitur, quæcunq; propoſita nobis fuerit res ſenſilis, ad hos quinque modos ipſam reducere facile fore. Itidem & de intellectuali ratiocinamur. ſi enim indiiudicabilis de eo diſſidentia eſſe dicatur, concedetur nobis eſſe de eo retinendum aſſenſum. ſin diiudicabitur diſsidentia, ſi quidem per intellectuale, reiiciemur in infinitū. ſin per ſenſile, in modum qui dicitur διάλληλος. nam ſenſile rurſus controuerſum & quod per ſe diiudicari nequit, eò quod in infinitū progrediatur, intellectuali egebit: vt etiā intellectuale ſenſili. Et qui idcirco volet ex ſuppoſitione aliquid ſumere, rurſum ineptus erit. Quinetiam intellectuale eſt ad aliquid. dicitur enim ad intelligentē. &, ſi natura tale eſſet quale dicitur, non fuiſſet cōtrouerſum. Reduximus igitur etiā intellectuale ad hos quinq; modos. Quare omnino de re propoſita nos aſſēſum retinere

nere

nere neceſſe eſt. Et hi quidē ſunt quinque modi quos poſterior ætas tradidit: non quòd decem modos iam explicatos excluderet, ſed vt magis variè vnà cum illis temeritatem Dogmaticorum refelleret.

De duobus aliis modis. CAP. 16.

TRADVNT præterea duos alios epoches modos. quoniā enim quicquid comprehenditur, aut ex ſeipſo aut ex alio comprehēditur: dubitationem de rebus omnibus inducere vidētur. Ac primùm quidem nihil ex ſeipſo comprehendi, probat ea quæ inter Phyſicos fuit de ſenſilibus omnibus & intellectualibus cōtrouerſia: quæ certè indiiudicabilis eſt, quum nec ſenſili nec intellectuali criterio vti poſſimus: quia quicquid ſumpſerimus, fide carebit, vtpote controuerſum. Propterea autem ne ex alio quidem quicquam comprehendi fatentur. Si enim id ex quo aliquid comprehenditur, ſemper ex alio comprehendi oportebit, in modum diallelum aut eum qui eſt ad infinitū, ſe coniiciunt. Sin voluerit quiſpiam aliquid ſumere quaſi ex ſeipſo comprehenſum, ex quo aliquid aliud comprehendat: huic repugnat illud, Nihil ex ſeipſo comprehendi, propter ea quæ dicta ſunt. quod autem repugnans eſt, quomodo poſſit ex ſeipſo aut ex alio comprehendi, dubitamus: quum veritatis aut comprehēſionis non appareat criterium, ſigna autem etiam ſine demonſtratione euertantur, vt ex ſequentibus intelligemus. Hæc ſunt quæ de modis epoches in præſentia nobis dicenda putauimus.

Qui ſint modi quibus euertantur ætiologici. CAP. 17.

SICVT autem epoches modos tradimus, ſic etiam modos exponunt quidam, ſecundū quos in particularibus αἰτιολογίαις, *id eſt, cauſæ redditionibus*, dubitationem mouentes ſilentium imponimus Dogmaticis, quòd in his potiſſimum valde ſibi placeant. Oneſidemus ergo modos octo tradit, quibus exiſtimat ſe omnē dogmaticā ætiologiam, vt vitioſam, refellere. Horum primum eſſe dicit, ſecundum quem ætiologiæ genus quod in rebus non apparentibus verſatur, nō habet confeſſam ex apparentibus approbationem. Secundū, iuxta quem ſæpe quum magna ſit in varias partes inclinandi occaſio, adeò vt multis modis poſſit ratio rei de qua quæritur, afferri, vno tantùm modo nonnulli rationem afferunt. Tertium, ſecundum quem eorū quæ ordinatè fiunt, rationes reddunt quę nullū ordinem oſtendunt. Quartum, ſecundum quem accipientes apparētia vt fiunt, etiam non apparentia putant ſe vt fiant, comprehendiſſe: quum ea quæ non apparent, eodem fortaſſe modo efficiantur quo apparentia, fortaſſe etiā

non eodẽ, sed peculiari quodam modo. Quintum, iuxta quem, omnes propemodum secundum proprias elementorum suppositiones, non autem secundum communes & passim receptas disputandi vias rationes reddunt. Sextum, secundum quem sæpenumero quæ facilè deprehendi possunt, in suis suppositionibus sumunt, iis autem repugnãtia, quanuis æquè sint probabilia, prætermittunt. Septimum, secundum quẽ sæpe reddunt rationes quæ non modò apparentibus, sed etiam propriis ipsorum suppositionibus repugnent. Octauum, secundum quem quum sæpe æquè dubia sint ea quę apparere videntur atque ea de quibus quæstio est, sententiã suam de dubiis ex æquè dubiis astruunt. Ait autem fieri posse vt nonnulli in ætiologiis secundum alios quospiã modos ex his pendentes, aberrent. Sedenim ipsi etiam quinque epoches modi ad ætiologias fortasse sufficiant. Nam aut afferet aliquis rationẽ quæ consentiat cum omnibus Philosophię sectis, & cum scepsi & cum phænomenis, aut non. Verùm ita consentientem afferre haud possibile sit. nam & apparentia & incerta omnia cõtrouersa sunt. At si minimè cõsentiat, postulabitur ab eo huius rationis ratio. & si quidem apparentem apparentis, aut incertam incertæ afferat, in infinitum delabetur. sin permutato ordine ætiologias inter se implicet, in diallelum modum. Quòd si alicubi resistat, aut quantum ad iam dicta, dicet rationem consistere, atque ita inducet relationem ad aliquid, tollens quod secundum naturam est: aut si per suppositionem sumat aliquid, nos ei obstabimus. Poteſt igitur etiam per hæc Dogmaticorum in ætiologiis temeritas refelli.

De Scepticorum vocibus. CAP. 18.

QVONIAM autem vnoquoque horum & epoches modorum vtentes, voces quasdam scepticæ affectionis & passionis nostræ indices pronuntiamus, vt quum dicimus, οὐ μᾶλλον, *id est, Non magis*, οὐδὲν ὁριστέον, *Nihil definiendum*, & aliquot alias: consentaneum de iis deinceps disputare fuerit. Incipiamus autem ab hac, Non magis.

De voce Non magis. CAP. 19.

HANC ergo interdum quidem ita vt dixi, pronuntiamus, interdum autem sic, οὐδὲν μᾶλλον, *id est, nihilo magis*. Non enim, vt quidã existimant, hanc vocem Non magis, in specialibus sumimus quæstionibus, illam autẽ, Nihilo magis, in generalibus: sed indifferẽter vtramuis pronuntiamus: & nunc quoque vt de vna disputabimus. Est igitur vox hæc, imperfecta. vt enim quum dicimus διπλῆ, id perinde est ac si diceremus ἰσία διπλῆ, & quum dicimus πλατεῖαν *(plateam)* id tantundẽ valet

valet ac si diceremus παραπλήσιον ὅλον: sic quũ dicimus, Non magis: perinde id valet ac si diceremus, Non magis hoc quàm illud, sursum aut deorsum. Sunt verò nonnulli etiã Sceptici qui pro interrogatione ἦ, *id est, Vtrum*, pronuntiant τί μᾶλλον τόδε ἢ τόδε, accipiẽtes tum vocem τί pro causa. vt, quod dicunt, tale sit, Quare magis hoc quàm illud? Vsitatum est autem etiam interrogationibus pro enuntiationibus vti: vt in hoc versu, *Cui non Iouis riualis est notus viro?*
Et vicissim enuntiationibus loco interrogationũ: vt, Quæro vbi habitet Dion. Item, Rogo quamobrem hominem Poëtam admirari oporteat. Sed & apud Menandrum τί pro διὰ τί vsurpatur: vt quum dicit, τί γὰρ ἐγὼ καταλειπόμην; .i. *Quid enim ego relinquebar? posito Quid, pro Propter quid.* Indicant autem hæ voces Non magis hoc quàm illud, etiam affectum nostrum, secundum quem, propter æqualia momenta eorum quæ sunt ἀντικείμενα, ad ἀῤῥεψίαν delabimur. Intelligimus autem paria momenta quæ sunt in eo quod nobis apparet probabile. ἀντικείμενα autem generaliter, quæ inter se pugnant: ἀῤῥεψίαν verò ad neutram partem assensum. Cæterùm hęc vox, Nihilo magis, etiamsi præ se ferat formam assensionis aut negationis, nos nõ ita ea vtimur, sed indifferẽter & abutẽdo: aut pro interrogatione, aut pro eo quod est, Ignoro cui horũ assentiri oporteat, cui minimé. Nobis enim propositũ est, quod nobis apparet declarare: vocẽ autem qua id declaramus, indifferẽter vsurpamus. Illud præterea sciendũ, nos proferre hanc vocẽ, οὐδὲν μᾶλλον, non affirmantes ipsam omnino verã esse & indubitatã, sed secundũ id quod nobis apparet, de ea quoq; dicentes.

De aphasia. CAP. 20.

DE aphasia autem hæc dicimus. φάσις duobus modis dicitur, generaliter & specialiter. Generaliter ita appellatur vox quæ poni aut tolli quidpiam significat: vt, Dies est, Non dies est. Specialiter autẽ, quæ aliquid poni tantùm significat. in qua significatione negatiua non appellantur phases. Aphasia igitur est discessus ab ea quæ generaliter phasis appellatur: sub qua comprehẽdi dicimus cataphasin & apophasin, *id est, affirmationem & negationem.* adeò vt aphasia sit affectio nostra per quam nos nec ponere quicquam nec tollere dicimus. Vnde patet nos aphasiam etiam assumere, non quasi natura tales sint res vt aphasiam necessariò moueant: sed vt eam pronuntiando, declaremus nos super his vel illis quæstionibus ita nunc affici. Illud quoq; memoria tenẽdum est, dicere nos, nihil poni aut tolli à nobis, eorum quidem certè quæ dogmaticè de dubiis asseruntur. iis enim

à quibus patimur, & à quibus ita coacti ad assensum adducimur, cedimus & acquiescimus.

De vocibus, Fortasse, Licet, Fieri potest. CAP. 21.

HAS autem voces, Fortasse & Non fortasse: Licet & Non licet: *ἐνδέχεται καὶ οὐκ ἐνδέχεται, id est, Fieri potest, & Non fieri potest:* sumimus pro, Fortasse est, fortasse non est: &, Licet esse, licet etiam nõ esse: &, Fieri potest vt sit, fieri potest vt non sit. Adeò vt breuitatis gratia, sumamus Non licere, pro licere non esse: & Nõ fieri posse, pro Fieri posse vt non sit: & Non fortasse, pro Fortasse non esse. Rursus autẽ hîc non contendimus de vocibus, neque an hæc natura ipsa significent, quærimus: sed ipsas indifferẽter, vt dixi, sumimus. Has autem voces, aphasiæ esse indices, manifestum esse arbitror. nam qui dicit Fortasse est, perinde est ac si poneret etiã alterum quod ipsi repugnare videtur, videlicet Fortasse non esse: quia nõ affirmat hoc esse. Eadem est & in cæteris ratio.

De voce ἐπέχω, & οὐδὲν ὁρίζω. CAP. 22.

SVMIMVS autem ἐπέχω pro eo quod est, Non possum dicere cui ex iis quæ proposita sunt, fidem adhibere, cui fidem derogare oporteat: ostendentes videri nobis res ad promerendam vel ad non promerendam fidem æquales. Ita tamen vt æquales esse non affirmemus, sed quod nobis apparet de ipsis, quando sub sensum nostrum cadunt, dicamus. Dicta est autem ἐποχὴ, quia ἐπέχεται διάνοια, *id est, cohibetur mens*, à ponenda aut à tollenda re aliqua, propter paria in vtranque partem eorum de quibus quæritur momenta.

De voce οὐδὲν ὁρίζω. CAP. 23.

DE hac autem voce, *οὐδὲν ὁρίζω. i. nihil definio, aut, certò statuo*, dicimus huiusmodi. ὁρίζειν esse putamus, nõ simpliciter dicere aliquid, sed rem incertam pronuntiare cum assensu. ita enim nihil ὁρίζειν Scepticus forsitan reperietur, ne hoc quidem, Nihil definio. non enim est dogmatica opinio, id est, qua incertæ rei assentiamur: sed vox nostræ affectionis index. Quum ergo dicit Scepticus, Nihil definio, hoc dicit, Ego ita nunc affectus sum vt nihil eorũ quæ sub hanc quæstionem cadunt, ponam dogmaticè aut tollam. Hoc autem ait, dicẽs quid sibi appareat de rebus propositis, non enuntiatiuè cum persuasione pronuntians, sed affectionem suam exprimens.

De eo quod dicunt, Omnia sunt ἀόριστα. CAP. 24.

ἈΟΡΙΣΤΊΑ quoque passio est intellectus, secundum quam nec ponimus quicquam, nec tollimus eorum quæ dogmaticè quęruntur,

id est

id est incertorum. Quum igitur dicit Scepticus, omnia esse ἀόριστα, *id est, indefinita*, tunc ESSE accipit pro eo quod est, videri sibi. Omnia autem dicit, non omnia entia, sed quæcunque euoluit ex iis incertis quæ apud Dogmaticos quæruntur. Indefinita autem, id est, non præponenda aliis cōtrariis, aut generaliter aduersantibus, ad fidem promerendam aut non promerēdam. Et quemadmodum qui dicit, Ambulo, perinde est ac si diceret, Ego ambulo: ita qui dicit, Omnia sunt indefinita, vnà significat, secundum nos, Quantum ad me attinet, aut, Vt mihi videtur: adeò vt quod dicimus, sit huiusmodi, Quæcunque euolui ex illis quæ Dogmaticorum quæstionibus agitantur, talia mihi esse videntur, vt nihil eorum magis aut minus fide dignum existimem quàm contrarium.

De eo quod dicunt, Omnia sunt incomprehensibilia. CAP. 25.

EANDEM rationem sequimur & quum dicimus, Omnia sunt incomprehensibilia. nam hoc verbum, Omnia, eodem pacto explicamus: & vnà etiā intelligimus, Mihi. adeò vt idem hoc valeat ac si ita loqueremur, Omnia quæcunq; percurri ex iis incertis quæ Dogmaticorum quæstionibus agitantur, mihi videntur incomprehensibilia. Non sunt autem verba hominis affirmantis, ea de quibus inquirunt Dogmatici, naturam hanc habere vt sint incomprehensibilia: sed suā affectionem enuntiantis: quatenus videlicet dicit, Existimo me nihil illorum adhuc percepisse, propter contrariorum æquipollentiam. Vnde mihi videntur omnia quæ ad euersionem afferuntur, iis quæ nos enuntiamus, esse dissentanea.

De vocibus ἀκαταληπτῶ & οὐ καταλαμβάνω. i. nō comprehēdo. CAP. 26.

HÆ quoque voces, ἀκαταληπτῶ & οὐ καταλαμβάνω, propriæ passionis sunt indices: quatenus ad præsens supersedet Scepticus ponere aut tollere aliquid ex illis incertis de quibus quæritur. vt ex iis patet quæ à nobis de cæteris vocibus antea dicta sunt.

De eo quod dicunt, παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται. i. omni orationi oratio æqualis opponitur. (vel opposita est.) CAP. 27.

QVVM autem dicimus, Omni orationi oratio æqualis opponitur, Omni dicimus, quam quidem nos euoluerimus. Orationem autem dicimus, non simpliciter, sed quæ aliquid dogmaticè astruit, id est de incerto: nec eam protinus quæ ex lemmatibus, *id est, sumptionibus*, & illatione, sed quæ quouis modo astruit quidpiam. Aequalem item dicimus, non simpliciter, sed ad fidē obtinendam aut non obtinendā. Et Opponitur accipimus generaliter pro Aduersatur. Subau-

dimus etiã, Vt mihi videtur. Quũ igitur dico, Omni orationi æqualis opposita est oratio, perinde est ac si dicerem, Omni orationi à me euolutæ, quæ aliquid dogmaticè astruit, mihi opponi videtur aliã dogmaticè aliquid astruens, æqualis ipsi ad fidem obtinendã vel non obtinendam. Adeò vt huiusmodi vocis enuntiatio non sit dogmatica, sed passionis humanæ significatio, quę est id quod apparet patienti. Sunt autẽ & qui hanc vocẽ ita proferant, Omni orationi æqualẽ orationem opponi, *vel oppositã esse*. hoc, tanquam præceptũ, constituentes, Omni orationi dogmaticè quidpiam astruenti, orationem dogmaticè inquirentẽ, æqualẽ ad fidẽ obtinẽdam vel non obtinendã, ipsi aduersantẽ opponamus. Vt sermonẽ suum ad Scepticum dirigant, vtanturq; infinitiuo pro imperatiuo, videlicet Opponi pro eo quod est Opponamus. Pręcipiũt autẽ Sceptico, ne à Dogmatico deceptus, animũ despõdeat, ac omittat illius perquisitionẽ, & ita per temeritatẽ suam frustretur apparẽte ipsis ataraxia: quã comitari existimãt eos qui de omnibus assensum retinẽt, quemadmodũ docuimus.

Appendix ad tractationem de scepticis vocibus. CAP. 28.

NON postulat ratio huius operis quo singula breuiter describimus, vt de pluribus vocibus differamus. Præsertim quum vel ex iis quæ modò à nobis dicta fuerunt, etiã de prætermissis dici possit. De omnibus enim scepticis vocibus illud oportet cognitũ habere, nos nõ affirmare veras illas omnino esse: vtpote quum eas dicamus alias ab aliis tolli posse, circunscriptas illis de quibus dicuntur: sicuti purgantia medicamenta nõ solùm humores corpore extrahunt, sed etiã semetipsa vnà cum humoribus expellunt. Dicimus pręterea nos nõ vt propriè significantes res quibus adhibentur, ponere eas, sed indifferenter, aut, si malunt, per catachresin: (neque enim Scepticum de vocibus altercari decet:) præsertim quũ nobis commodũ sit ne simpliciter quidem & per se significare dici has voces, sed ad aliquid, videlicet ad Scepticos. Illud præterea meminisse oportet, nos non de omnibus rebus generaliter proferre ipsas, sed de incertis & iis quæ dogmaticè quærũtur: idq; quod apparet nobis, dicere, non autẽ affirmationẽ de natura externorũ subiectorũ adhibere. Ex his enim omne sophisma aduersus vocem scepticã allatum euerti posse arbitror.

Quum autem epoches mentem ac propositum, partesque, criterium, & modos percurrerimus, & de scepticis vocibus loquuti, characterem ipsius σκέψεως declarauerimus: cõsentaneum esse putamus, in quibus à finitimis ipsi philosophiis distinguatur, paucis explicare, vt ita

vt ita manifeſtius ephecticam inſtitutionem perſpiciamus. Ordiemur autem ab Heracliti philoſophia.

Differre ſcepticam inſtitutionẽ ab Heracliti philoſophia. CAP. 29.

HANC igitur à noſtra inſtitutione differre, clarum eſt. Heraclitus enim de multis incertis dogmaticè pronuntiat, nos autẽ minimè, quemadmodum dictum eſt. Quoniam autem Oneſidemus aiebat ſcepticam inſtitutionem viã eſſe ad Heracliti philoſophiam, ſiquidẽ antequam contraria circa idem ſint, oportet contraria circa idem apparere: & Sceptici quidem cõtraria circa idem apparere dicunt, Heraclitei autem hinc etiam illuc progediuntur, vt dicant eſſe: illis reſpondemus, hoc quod dicitur, contraria circa idem apparere, nõ eſſe Scepticorum dogma, ſed rem non Scepticis ſolùm, verumetiam aliis Philoſophis & omnibus hominibus ſub ſenſus cadentem. Verbi gratia, nemo negare audeat quin ex melle ſani dulcedinẽ, icterici amarorem percipiant. Hinc fit vt à communi hominum prænotione incipiant Heraclitei, vti & nos, fortaſſe autem & cæteræ philoſophiæ. Quare ſi ab aliquo eorum quæ ſcepticè dicuntur, acciperent hoc, videlicet cõtraria circa idem verſari: nimirum aut ab hac voce, Omnia ſunt incomprehẽſibilia, aut illa, Nihil definio, aut alia ſimili: fortaſſe colligerent verum eſſe quod dicunt: ſed quum principia habeant nõ ſolùm nobis, ſed aliis etiam Philoſophis & vitæ ſub ſenſus cadentia, cúrnam potius dicat aliquis inſtitutionẽ noſtram viã ſternere ad Heracliti philoſophiam, quàm aliarũ philoſophiarum quamlibet, aut vitam ipſam: quũ omnes communibus materiis vſi ſimus? Atque haud ſcio àn potius incommoda ſit ad Heracliti philoſophiã cognoſcẽdã ſceptica diſciplina, quàm commoda: quum Scepticus omnia quæ ab Heraclito dogmaticè dicuntur, tanquam temeraria, reprehendat, repugnans illius ἐκπύρωσι, repugnans etiã huic quod dicit, Contraria circa idem exiſtere: & ad vnumquodque Heracliti dogma, dogmaticam temeritatem irrideat, atque ſubiungat, Non comprehendo, & Nihil definio, quemadmodum antea dixi. quod Heracliteis aduerſatur. Abſurdum autem eſt, aduerſantem diſciplinam viam eſſe dicere ad ſectam illam cui aduerſatur. Abſurdum ergo eſt ſcepticam diſciplinam ad Heracliti philoſophiam viam eſſe dicere.

In quo differat ſceptica diſciplina à Democriti philoſophia. CAP. 30.

DEMOCRITI quoque philoſophia communionem habere cũ ſcepſi fertur, quia videtur eadẽ qua vos vſa eſſe materia. Nam ex eo quòd mel aliis dulce, aliis amarum videatur, Democritum ratiocinari di-

ri dicunt, neque dulce ipsum esse, neque amarum: & propterea pronuntiare vocem, Non magis, quæ sceptica est. Verùm aliter vtuntur hac voce Sceptici quàm Democritici philosophi. illi enim vocem hanc vsurpant significare volentes neutrum esse: nos autem, significantes nos ignorare an vtrunque, an neutrū sit eorum quæ apparent. Itaq; in hoc quoque ab illis differimus: sed longè manifestissima differentia est, quum dicit Democritus, ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. i. *veritate enim (verè) atoma & vacuum.* ἐτεῇ enim dicit pro ἀληθείᾳ, *id est, veritate.* In eo autem quod ait, secundum veritatem existere atomos & vacuum, eum à nobis differre (quanuis ab apparētium inæqualitate & discrepantia incipiat) superuacaneum arbitror dicere.

Quo differat scepsis à Cyrenaica institutione. CAP. 31.

DICVNT præterea nonnulli Cyrenaicam institutionem eandē esse cum scepsi, quoniam illa quoque se solas passiones comprehendere dicit. Differt tamen ab ea: quòd illa quidem voluptatem & læuem corporis motū, finem esse dicat: nos autē imperturbatum mentis statum: cui contrarius est finis quem illi statuunt. Nam & quum adest voluptas & quum abest, perturbationes patitur is qui finē esse voluptatem affirmat: vt de fine tractans argumentatus sum. Deinde nos assensum retinemus verbis tenus de externis subiectis: at Cyrenaici pronuntiant naturam illa habere incomprehensibilem.

Quo differat scepsis à Protagoræ institutione. CAP. 32.

PROTAGORAS quoque vult πάντων χρημάτων μέτρον. i. *omnium rerum mensuram*, esse hominem: entium, vt sunt: non entium, vt nō sunt. μέτρον quidem appellās criterium. χρημάτων autē dicens pro πραγμάτων, *id est, rerum.* Adeò vt hoc valeant eius verba, Rerum omnium criterium esse hominem: entium quidem, vt sunt: non entium autē, vt non sunt. Ideoque ponit apparētia cuique sola, & ita inducit relationem ad aliquid. Hinc fit vt videatur communionem cum Pyrrhoniis habere. differt tamen ab illis. Differentiam autem cognoscemus, vbi quantum satis sit, Protagoræ sententiam enucleauerimus. Dicit ergo vir ille, Materiam fluxilem esse; ipsa autem assiduè fluente, adiunctiones pro ablationibus fieri, & sensus transmutari ac variari & pro ætatibus & pro aliis corporum constitutionibus. Dicit etiā rationes omnium apparentiū subiectas esse in materia: adeò vt materia, quantum in seipsa, omnia esse possit quæ omnibus apparent: homines autem alio tempore alia percipere, prout diuersè se habent. eum enim qui secundum naturam se habeat, ex iis quæ in materia sunt, illa percipere

cipere quæ ſecundum naturam ſe habentibus apparere poſſunt: eos autem qui contra naturam ſe habeant,ea percipere quæ contra naturam ſe habentibus poſſunt apparere. Eſtque in ętatibus,& in ſomno aut vigilia,& in vnaquaque ſpecie habituum eadem ratio. Eſt ergo, ſecundum ipſum,homo criterium rerum quæ ſunt. omnia enim quæ apparent hominibus,etiã ſunt.quæ autem nulli hominũ apparent,ne ſunt quidẽ. Videmus igitur,ipſum,& materiã fluxilem eſſe, & rationes omnium apparentiũ ſubiectas eſſe in ipſa,dogmaticè pronuntiare: quæ incerta ſunt, & de quibus retinendus eſt aſſenſus nobis.

Quo differat ab Academica philoſophia ſcepſis. CAP. 33.

QVINETIAM aiunt nonnulli Academicam philoſophiam eandem eſſe cum ſcepſi: quare deinceps de hac quoque diſſerendũ fuerit. Academiæ autem fuerunt, vt aiunt, plures tribus. Vna quidem, eaque antiquiſſima,Platonis.Secunda & media,Arceſilæ,qui fuit auditor Polemonis.Tertia & noua,Carneadis & Clitomachi.Sunt qui his addant quartam, Philonis & Charmidæ. Sunt qui etiam quintam adiiciant, Antiochi. Nunc ergo incipientes ab antiquiſſima, videamus differẽtiam philoſophiarum quarũ meminimus. Platonem alij dogmaticum eſſe dixerunt,alij aporematicum *i.dubitatorem.* alij verò in quibuſdam dogmaticum, in quibuſdã aporematicum. Nam in gymnaſticis libris *i.exercitatoriis,*vbi Socrates aut ludens cum aliquibus inducitur,aut pugnans aduerſus ſophiſtas, exercitatorium & dubitatorium quendã dicunt illum habere characterem. dogmaticum autem, vbi ſeriò loquens, ſententiam ſuam aut per Socratem aut per Timæum,aut per aliquẽ ex huiuſmodi viris, exponit. Ac de iis quidem qui dogmaticum ipſum eſſe volunt,aut in quibuſdam dogmaticum, in quibuſdam dubitatorem, ſuperuacaneum fuerit dicere. ipſi enim fatentur illum à nobis differre. An autem ſit purè Scepticus, fuſius in noſtris hypomnematis diſſerimus:nunc autem ſummatim rerum capita perſtringẽtes, ſecundum Permedotum & Oneſidemum diſputamus,(hi enim potiſſimum huic factioni præfuerunt)dicentes, Platonem,quum de ideis pronuntiat, aut prouidentiam eſſe, aut vitã cum virtute coniunctam prępferendã eſſe vitæ quæ ſit cum vitiis coniuncta:ſiue is tanquam exiſtẽtibus aſſentitur,dogmaticè pronuntiat: ſiue tanquam probabilioribus aſſentitur, quia alterum alteri præfert ad fidem obtinendam aut non obtinẽdam,à ſceptica forma diſcedit. nam etiam hoc à nobis eſſe alienum, ex iis quæ antea diximus,patet. Etiamſi autem quędam Scepticorũ more pronuntiet,quum, vt aiunt,

se exercet, non ideo erit Scepticus. nam qui de vno aliquo dogmaticè pronuntiat, aut phantasiam phantasiæ pręfert vllo modo ad fidem impetrandam aut non impetrandam de aliqua re incerta, dogmaticũ sequitur characterem: vt indicat etiã Timon in iis quæ de Xenophane dicit.* Xenophanis autem dogma erat præter aliorum hominum prænotiones, vniuersitatem esse vnum, & Deum cõgenitum omnibus. esse autem rotundum & nullis passionibus obnoxium, & immutabilem, & rationalem. Vnde & facile est in quo Xenophanes à nobis differat ostendere. Porrò ex iis quæ diximus, manifestũ est, Platonem, etiamsi de aliquibus dubitet, tamen quia in quibusdam apparet ipsum aut de essentia rerum incertarum pronuntiare, aut ex incertis alia aliis tanquam fide digniora præferre, Scepticum esse nõ posse. Iam verò & nouæ Academiæ alumni, etiamsi incomprehensibilia esse dicant omnia, differunt tamen à Scepticis, fortasse quidem & in eo quòd dicunt omnia esse incomprehensibilia: (de hoc enim affirmant. at Scepticus non desperat fieri posse vt aliquid comprehendatur.) sed apertius etiam ab illis in bonorũ & malorum diiudicatione discrepant. Aliquid enim bonum esse dicunt & malũ Academici, nõ vt nos, sed simul persuasi verisimilius esse, id quod dicunt bonum, bonum esse, quàm contrarium. & de malo similiter. quum nos nihil bonum aut malum esse dicamus, existimantes probabile esse quod dicimus, sed sine vlla opinatione sequamur vitã, ne nihil agamus. Præterea phantasias nos quidem dicimus æquales esse ad fidem obtinendam vel non obtinendam, quantũ ad rationem: illi autem alias verisimiles esse dicunt, alias non verisimiles. quin & verisimiliũ statuunt diuersa genera. alias enim verisimiles tantùm esse dicunt, alias autem verisimiles & διεξωδευμένας, alias verisimiles & περιωδευμένας & ἀπερισπάστους. verbi gratia, In domo tenebricosa siquo modo iaceat funis contortus & conuolutus, verisimilis tantùm phãtasia est ab hoc, tanquam à serpente, ei qui repente ingressus fuerit. At illi qui intuitus fuerit exactè & percurrerit quæ sunt circa ipsum, nimirum eum non moueri, talem colorem habere, & singula quæque, apparet funis per phantasiam verisimilem & περιωδευμένην. Phantasia autẽ ἀπερίσπαστος, * huiusmodi est, Fertur Hercules mortuam Alcestin rursum ab inferis reduxisse, & Admeto ostendisse. Is verisimilẽ accipiebat phantasiam Alcestidis & περιωδευμένην: quia tamen sciebat ipsam mortuam esse, distrahebatur eius mens ab assensu, & ad fidem non adhibendã inclinabat. Pręferunt igitur noui Academici ei quidem phãtasiæ quę

simpli-

simpliciter est verisimilis, eã quæ est verisimilis & περιωδευμένην: vtriq; autem harum eam quæ est verisimilis & περιωδευμένην & ἀπερίσπαστος. Quanquam autẽ & Academici & Sceptici se πείθεσθαι aliquibus dicebant, manifesta est tamen hîc quoque differentia quæ est inter eorũ philosophias. Nam πείθεσθαι dicitur variis modis, interdum pro nõ repugnare, sed simpliciter sequi, sine vehemẽti propensione & affectu erga aliquid: vt puer dicitur πείθεσθαι pædagogo. Interdum etiam pro, Cum certo proposito & quasi affectus communione quidpiam valde volentem assentiri alicui. vt nepos & decoctor πείθεται ei qui sumptuosè viuere vult. Quare quũ Carneades & Clitomachus cum vehementi inclinatione dicant πείθεσθαι & πιθανόν, esse: nos autem in cedendo simpliciter, sine propensione affectus erga quicquam, in hoc quoque ab illis differre comperiemur. In iis præterea quę ad finem spectant, à noua Academia dissidemus. illi enim qui se ordinationem eius sequi dicunt, etiam πιθανῷ vtuntur in vita: nos autem leges & consuetudines & naturales affectiones sequentes, viuimus citra vllã opinationem. His adderemus alia, differentiæ ostendendæ gratia, nisi breuitati studeremus. At verò Arcesilaus, quem mediæ Academiæ dicebamus præsidem fuisse & authorem, magnam mihi videtur cum Pyrrhoniorum verbis affinitatem habere: adeò vt vna sit propemodum disciplina eius & nostra. Neq; enim de existentia aut inexistentia rei cuiusquã pronuntiare comperitur, neque alterum alteri ad fidem obtinendam aut non obtinendam præferre: sed de omnibus assensum retinet, & finem esse dicit epochen: cũ qua simul ingredi imperturbatum mentis statum dicebamus. Vult præterea esse quidem bona particulares epochas, mala autẽ particulares assensiones. Nisi dicat aliquis nos hæc secundum id quod apparet nobis, dicere, & nõ affirmantes: illum autem, tanquam secundum naturam: adeò vt bonũ quidem esse ipsam epochen, malum autem assensionem dicat. Siqua fides autem iis quæ de eo dicuntur, adhibẽda est, ferunt ipsum, prima quidem fronte Pyrrhonium visum, verè autem Dogmaticum fuisse. & quum in sibi familiaribus periculũ faceret suis dubitationibus, an naturã aptã ad percipienda Platonis dogmata haberẽt, existimatum fuisse ἀπορητικόν, *i. dubitatorẽ*: at familiaribus suis qui acri ingenio prędi- ti essent, Platonis doctrinã tradere. atq; ideo Aristonẽ iactasse hoc in ipsum, *Antè Plato, Pyrrho retro, medius Diodorus.*

Quòd dialectica Diodori vteretur, planè tamen esset Platonicus. Philo autem ait, quantum ad Stoicum criterium, id est phantasiã com-

prehensiuam, res esse incomprehensibiles: quantum autem ad naturam rerum, comprehensibiles. Quinetiam Antiochus Stoicam sectã transtulit in Academiam, adeò vt de eo dictum sit, ipsum in Academia philosophari Stoica. Ostendebat enim apud Platonem esse Stoicorum dogmata. Ex his igitur perspicuum est quid Sceptica institutio à tertia & quinta Academia differat.

An medica experientia eadem sit cum scepsi. CAP. 34.

QVONIAM verò experientiam quæ circa Medicinam versatur, eandẽ nonnulli esse aiunt cum Sceptica philosophia: scire nos oportet, experientiam illam, si asserat incerta comprehendi non posse, neque eandem esse cum scepsi: sed nec Sceptico conuenientẽ eiusmodi sectã esse: imò potius eam quę methodus vocatur, deceat illum, meo quidem iudicio, persequi. Hæc enim vna ex omnibus medicæ artis sectis, in incertis quidem temerariè se nõ gerere videtur, nec tantum sibi arrogare vt comprehensibilia sint ea, nécne, pronuntiet: sed apparentia sequens, ex iis quod vtile videatur, accipere, eandem quam Sceptici insistens viã. Dicebamus enim antea, vitam communẽ, qua etiam Scepticus vtitur, quadruplicẽ esse: quæ videlicet partim in naturæ instructione versetur, partim in coactu passionũ, partim in constitutione legum & consuetudinũ, partim in traditionẽ artiũ. Quemadmodum igitur ex coactu passionum Scepticus à siti quidẽ ad potum deducitur, & à fame ad cibum, & ad aliquid ex aliis itidem: sic & methodicus Medicus à passionibus ad cõsentanea & congrua dirigitur: à conspissatione quidẽ & condensatione ad laxationem: (veluti quũ quis à condensatione ex frigore vehementi orta ad calida se recipit) & vice versa à laxatione & effluuio, ad eius repressionẽ, vt qui in balneo sudore multo diffluunt & resoluuntur, ad eum reprimendũ properant, ac propterea ad frigidum aërem confugiunt. Ea autem quæ naturâ sint aliena, ad ea quæ secundum naturam cogere eum venire, vel hinc patet, quòd etiam canis, simulac impegerit ei aliquis palum, ad eum extrahendum festinet. Ac ne singula enumerans, fines hypotyposis prætergrediar, omnia puto quę à methodicis ita dicuntur, referri posse ad coactum illum eamq; vim quam afferunt nobis passiones, & eæ quæ secundum naturam & eæ quæ præter naturã sunt. Sed & in his inter se conueniunt hæ duæ institutiones, quòd vtraque opinationem omnem à se remoueat, vtraque indifferẽter verbis vtatur. Quemadmodum enim Scepticus vtitur hac voce, Nihil definio, hac itẽ, Nihil comprehendo: ita & methodicus vsurpat κοινότητα & vocem

διήκειν

ἀπάγειν ac similes indifferenter. sic ergo & hoc nomē ἔνδειξις citra opinationem accipit pro ea actione qua nos à passionibus apparentibus & quæ secundum & quæ præter naturam sunt, ad ea quæ cōsentanea & congrua esse videntur, deducimur: vt in siti & fame aliisque ostendo. Vnde professionem eorum qui in medica arte methodici vocantur, maiorem cum scepsi affinitatem habere, quàm vllas alias sectas medicæ artis, idque comparatione earū, non purè & simpliciter, nobis dicendum est, quibus cum hæc, tum alia huiusmodi argumento sint. Nos igitur quū de iis etiā disseruerimus, quæ adiacere & vicina esse Scepticæ institutioni videntur, hîc & generalem ipsius scepseos tractationem & primum hypotyposeωn librum finimus.

SEXTI PHILOSOPHI PYRRHONIARVM HYPOTYPOSEΩN LIBER II.

An possit Scepticus aliquid inquirere in ea quæ dicuntur à Dogmaticis. CAP. I.

QVANDOQVIDEM inquisitionem aduersus Dogmaticos aggressi sumus, vnamquanque partē eius quæ vocatur philosophia, breuiter & summatim percurramus. si prius respōderimus iis qui hoc semper habent in ore, nec ad quærenda nec ad intelligēda ea quę ab ipsis dogmaticè pronuntiantur, vllo modo idoneum esse Scepticū. sic enim dicunt, Aut comprehendit Scepticus quæ à Dogmaticis dicuntur, aut non. & si quidem comprehendit, quomodo dubitet de iis quæ comprehēdisse se dicit? at si non comprehendit, certè ne dicere quidē de iis nouit quæ non comprehendit. Quemadmodum enim is qui ignorat, exempli gratia, quid sit τὸ καθ' ὃ πολυαιρουμένης, aut theorema τὸ διὰ δύο τροπικῶν, ne dicere quidē de ipsis quicquam potest: ita qui non nouit vnumquodq; eorum quæ à Dogmaticis dicuntur, inquirere aduersus eos non potest de iis quæ non nouerit. Nequaquā ergo potest Scepticus inquirere de iis quæ apud Dogmaticos dicuntur. Qui hæc aiunt, respondeant nobis quomodo nunc sumant vocem hāc Comprehendere: vtrum vt sit intelligere simpliciter, nihil de existentia eorum de quibus disserimus, affirmādo: an intelligere, & simul eorum existentiam

de quibus disputamus, ponere. Si enim cõprehendere vocant in sermone comprehensiuæ phantasiæ assentiri: quum phantasia comprehensiua sit ab existente secundũ ipsum existens impressa & intus obsignata, qualis quidem esse non possit à non existente: ne ipsi quidem volent fortasse non posse de iis quærere quæ non percipiunt. Exempli gratia, Quum Stoicus aduersus Epicureum quæstionẽ mouet, dicentem diuisam esse substantiam, aut Deum non prouidere iis quæ sunt in mundo, aut voluptatem esse bonum: vtrum comprehendit an non? & si quidem comprehendit, existere ipsa dicens, funditus euertit Stoicam disciplinam: si non comprehendit, non potest quicquam aduersus ea afferre. His similia etiam cęteris qui à reliquis sectis prodeunt, respõdere oportet, quum quæstionem aliquam mouere de iis quæ aliter censent ipsorum aduersatij, voluerint. Itaque de nulla re alij aduersus alios inquirere possunt. imò etiam, si seriò loquendum est, euertetur eorũ tota (vt vno verbo dicam) dogmatica disciplina: firmè autem stabilietur sceptica philosophia si hoc concedatur, non posse quærere quenquam de eo quod non ita comprehensum fuerit. Nam qui de re aliqua incerta pronuntiat & dogma ponit, aut re comprehensa, aut non comprehensa, de ea pronuntiare se dicet. Verùm si antequam eam comprehẽderit, fides ei non adhibebitur: sin postquã comprehenderit, aut indidem & ex seipsa & actu ipso sibi obuersatã dicet se comprehendisse, aut per aliquam inuestigationem & inquisitionem. Sedenim si ex seipsa casu quodam dicat illam sibi ipso actu obuersatam, & comprehensam fuisse rem illam quæ erat incerta: eo modo non fuerit incerta, sed omnibus ex æquo apparens, & pro confessa habita, minimeque controuersa. Atqui de vnoquoque incerto inextricabilis fuit inter eos discrepantia. Ergo ille Dogmaticus qui de incertæ rei existentia affirmat & pronuntiat, nequaquam eam sibi obuersantem habuerit, eamque ita comprehẽderit. Quòd si per aliquam inuestigationem *eam se comprehendisse dicat*, quomodo quęrere poterat antequam exactè ipsam comprehendisset, secundum propositam hypothesin? Nam quum opus habeat inquisitio vt prius exactè comprehensum sit id de quo inquiretur: at vicissim ipsa comprehẽsio rei de qua inquiritur, opus habeat præcedente inquisitione, omnino per modum diallelum dubitationis hoc impossibile est illis, & inquirere de incertis, & dogmaticè pronuntiare: quũ, siue voluerint à comprehensione incipere, redigamus eos illuc vt oporteat ipsum prius quæsiuisse quàm comprehendisse: siue ab inquisitione initium facere malue-

maluerint, eos illuc redigamus vt oporteat ante inquiſitionem comprehendiſſe id de quo futura ſit inquiſitio: adeò vt hinc accidat vt neque quicquam incertorum comprehendere illi poſſint, nec affirmatiuè de ipſis pronuntiare. Vnde tolletur Dogmaticorum ſubtilis loquacitas per ſe, cõtinget autem vt ephectica philoſophia inducatur. Iam ſi dixerint ſe non exiſtimare neceſſe eſſe vt talis comprehenſio inquiſitionem præcedat, ſed vt intellectus ſimpliciter, nõ eſt impoſſibile inter eos qui de exiſtentia incertorum retinẽt aſſenſum, inquirere. Non enim ab intelligẽdi facultate excluditur Scepticus, ea (inquam) quæ ipſi fit ab iis quæ paſſibiliter ipſi obuerſantur, actu ipſo apparentia, neque neceſſariò eorum quę ſub intellectum cadunt, exiſtentiam inducit. Non enim exiſtẽtia ſolùm intellectu percipimus, (vt aiunt) ſed etiam inexiſtentia. Vnde Ephecticus ſiue quærat, ſiue intellectus facultate vtatur, in ſceptico permanet inſtituto. Iam enim declarauimus ipſum iis quæ per paſsiuam phantaſiã ipſi obuerſantur, ſecundum id quod ſibi apparet, aſſentiri. Sed iam vide ne nunc Dogmatici ab inquiſitione etiam excludantur. Non enim vt ij qui faten tur ſe ignorare quomodo res ſe habeant ſecundum naturam, quęrere de illis pergant, inconſentaneũ eſt: ſed ij qui ſe exactè illas pernoſcere exiſtimant. Nam his quidem iam ad finem perducta eſt inquiſitio, vt ipſi exiſtimant: at illi, id propter quod tota inquiſitio inſtituta eſt, adhuc retinent, nempe exiſtimare ſe non inueniſſe. Inquirendum eſt itaque nobis breuiter in præſentia de vnaquaque philoſophiæ, quæ vocatur, parte. Et quoniam magna fuit inter Dogmaticos de philoſophiæ partibus controuerſia, quum alij vnam, alij duas, alij tres eſſe dicerent (quam quidem latius perſequi non attinet) eorum opinionẽ qui perfectius in ea verſati eſſe videntur, vbi ex æquo expoſuerimus, ſecundum eam, diſputationem noſtram prouehamus.

Vnde incipere debeat inquiſitio aduerſus Dogmaticos. CAP. 2.

STOICI igitur & alij nõnulli tres eſſe philoſophię partes dicunt, rationalẽ, naturalem, moralẽ: & doctrinam ſuã à rationali ordiuntur. quanuis & vnde exordiendũ eſſet, magnis diſsẽſionibus agitatũ inter eos fuerit. Quos ſequuti citra vllã opinionem, quoniã ea quæ in tribus illis partibus dicũtur, opus habẽt criſi & criterio. *i. diiudicatione & diiudicatorio*, diſputatio autẽ de criterio videtur rationali parte cõtineri: à diſputatione de criterio & de rationali parte exordiũ ſumamus.

De criterio (id eſt, inſtrumento ad iudicandum.) CAP. 3.

SED illud ante omnia dicendum eſt, criterium dici & illud quo diiu-

diiudicari aiunt exiſtat aliquid néc ne, & illud cui acquieſcentes viuimus. Propoſitum eſt autem nobis in pręſentia de eo quod criterium veritatis eſſe dicitur, diſputare. Nam de criterio quod in altera ſignificatione capitur, eo in loco in quo de ſcepſi tractabamus, diſſeruimus. Criteriũ igitur de quo nunc agitur, tribus modis dicitur, communiter, peculiariter, peculiariſſimè. Communiter, omnis menſura comprehenſionis, ſecundum quam ſignificationem etiam naturalia criteria appellantur, vt viſus. Peculiariter autem, omnis mẽſura comprehenſionis, ſed menſura artificialis, vt regula & diabetes. Peculiariſſimè verò, omnis menſura artificialis ad comprehenſionem rei alicuius incertæ. iuxta quam ſignificationem, ea quæ in vita communi verſantur, non appellãtur criteria, ſed ea tantùm quæ rationalia ſunt, & quæ Dogmatici ad veritatis diiudicationẽ afferunt. Dicimus igitur propoſitam eſſe nobis de rationali criterio diſputationem. Sed & ipſum trifariam dici poſſit, A quo, Per quod, Secundum quod. Exempli gratia, A quò, homo. Per quod, aut ſenſus, aut intellectus. Secundum quod autem, applicatio phantaſiæ, ſecundum quam homo aggreditur diiudicare per vnum aliquod ex antedictis. Hæc præfari conſentaneum eſſe videbatur, vt de quo inſtituta ſit dubitatio, perſpiciamus. Reliquum eſt vt ad refutationem veniamus eorum qui ſe veritatis criterium comprehendiſſe, temerariè dicunt. initium autem à veritate ſumamus.

An ſit aliquod veritatis criterium. CAP. 4.

EX IIS itaque qui de criterio diſſeruerũt, quidam hoc eſſe pronuntiarunt, vt Stoici & alij nonnulli: quidã non eſſe, vt cùm alij, tum Xeniades Corinthius & Xenophanes Colophonius, dicens, Opinio eſt in omnibus. Nos autem aſſenſum retineamus de eo, vtrum ſit an non. Hanc igitur cõtrouerſiam aut diiudicabilem eſſe dicent, aut indiiudicabilem: & ſiquidem indiiudicabilem eſſe dicent, eo ipſo concedent eſſe retinendum aſſenſum. Sin autem eiuſmodi eſt quæ diiudicari poſſit, dicant quo diiudicabitur, quum nec criterium cõfeſſum habeamus, nec planè an ſit norimus, ſed quæramus. Pręterea vt diiudicetur ea quæ de criterio fuit controuerſia, confeſſum nos criteriũ habere oportet, per quod ipſum diiudicare poterimus: & vt criteriũ confeſſum habeamus, controuerſiã de criterio diiudicari prius oportet. Quum autem ſic in diallelum modum incidat oratio, nulla inueniendi criterij ratio relinquitur: quum neq; ipſos, ex hypotheſi, criterium accipere permittamus, &, ſi criterio criterium diiudicare voluerint,

rint, in infinitum ipsos reiiciamus. Quinetiam quum demonstratio quidem criterio demonstrato indigeat, criterium autem demonstratione diiudicata, in diallelum modū coniiciuntur. Existimantes itaq; vel hæc sufficere ad ostendēdam Dogmaticorum temeritatem in iis quæ de criterio dicunt: vt etiā variis modis ipsos refellere possimus, non absurdum fuerit huic loco immorari. non tamen vnamquanque earum opinionum quæ de criterio fuerūt, commemorare volumus sigillatim (inenarrabilis enim fuit cōtrouersia, & ita nos à recta dispu tationis via aberrare necesse esset) sed quia criterium de quo inquirimus, triplex esse videtur, A quo, Per quod, Secundum quod: quum vnumquodq; horum sigillatim percurrerimus, nullo id comprehendi modo posse ostendamus. Sic enim certa methodo progredietur, & perfecta expletaque omnibus suis numeris & partibus erit oratio. Incipiamus autem ab eo quod dicitur A quo. Videntur enim vnà cum hoc in dubium cætera etiam reuocari.

De criterio A quo. CAP. 5.

HOMO igitur mihi videtur, ex iis quæ à Dogmaticis dicuntur, non solùm comprehensiua facultate, sed etiam intellectiua carere. Audimus enim apud Platonem, Socratem apertè fatētem se nescire an sit homo, an aliud quidpiam. Et quum eius notionem ostendere volunt, primùm quidem inter se dissidēt, deinde etiam stulta dicunt. Nam Democritus ait Hominem esse quod omnes scimus. Secundū quæ verba non cognoscemus hominem, quia & canē scimus: & ideo sequeretur etiam canem esse hominem. Sunt etiam aliqui homines quos non nouimus: propterea nō erunt homines. Imò verò secundū hanc notionem, nullus erit homo. Si enim ille dicit oportere ab omnibus hominē cognosci, nullus autē est homo omnibus hominibus cognitus: nullus fuerit homo secundum illius sententiam. Atque hęc à nobis non dici sophisticè, ex doctrina eius his consentanea manifestum est. Nihil enim aliud verè esse dicit hic vir quàm atomos & vacuum: quorum vtrunque nō animalibus solùm, sed omnibus concretis inesse ait. Itaque ex his nequaquam perspicere hominis proprietatem possimus, quia sunt omnibus communia. sed neq; aliud quicquam subiectum est circa hæc. Nihil ergo habebimus, per quod hominem distinguere ab aliis animalibus & purè intellectu percipere possimus. Epicurus autem dicit hominem esse talem vel talem effigiem animatam. Ergo secundum hunc quoque, quoniā homo ostendendo manifestatur, is qui non ostenditur, nō est homo: &, si quis vir

mulierem ostendat, vir non erit homo: si autem virum ostendit mulier, mulier non erit homo. Eadem autem argumēta sumemus & ex variis circunstantiis quas ex tertio epoches modo didicimus. Alij dicebant, hominē esse animal rationale, mortale, intelligentiæ & scientiæ capax. Quoniam igitur in primo epoches modo ostenditur nullum esse animal irrationale, sed & intelligentiæ & scientiæ capacia esse omnia, secundum ea quæ ipsi dicunt: iam quid sibi velint nesciemus. Deinde accidentia quæ in definitione posita sunt, aut actu dicunt esse aut potentia. Si actu, is non est homo qui sciētiam iam perfectam non est assequutus, perfectamq; rationem habet, atque adeò in ipsa morte versatur. hoc enim est actu mortale. Sin potētia *dicunt esse*, ergo is nō erit homo nec qui rationem perfectam habet, nec qui intelligentiam & scientiā adeptus est. quin etiam hoc priore est absurdius. Quamobrem & hoc pacto nullam hominis notionem posse esse apparet. Nam Plato quū vult hominem esse animal carens pennis, bipes, latis vnguibus, scientiæ politicę capax, ne ipse quidem vult affirmatiuè hoc proferre. nam si homo sit vnum eorum quæ secundū ipsum gignuntur quidem, verè autem nondum sunt, impossibile est autem de iis quę nondum sunt affirmatiuè pronuntiare, vt ipse ait: nimirum ne Plato quidem videri volet hanc definitionem tanquam asserens tradidisse, sed, vt solet, ad id quod verisimile est sermonem accommodans. Veruntamen demus per concessionem posse hominē sub intellectum cadere, eum nequaquam posse comprehēdi comperiemus. siquidem homo ex animo & corpore constat: at neque corpus comprehendi potest, neque animus. Ergo ne homo quidem. Ac quod quidem ad corpus attinet, id non esse eiusmodi quod comprehendatur, hinc perspicuum est. Quæ accidunt alicui, diuersa sunt ab eo cui accidunt. quum itaque color aut aliquid huiusmodi nobis obuersatur, ea quæ corpori accidunt, non autem corpus ipsum nobis obuersari, rationi consentaneū est. Cæterùm corpus tres habere diastases aiunt. debemus igitur longitudinem & latitudinem & profunditatem comprehendere, vt corpus comprehendamus. Si enim hoc nobis obuersaretur, subargentatum etiā aurum cognosceremus. Itaque ne corpus quidē *comprehendi potest*. Iam verò vt hanc de corpore controuersiam missam faciamus, rursum homo incomprehensibilis comperitur, quòd incomprehensibilis sit anima. eam autem esse incomprehensibilem, hinc patet. Ex iis qui de anima disputauerunt (vt multiplicem & irritam eorum pugnam prætereamus) alij nō esse

ani-

animam(ex quibus fuit Dicæarchus Messenius)alij esse dixerunt: alij verò assensum retinuerunt. Hanc igitur controuersiam siquidem indiiudicabilem esse dixerint Dogmatici, eo ipso concedent animę incomprehensibilitatem: sin diiudicabilem, quo eam diiudicaturi sint, dicant. sensu enim non possunt, quòd eam intellectu percipi ratione que intelligi contendant. sin eam dianœa. *i. mente seu cogitatione,* diiudicatum iri responderint, in anima de nullo minus quàm de dianœa constare dicemus, vt ostendunt ij qui de existentia quidem animæ inter se consentiunt, at de dianœa in magna dissensione versantur. Si ergo dianœa animam volunt comprehendere, & controuersiam quæ de ea est diiudicare, eo de quo maior est quæstio, id diiudicare & confirmare de quo minor est quæstio, volēt. quod absurdum est. Itaque ne dianœa quidem, ea quæ de anima est controuersia diiudicabitur. atque ita nihil erit quo diiudicetur. Quod si ita est, incomprehensibilem dicamus necesse est. Vnde sequitur nec hominē comprehendi posse. Vt autem hoc quoque demus, hominē comprehendi, ab eo debere res iudicari, ostēdi fortasse nulla ratione possit. Qui enim ab homine res debere iudicari dixerit, aut cum demōstratione, aut sine ea hoc dicet. Sed cum demonstratione *iudicari res debere non dicet.* Oportet enim demonstrationē veram esse & iudicatam, ideoq; ab aliquo iudicatam. quum verò vno & eodem consensu dicere non possimus à quo hæc demōstratio iudicari possit: (quærimus enim iudicatorium A quo) demonstrationem minimè diiudicare, ideoq; nec ipsum criterium A quo, de quo nunc agitur, demonstrare poterimus. At si absque demonstratione dicetur ab homine res iudicari debere, hoc fide carebit. itaq; affirmare hominem esse criterium A quo, nequaquam poterimus. Verumenimuero à quónam iudicari queat hominem esse illud iudicatorium A quo? non enim qui hoc sine iudicatione dicent, fidem obtinebunt: at si ab homine *iudicabitur,* quod in quæstione versatur arripietur. Sin ab alio animali, quomodo ipsum admittetur ad iudicādum hominem esse illud iudicatorium? Si enim sine iudicatione, fidem nō impetrabit: sin cum iudicatione, illud rursum, ad iudicationem, ab aliquo iudicatum esse necesse est. Et siquidem à seipso, manet eadem absurditas: (nam quod quęritur iudicabitur per id quod quæritur) sin ab homine, diallelus inducitur modus. quòd si ab alio aliquo pręter hæc, rursum illius postulabimus criteriū A quo, atque ita vsque ad infinitum, ideoque debere res ab homine iudicari, dicere non poterimus. Sed tamen ita sit, & ita credatur esse,

debere res ab homine iudicari: iam, quoniam magna est hominũ diuersitas, prius inter se consentiant Dogmatici huius vel illius hominis sequendam esse sententiam, deinde nos quoque illi assentiri iubeant. Verùm si, quandiu fluet aqua, & virebunt proceræ arbores (vt in prouerbio est) controuersum hoc inter eos futurum est, quî fit vt nos procaciter ad certò cuipiam assentiendum vrgeant? Nam si dicãt credendum esse sapienti, interrogabimus eos quali sapienti, an ei qui sit sapiens secundum Epicurum, an qui secundum Stoicos, an ei qui sit Cynicus. At nunquam in responsione inter se consentiẽt. Quòd si quis postulabit à nobis vt missam facientes sapientis inquisitionẽ, simpliciter ei qui prudentior aliis omnibus sit, credamus: primùm & de hoc quoque inter se dissentient, quísnam sit aliis prudentior: deinde, etiãsi concedamus vno cõsensu posse sumi qui eos qui sunt quiq; fuerunt prudẽtia antecellat, ne sic quidem is fide dignus fuerit. Quoniam enim magna est & propemodum infinita intensio remissioque in prudentia, respõdemus, homine isto quem & præteritis & præsentibus prudentiorem dicimus, fieri posse vt alius existat prudentior. Quemadmodũ igitur postulatur à nobis vt illi qui nunc dicitur prudentior esse iis qui sunt & iis qui fuerunt, fidem adhibeamus, propter eius prudentiam: ita & illi qui post eum futurus est ipso prudentior, magis quàm ipsi credendum erit. ac quum hic extiterit, rursus alium eo prudentiorem fore sperandum est, & hoc ipso rursus alium: atque adeò vsque in infinitum. Porrò consensuri sint hi inter se nécne, minimè constat. Itaque etiamsi confessum fuerit esse aliquem omnibus qui sint & qui fuerint prudentiorẽ, quia asseuerare non possumus nullum futurum esse eo prudentiorem (incertum est enim) semper eius prudentioris, qui postea futurus est, iudicium expectare, & nunquam assentiri præstantiori oportebit. Veruntamen vt per concessionem demus, nullum esse, nec fuisse, nec futurum prudentiorem eo qui per hypothesin statuitur, ne sic quidem ipsi credere conuenit. quoniam enim ii potissimùm qui prudentes sunt solent in astruendis rebus, vitiosarum rerum defensionem sumẽtes, facere vt illæ sanæ & veræ videantur: quum aliquid hic solers dicet, nesciemus an vt res secũdum naturam se habet dicit, an falsum quod ipsi inest, tanquam verum in medium profert, nosq; pro vero id habere iubet, vtpote qui prudentior omnibus sit hominibus, & propterea nequaquam à nobis refelli possit. Quamobrem nihilo magis huic tanquam vero rerum iudici assensum præstabimus, quòd cum quidẽ dicere vera esse, sed ob solertiæ

lertiæ exuperantiam; res falsas tanquam veras exhibere volentem, dicere quæcunque dicat putemus. His igitur de causis ne ei quidem qui omnium videatur solertissimus adhibenda in rerum iudicatione fides fuerit. Quòd si quis multorum consensui credendum esse dicat, vanum id esse respondebimus. primùm enim rarum fortasse est verum: ideoque vt vnicus multis sit prudentior fieri potest, deinde plures sunt qui contradicant omni criterio quàm qui de eo inter se consentiant. Qui enim qualecunque reliquerũt criterium, diuersum ab eo de quo videtur inter aliquos conuenire, & ei contradicunt, & multò plures sunt illis qui de eo consentiunt. Præterea verò, qui consentiunt, aut in diuersis sunt affectionibus, aut in vna: in diuersis quidem certè non sunt, quantum ad id quod ab illis dicitur: (quomodo enim eadem de eodem dicerent?) quòd si in vna, quoniam & is qui diuersum aliquid dicit, vnam habet affectionem, & itidem ii omnes qui de eo consentiunt, vnquam: quantum ad affectiones attinet quas sequimur, ne in multitudine quidem vlla differẽtia repetitur. Itaque non oportet multos sequi potius quàm vnum. Vt omittam incomprehensibilem esse iudiciorum in tanta multitudine differentiam, vt in quarto scepseos modo docuimus. quippe quum infiniti sint homines, si sigillatim sumantur: nec possimus omnia eorum iudicia percurrere, atque ita demum pronuntiare quid plurimi ex omnibus hominibus pronuntient, & quid paucissimi. Ergo & hac ratione absurdũ fuerit iudices alios aliis, eo quòd multitudine vincãt, præferre. Quòd si ne multitudinis quidem iudicio adhærebimus, neminem à quo res iudicentur reperiemus, quum alioqui tam multa per concessionẽ demus. Quamobrem ex his omnibus incomprehensibile comperitur esse criterium à quo iudicabuntur res. Quum autem reliqua etiam criteria hoc includãtur, quia eorum quodque aut pars, aut passio, aut actio est hominis: consentaneum fortasse fuisset nos orationẽ ad aliquid eorum quæ sequi debẽt, conuertere, quippe quũ de illis abundè in his dictum sit: sed ne particularem vniuscuiusque refutationem videamur refugere, pauca de his ex abundanti dicemus. Primum autẽ de criterio quod appellatur Per quod, disputabimus.

De criterio per quod. CAP. 6.

MAGNA certè & propemodum infinita fuit apud Dogmaticos de eo controuersia. nos autem rursus certa methodo progredi studentes, dicimus, quandoquidem iuxta eos homo est id à quo iudicantur res, sed is aliud nihil habere queat per quod iudicare possit, (vt

ipsi etiam fatentur) quàm sensum & intellectũ: si ostenderimus ipsum nec per solum sensum iudicare posse, nec per solum intellectum, sed neque per vtrunque simul: breuiter ad omnes particulares opiniones responderimus. omnes enim ad tres has videntur referri diuersitates. Incipiamus autem à sensibus. Quum aliqui dicãt vanas esse sensuum passiones (nihil enim esse subiectum eorum quæ percipere videntur) alij omnia ea subiecta esse dicant à quibus se putant moueri: sunt etiã qui aliqua ex iis esse subiecta, aliqua autem minimè, dicant: cui assentiamur non habebimus. neque enim sensu controuersiam diiudicabimus (si quidem de eo disceptamus, an vana passione afficiatur, an potius verè comprehendat) nec vllo alio: quoniam nullum est aliud criterium quo iudicare oporteat, secundum propositam hypothesin. Erit igitur indiiudicabile & incomprehensibile vtrum vana passione sensus afficiatur, an aliquid comprehẽdat. Quo dato, consequitur nõ oportere nos in rebus iudicãdis à solius sensus iudicio pendêre, quũ de eo dicere non possimus an vllo modo quicquam comprehendat. Esto tamen, per concessionẽ, sensus percipiendi vim habere: nihilominus enim & hoc pacto, in iudicãdis rebus extrinsecus subiectis fide indigni esse comperientur. Nam sensus contrariè mouẽtur ab externis. exempli gratia, Gustatus ex eodem melle aliquãdo amarorẽ, aliquando dulcedinem percipit: visus quoq; eundem colorem modò sanguineum, modò album esse putat. Sed ne olfactus quidem sibi consentit: nam qui dolori capitis obnoxius est, vnguentum insuaue esse dicit: at qui se nõ ita habet, ait esse suaue. Iam verò & numine afflati ac phrenetici audire sibi videntur aliquos secum sermocinantes, quos nos non audimus: & eadem aqua inflammatione laborantibus videtur esse insuauis, propter caloris vehementiam, aliis tepida. Vtrũ igitur aliquis omnes phantasias veras esse, an partim veras partim falsas esse dicere debeat? Quanquam & omnes dicere falsas esse, impossibile est, quum non habeamus vllum criterium extra omnẽ controuersiam positum, quo iudicemus id quod aliis antepositurі simus: sed neque demonstratio vlla nobis suppetat vera & iudicata, quum adhuc quæratur veritatis iudicatorium, quo etiam veram demonstrationem diiudicari oportet. Propterea & si quis habentibus quidem se secundum naturam, esse credendum censeat, at præter naturam se habentibus, non item: absurda loquetur. Neque enim sine demonstratione hoc dicens, fidem faciet: ne autem demonstrationem verã & iudicatã habeat, obstant ea quæ diximus. Quinetiam quanuis concedat

cedat aliquis, phātaſias eorum quidem qui ſecundum naturam ſe habent, fide dignas eſſe, at eorum qui præter naturam, non item: hoc etiam modo competiet fieri non poſſe vt per ſenſus ſolos externa ſubiecta iudicentur. Viſus enim, etiam qui ſecundum naturā ſe habet turrē, interdum rotundam, interdum quadratam eſſe dicit: & guſtatus eoſdem cibos in ſaturis quidem inſuaues, at in famelicis ſuaues eſſe dicit: eodem modo & auditus eandem vocem noctu vt altam percipit, at interdiu tenuem & depreſſam. Ipſe quoque olfactus ea quæ in multis hominibus malè olere pronuntiat, in coriariis negat. Quinetiam idem tactus, ingredientibus nobis balneum calefit à paraſtade, egredientibus autem frigeſit. Itaque quum ij etiam ſenſus qui ſecundum naturam ſe habent, ſibi repugnent, ſitque hæc controuerſia indiiudicabilis, (quia non confeſſum eſt & indubitatum à quo diiudicati poſsint) eaſdem dubitationes conſequi neceſſe eſt. Alia inſuper multa ad rem hanc aſtruendā transferri ex eo loco in quo de modis epoches loquuti ſumus, poſsint. Quare nequaquam verum fuerit fortaſſe, ſolum ſenſum de externis ſubiectis iudicare poſſe.

Itaque ad intellectum orationē conuertamus. Qui igitur cenſent intellectum ſolum ſequēdum eſſe in iudicatione rerum, primùm quidem illud demonſtrare non poterunt, poſſe comprehendi eſſe intellectum. Quoniā enim Gorgias nihil eſſe dicens, ne intellectum quidem eſse dicit: alii autem eum exiſtere pronuntiant: quomodo controuerſiam diiudicabunt? neque enim intellectu (alioqui id de quo quæritur, ſimul arripient) nec vllo alio. nihil enim aliud eſse dicunt, iuxta hypotheſin nunc propoſitam, per quod res iudicentur. Indiiudicabile ergo fuerit & incomprehenſibile, ſit intellectus néc ne. Ex quo infertur non eſse ſequēdum ſolum intellectum in rerum iudicatione, quum ipſe nondum ſit comprehēſus. Sed eſto comprehenſum eſse intellectum, & pro confeſso ſit illum exiſtere, per ſuppoſitionē: ipſum res iudicare non poſse dico. Nam ſi ne ſeipſum quidē exactè perſpicit, ſed de ſubſtantia ſua, & de modo generationis, & de loco in quo eſt, ambigit: quomodo aliquid ex aliis exactè poſsit comprehēdere? Quòd ſi etiam detur intellectum eſse rerum diiudicatiuum, non inueniemus quónam pacto ſecundum eum iudicemus. Quum enim magna ſit circa intellectum diuerſitas: quoniā alius eſt Gorgiæ intellectus, ſecundum quē dicit nihil eſse: alius Heracliti, ſecundum quē dicit omnia eſse: alius eorum qui quædam eſse dicunt, quædam nō eſse: nullam diiudicādæ intellectuū differētiæ viam inueniemus,

nec

nec huius intellectum ſequendum eſſe, illius autem minimè, dicere nobis licebit. Siue enim intellectu aliquo iudicare audeamus, cõtrouerſiæ parti aſſentiẽtes, id de quo quæritur ſimul arripiemus: ſiue per aliquid aliud quàm per intellectum, fallemur: quia ſolo intellectu iudicare res oportet. Præterea ex iis quæ de criterio A quo dicebantur, demonſtrare poterimus nos neque ſolertiorem aliis intellectum inuenire poſſe: neque, licet inuenerimus & iis qui fuerunt & iis qui ſunt ſolertiorem intellectum (quia incertũ eſt an rurſum alius erit aliquando hoc ipſo ſolertior) illius ſequendum eſſe iudicium. Quinetiã quamuis ſupponamus intellectum quo nullus vnquam poſsit eſſe ſagacior, non aſſentiemur ei qui per ipſum iudicabit, metuentes ne falſam aliquam rationem proferens, eo quòd acutiſſimo præditus ſit intellectu, veram eſſe perſuadere nobis poſſit. Quamobrem ne intellectus quidẽ ſolus res iudicat. Supereſt vt *res* per vtrunque *iudicari* dicamus. quod rurſus eſt impoſſibile: tantum abeſt enim vt ſenſus tanquam duces deducant intellectum ad comprehenſionem, vt etiã aduerſentur ipſi. nam quòd mel aliis amarum, aliis dulce videatur, Democritus dixit, neque dulce neque amarum ipſum eſſe: at Heraclitus eſſe vtrunque. Eſtque in aliis quoq; ſenſibus & iis quæ ſenſibus percipiuntur, eadem ratio. Vnde fit vt à ſenſibus procedens intellectus diuerſa & pugnantia pronuntiare cogatur. hoc autem alienum eſt criterium à comprehendendi vim & facultatem habente. Deinde hoc etiam dicendum, aut omnibus ſenſibus & omnium cõtrouerſiis illos res eſſe iudicaturos, aut aliquibus. Iam ſi dixerit aliquis, omnibus, rem impoſſibilem poſtulabit, quum tanta in ſenſibus & intellectibus conſpiciatur diſcrepantia. (quinetiã quum Gorgiæ intellectus neque ſenſus neque intellectus ſequendum eſſe iudicium pronuntiet, retorquebitur oratio) at ſi aliquibus, quomodo iudicare poterunt his quidem ſenſibus & huic intellectui eſſe adhærẽdum, illis non item? quũ careant criterio de quo cõſtet, per quod diuerſitatem ſenſuum & intellectuum diiudicẽt. Sin dicant nos ſenſus & intellectus ſenſibus & intellectibus iudicaturos, aliquibus autem nõ, id de quo quæritur arripiunt. nam hoc illud eſt quod in quæſtione verſatur, an aliquis per ipſum iudicare poſſit. Sed & hoc iis quæ diximus eſt addendum, aut ſenſibus ſenſus & intellectus iudicari, aut intellectibus ſenſus & intellectus: aut ſenſibus quidem ſenſus, intellectibus verò intellectus: aut ſenſibus quidem intellectus, intellectu autem ſenſus. Si igitur ſenſibus aut intellectu vtraque iudicare volent, non amplius per ſenſum

& intel-

& intellectum iudicabunt, ſed per vnum horum quod elegerint. & eos ſupradictæ dubitationes comitabuntur. ſin ſenſibus ſenſus, & intellectu intellectus diiudicabũt, quandoquidem repugnant & ſenſus ſenſibus, & intellectus intellectibus, quencunque ceperint ex repugnantibus ſenſibus ad diiudicationem aliorum ſenſuum, id de quo quæritur arripient. Illud enim quod pars eſt controuerſiæ, tanquam fidem impetrãs, iam accipient ad diiudicationem eorum quæ perinde atq; ipſum in quæſtione verſantur. Eadem autem & in intellectibus ratio. At ſi ſenſibus quidem intellectus diiudicent, ſenſus autem intellectu, diallelus modus eſſe comperitur: ſecundum quem, vt ſenſus diiudicẽtur, oportet prius diiudicatos eſſe intellectus: vt verò intellectus examinẽtur, ſenſuum examen prius fiat neceſſe eſt. Quandoquidem igitur criteria neque ab eiuſdem generis criteriis diiudicari poſſunt, neque vtrunque genus ab vno, ſed nec à diuerſi generis criteriis permutatim: intellectum intellectui, aut ſenſum ſenſui præferre nõ poterimus: ideoque per quod iudicemus, nihil habebimus. Si enim neq; omnibus ſenſibus & intellectibus iudicare poterimus, nec ſciemus quibus iudicare oporteat, quibus non: nihil per quod res iudicemus, nobis relinquetur. Itaque etiam his de cauſis criterium Per quod, nequaquam exiſtere poſſit.

De criterio Secundum quod. CAP. 7.

DISPICIAMVS ergo deinceps criterium ſecundum quod res iudicari dicunt. Illud certè primùm dicere de eo licet, phãtaſiam nos imaginari non poſſe. dicunt enim phantaſiam eſſe impreſſionem in hegemonico. Quum igitur anima & hegemonicum ſpiritus ſint, aut tenuius quiddam ſpiritu (vt aiunt) non poterit quiſquam impreſsionẽ in ipſo imaginari, nec per prominẽtiam, nec per depreſsionẽ in profundum, vt in ſigillis videmus. nec verò per eã quæ miraculosè configitur heterœoticam. neque enim recordationem recipiat tot theorematum quę artem conſtituunt, quandoquidem per ſuperuenientes poſtea heterœoſes, priores delerentur. Quinetiam ſi poſſemus imaginari phantaſiam, nihilominus incomprehenſibilis foret: quoniã eſt paſsio hegemonici: quum autem hegemonicum non comprehendatur, vt oſtendimus, ne eius quidem paſsionem comprehendemus. Deinde etiamſi concedamus comprehendi phantaſiam, non poſſunt tamen per eam res iudicari. non enim per ſeipſam applicat ſe ad externa, & phantaſias concipit, vt aiunt, ſed per ſenſus. at verò ſenſus externa quidem ſubiecta non comprehendunt, ſed ſolas ſuas paſsiones.

nes. ergo etiam phantaſia erit paſsionis ſenſus: quod differt ab externo ſubiecto. non enim idem eſt mel, eo quòd dulcedinem ex eo percipiam: & abſinthium, ex eo quòd amarorem. ſed differt. Si autē differt paſsio ab externo ſubiecto, phantaſia erit nō externi ſubiecti, ſed alicuius alius diuerſi ab ipſo. Si igitur ſecundum hanc iudicet intellectus, prauè iudicabit & non ſecundum ſubiectum. Quocirca dicere externa iudicari ſecundum phantaſiam, abſurdum fuerit. Sed ne hoc quidem dici poteſt, animum comprehendere per ſenſiles paſſiones externa ſubiecta, propterea quòd ſimiles ſint paſſiones ſenſuū externis ſubiectis. Vnde enim ſciet intellectus an ſimiles ſint paſſiones ſenſuum iis quæ ſenſu percipiuntur, quum neque ipſa cum externis quicquam commercij habeat, nec ſenſus ſuam ipſorum naturam illi declarent, ſed ſuas paſsiones? ſicut ex modis epoches ratiocinatus ſum. Quemadmodum enim qui ignorat quidem Socratem, ſed eius imaginem conſpexit, neſcit an ſimilis ſit imago Socrati: ſic & intellectus paſsiones quidem ſenſuum ſubaſpectās, externa autem non intuens, ne hoc quidem ſciet, an paſsiones ſenſuum externis ſubiectis ſimiles ſint. Ergo ne per aſsimilationem quidem poterit hæc iudicare ſecundum phantaſiam. Sed tamen demus per conceſsionem, non ſolùm imaginari nos poſſe phantaſiam & comprehendere, ſed etiam capacem ferendi de rebus iudicij eſſe (quanuis noſtra diſputatio omnino contrarium docuerit) conſequetur, aut omni phantaſiæ fidem habendam eſſe, ſecundum quam omnes phantaſias fide indignas eſſe dicebat, & eò retorquebitur oratio vt dicat non omnes phantaſias fidem mereri, ita vt etiam ſecūdum eas iudicari res poſsint. At ſi aliquibus *duntaxat* phantaſiis *credendum eſſe dicamus*, quomodo diiudicabimus his quidem phantaſiis eſſe fidem adhibendam, illis autem minimè? Si enim abſque phantaſia *iudicauerint*, phantaſiam ad iudicium de rebus ferendum ſuperuacaneam eſſe concedent, ſiquidem ſine ea poſſe res aliquas iudicari dicent: ſin cum phantaſia *iudicare res* oportebit, quomodo illam phantaſiam ſibi ſument quam ad aliarum phantaſiarum diiudicationem accipiunt? Aut rurſum ipſi alia phantaſia ad diiudicationem aliarum phantaſiarum opus erit, & ad illius diiudicationem, alia: & in infinitum. Impoſsibile eſt autē infinita diiudicare. Impoſsibile igitur eſt inuenire quibus phantaſiis vt criteriis oporteat vti, quibus minimè. Quandoquidem igitur, ſiue concedamus ſecundū phantaſias res eſſe iudicandas, vtrinque retorquetur oratio, & ex eo quòd omnibus credat, & ex eo quòd quibuſdam credat, quibuſdā nequaquam:

quam:

quam: hinc colligitur non debere phantasias ad diiudicationem rerum tanquam criteria accipi. Hæc, vt in hypotyposi, respondisse sat erit ad criterium, etiã secundum quod res iudicari dicebantur. Sciendum est autem, nobis non propositum esse ostendere inexistens esse veritatis criterium: (hoc enim dogmaticum est) sed quoniã Dogmatici probabiliter videntur astruxisse, esse aliquod veritatis criterium, nos eis rationes quæ probabiles videntur, opposuimus: non tamen eas esse veras nec contrariis probabiliores, affirmantes, sed propter probabilitatem quam videntur habere parem & hæ rationes & illæ quæ à Dogmaticis positæ sunt, ad epochen deuenientes.

De vero & veritate. CAP. 8.

QVÒD si etiam per suppositionem concedamus aliquod esse veritatis criterium, inutile comperitur esse & vanũ, si doceamus, vel ex iis ipsis quæ à Dogmaticis dicuntur, nõ existere veritatem, nec posse subsistere verum. Sic autem docemus. Dicitur differre verum à veritate trifariam, substantia, constitutione, potentia. Substantia quidem, quia verum, incorporeum est: (siquidem pronuntiatum est & in verbo consistit) at veritas, corpus. Est enim scientia omnium verorum pronuntiatiua. Scientia autẽ est hegemonicum, quatenus certo quodam modo se habet: quemadmodum certus quidam manus habitus, est pugnus. at hegemonicum est corpus. est enim secundum eos spiritus. Constitutione autem *dicitur verum à veritate differre*, eo quòd verum quidem simplex sit quiddam, vt, Ego disputo: veritas autẽ ex multorum verorum cognitione constet. Potentia verò, quoniã veritas quidem scientiæ adhæret: at verum, non necessariò. vnde fit vt veritatem quidem in solo virtutis studioso dicant esse, verum autem etiam in improbo. contingere enim potest vt improbus veri aliquid dicat. Et hæc quidem Dogmatici. nos autem vicissim, instituti operis rationem habentes, ad solum verum orationem dirigemus: quia hoc includitur etiam veritas quæ accumulatio cognitionis verorum esse dicitur. Rursum autem quia rationum aliæ sunt generaliores, quibus ipsam subsistentiam veri attentamus: aliæ speciales, quibus ostendimus ipsum verum non esse in voce, aut in dicibili, aut in notione intellectus; generaliores exponere in præsentia satis esse putamus. Quemadmodum enim quum muri fundamentum ruinam dedit, omnia etiam superimposita corruunt: sic veri subsistentia sublata, etiam particularia Dogmaticorum commenta vnà excluduntur.

An aliquid sit natura verum. CAP. 9.

QVVM igitur controuersia sit de vero inter Dogmaticos, quoniam nonnulli quidem aliquid verum esse dicunt, nonnulli autem nihil esse verum, fieri non potest vt diiudicetur controuersia: quoniam qui dicit esse aliquid verum, si absque demonstratione hoc dicat, fidẽ non obtinebit, propter controuersiam: sin demonstrationem afferre velit, si falsam hanc esse fassus fuerit, fides ei non habebitur. at si demonstrationem esse veram dicat, in diallelum modum incidit. Et demonstratio ab eo postulabitur qua demonstret veram illam esse, & huius quoque alia, & vsque in infinitum: impossibile est autem infinita ostendere: itaque impossibile quoque est cognoscere esse aliquid verum. Quinetiam ipsum Aliquid, quod omniũ generalissimum esse dicunt, aut verum aut falsum est: aut neque verum, neque falsum: aut verum simul & falsum. Si ergo falsum ipsum esse dicẽt, falsa esse omnia fatebuntur. Quemadmodum enim quia aliquod animal animatum est, particulatim quoque omnia animalia animata sunt: eodem modo si generalissimum omnium aliquod, falsum est, omnia quoq; particularia erunt falsa, & nihil verum. Ex quo etiã concluditur nihil esse falsum. nam hæc propositio, Omnia sunt falsa, & hæc, Est aliquid falsum, quum sub appellatione omnium cõtineatur, erit falsa. Quòd si verum sit aliquid, vera erũt omnia. ex quo infertur rursus nihil esse verum. si quidem & istud ipsum, nimirum nihil esse verum, (quod est aliquid) sit verum. At si & verum & falsum est Aliquid, vnumquodq; particularium & falsum erit & verũ: ex quo infertur, nihil natura verũ esse. nam quod naturam talem habet vt verum sit, nullo modo possit esse falsum. At si nec falsum nec verum est aliquid, pro confesso est omnia particularia, quæ neque falsa neque vera esse dicũtur, vera nequaquam futura. Quare & propter hęc incertum nobis erit an sit verum. Insuper verò, aut ea demum quæ apparent, sunt vera, aut ea solum quæ incerta sunt: aut verorum alia incerta sunt, alia sunt apparentia. at nihil horum verum est, vt demonstrabimus: nihil igitur est verum. Nam si apparentia solùm sint vera, vel omnia apparẽtia dicent esse vera, vel aliqua. & si quidẽ omnia, retorquetur oratio. ait enim, Apparet nihil esse verum. Sin aliqua, absque diiudicatione quidẽ nemo dicere potest, hæc esse vera, illa autem falsa: at iudicatorio vtens, aut apparens esse dicet hoc iudicatorium, aut incertum. & incertum quidem nequaquam *dixerit*. sola enim apparentia nunc supponuntur esse vera. Sin autem apparens *dicat esse*, quoniam quæ apparentia sint

vera,

vera, quæ item falsa, ambigitur, etiam illud apparens quod ad diiudicationem apparentium sumetur, rursum alio iudicatorio apparente egebit, & illud alio, & vsque in infinitum. atqui impossibile est infinita diiudicare. Impossibile igitur etiam est an vera sint apparentia solùm, comprehendere. Itidem qui incerta sola esse vera dicit, omnia quidem esse vera non dixerit: (non enim etiam parem esse stellarum numerum, verum esse dicet, aut imparem) sin autem *dicet* aliqua, vnde hæc quidem incerta esse vera, illa autem falsa diiudicabimus? aliquo enim apparente nequaquã *diiudicetur*. At si per incertum inuestigemus quæ ex incertis sint vera, & quæ falsa, nimirum opus habebit & hoc incertũ alio incerto quod diiudicet ipsum, & illud alio, & vsque in infinitum. Quamobrem neque incerta solùm sunt vera. Huc ergo redigimur vt vera partim apparentia, partim incerta esse dicamus. Sed hoc quoque absurdum est. Nam aut omnia & apparẽtia & incerta sunt vera, aut quædam ex apparentibus, & quædam ex incertis. Si igitur omnia, rursum retorquebitur oratio, quũ verum etiã hoc esse concedatur, Nihil esse verum. dicetur autem verum etiam hoc, nimirum parem esse stellarum numerum, & illud quoque, esse imparem illarum numerum. At si aliqua eorum quæ apparent, & aliqua eorum quæ incerta, vera sunt, quĩ diiudicabimus ex apparẽtibus hæc quidem esse vera, illa autem falsa? Si quidẽ per apparens, in infinitum protrahitur oratio: sin per incertum, quoniam etiam incerta iudicatione indigent, rursum hoc incertum per quod iudicabitur? Si quidem per apparẽs, comperitur modus diallelus: sin per incertum, modus ad infinitum compellens. Itidem verò & de incertis dicendũ est. nam qui aliquo incerto iudicare ipsa aggreditur, in infinitum extruditur: at qui apparente, aut semper assumens apparens, ad infinitũ: aut ad incertum transiens, ad diallelum *modum compellitur*. Falsum est ergo quod dicitur, verorum alia esse apparentia, alia incerta. Si igitur neque apparentia vera sunt, neque incerta sola, nec quæpiam ex apparentibus, quæpiam ex incertis: nihil est verum. At si nihil est verum, criterium autem videtur ad iudicationem veri conducere, inutile & vanum est criterium: etiamsi demus per cõcessionem ipsum habere aliquam subsistẽtiam. Quòd si assensum retinere oportet de hoc, an sit aliquid verũ, inde colligitur eos qui dicunt Dialecticen esse scientiam falsorum & verorum, & neutrorum, temerariè loqui. Quum autem criterium veritatis nullo modo posse inueniri patuerit, non amplius neque de iis quę perspicua esse putantur (iuxta Dogmaticorum

verba) neque de incertis quiſquam aſſeueratione affirmare poſſit. Quum enim ex perſpicuis ſe hæc comprehendere Dogmatici arbitrentur, ſi de iis quæ perſpicua vocantur, aſſenſum retinere cogamur, quomodo de incertis pronuntiare audeamus? Ex abundanti tamen etiā rebus incertis peculiariter rationes noſtras opponemus. & quoniam hæ per ſignum & demonſtrationē comprehendi & firmæ reddi videntur, de ſigno quoque & de demonſtratione retinendum eſſe aſſenſum docebimus. Incipiamus autem à ſigno: nam demonſtratio generaliter videtur eſſe ſignum.

De ſigno. CAP. 10.

Ex rebus igitur (ſecūdum Dogmaticos) aliæ ſunt certæ, aliæ incertæ: & incertarum, aliæ omnino incertæ, aliæ ad tempus incertæ, aliæ natura incertæ. Certas eſſe dicunt quæ ex ſeipſis in notitiam nobis veniunt, qualis eſt hæc, Diem eſſe. Prorſus autem incertas, quarū natura non fert vt ſub noſtram cadant comprehenſionem, vt, Stellarū numerum eſſe parem. Ad tempus autem incertas, quæ quum alioqui naturam habeant euidentem, tamen propter aliqua extrinſecus accidentia, ad tempus nobis incertę fiunt, vt mihi nunc Athenienſium ciuitas. Natura autem incertæ, quarum natura non permittit vt euidentes nobis ſint: vt pori quos imaginamur. hi enim nunquam ex ſeipſis conſpiciuntur, ſed ex aliis comprehendi exiſtimare quis poſſit, nimirum ex ſudoribus aut aliqua re huiuſmodi. Res igitur certas nō egere ſigno dicunt (ex ſeipſis enim eas comprehendi) ſed neque eas quæ prorſus incertæ ſint, quòd nullo modo comprehēdantur: ſed eas quæ ad tempus ſint incertæ, & quę natura incertæ, per ſigna quidem comprehendi, non tamen per eadem, ſed eas quidem quę ad tempus ſunt incertæ, διὰ τῶν ὑπομνηστικῶν. i. *per commonefactoria, ſiue admonitoria.* quæ autem natura ſint incertæ, διὰ τῶν ἐνδεικτικῶν. i. *per indicatoria.* Signorum igitur alia ſunt commonefactoria, ſecundum eos, alia indicatoria. Commonefactorium vocant quod vnà obſeruatum cum ſigno quod eſt per euidentiam, ſimul atque ſub ſenſus noſtros ceciderit, quum illud interim incertum ſit, ducit nos ad recordationem eius quod vnà cum eo obſeruatum fuit, & nunc euidens ſub ſenſus non cadit, vt videre eſt in fumo & igne. Indicatorium autē ſignum eſt, vt aiūt, quod non obſeruatum vnà cum ſigno quod eſt per euidentiam, ſed ex propria natura & conſtitutione, ſignificat id cuius eſt ſignum: quemadmodum motus qui ſunt circa corpus, ſigna ſunt animæ. Vnde hoc ſignum ita definiunt, Signum eſt demōſtratiuum pronuntiatū in vero

coniun-

coniuncto præcedens, à quo id quod desinit detegitur. Quum igitur duplex sit signorum differentia, vt diximus, non omni signo contradicimus, sed soli demõstratiuo, vtpote quod à Dogmaticis cõfictum esse videatur. nam admonitorium fidem in vita communi obtinet. Quisquis enim fumum vidit, signum ignis animo concipit: & cicatricem intuitus, vulnus fuisse dicit. Vnde non solùm non aduersamur vitæ communi, sed etiã ipsi patrocinamur: ei quidẽ quod apud ipsam impetrat fidem, assentientes citra vllam opinionem: iis verò quæ peculiariter à Dogmaticis confinguntur, repugnantes. Hæc erant ea quæ ad eius quod quæritur explicationem antea proloqui conueniebat. nunc autem ad refutationem rectà tendamus, non inexistens ostendere iudicatorium signum omnino studentes, sed apparentem æqualem vim rationum quæ & ad existentiam eius & ad inexistentiam tendunt, commemorantes.

An sit aliquod signum indicatorium. CAP. II.

SIGNVM ergo, quantũ attinet ad ea quæ dicunt de illo Dogmatici, imaginari non possumus. Ac, ne longius abeam, Stoici ipsi, qui exactè de eo disseruisse videntur, imaginationem signi ostendere volentes, dicunt signum esse axioma in vero coniuncto antecedẽs, quo detegitur id quod desinit. Et axioma quidem esse aiunt λεκτὸν, i. *dicibile, vel, in dicto seu dictione consistens:* per se perfectum, pronuntiabile, quantum in seipso. Verum autem coniunctum, quod non incipit à vero, & in falsum desinit. Nam coniunctum *siue connexum* aut incipit à vero & desinit in verum: (vt, Si dies est, lux est) aut incipit à falso, & desinit in falsum: (vt, Si volat terra, alata est terra) aut incipit à vero, & desinit in falsum: (vt, Si est terra, volat terra) aut incipit à falso, & desinit in verũ, vt Si volat terra, est terra. Ex his autem vnicum vitiosum esse dicunt, id videlicet quod à vero incipit & in falsum desinit, reliqua autem vera. Antecedens verò vocant, quod in connexo incipiente à vero & desinente in verum, præcedit. Detectiuum est autem desinentis, quia in hoc connexo, Si ista lac habet, cõcepit, hæc verba, Concepit ista, esse videantur declaratiua illorum, Ista lac habet. Hæc quidem isti. Nos autem primùm dicimus incertum esse an sit dicibile. Quoniam enim ex Dogmaticis Epicurei quidem dicibile esse negant, Stoici autem contrà, quum dicunt Stoici esse aliquid dicibile, aut solà enuntiatione, aut simul demonstratione vtuntur. Si sola enuntiatione *vtentur*, opponẽt ipsis Epicurei enuntiationem quæ dicit Nihil esse dicibile. Sin demonstrationem asument,

quia ex axiomatibus dicibilibus constat demonstratio, ex dicibilibus constans non poterit assumi ad probãdum esse aliquid dicibile. qui enim non concedit esse quicquam dicibile, quomodo esse dicibiliũ congeriem concedet? Ergo ex controuerso confirmare vult controuersum, quisquis ex existentia congeriei dicibilium conatur astruere aliquid esse dicibile. Si ergo neque simpliciter, neque cum demonstratione ostendi potest esse aliquid dicibile, incertũ est an sit aliquid dicibile: itidem & an sit axioma. dicibile enim est axioma. Sed fortasse etiamsi per suppositionẽ aliquid esse dicibile concedatur, axioma inexistens esse comperitur, quod constat ex dicibilibus inter se non coexistentibus. Exempli gratia, in his Si dies est, lux est: quum dico, Dies est, nondum est, Lux est. & quum dico, Lux est, nondũ est, Dies est. Si igitur ea quæ ex aliquibus composita sunt, existere non possunt nisi partes eius aliæ cum aliis coexistãt, at verò partes ex quibus axioma compositum est, non coexistunt aliæ cum aliis, non existet axioma. Vt autem hæc quoque omittamus, bonum connexum incomprehẽsibile reperietur. nam Philo dicit minimè vitiosum esse connexum quod non incipit à vero, & desinit in falsum: vt, Die existente & me disputante: hoc, Si dies est, ego disputo. At Diodorus ait, Quod neque poterat neque potest incipiens à vero desinere in falsum. Secundum quem, illud quidem connexum quod diximus, falsum esse videtur, quia, Die quidem existente, me autem tacere incipiente, à vero incipiens in falsum desinit. At illud, verum est, Si non sint indiuidua rerum elementa, sunt indiuidua rerum elementa. semper enim à falso incipiens, (quod est, Non esse indiuidua rerum elementa) in verum desinet, illius iudicio, quod est indiuidua esse rerum elementa. At qui synartesin inducunt, minimè vitiosum connexum esse aiunt, quum id quod oppositũ est ei quod in illo desinit, ei quod in illo præcedit aduersatur. Secundũ quos ea quæ iam dicta sunt connexa, erunt vitiosa, illud autem verum, Si dies est, dies est. At qui ex emphasi iudicant, verum esse connexum dicunt, in quo id quod desinit, includitur potentia in præcedente: secundũ quos, hoc, Si dies est, dies est: & omne conduplicatum axioma connexum fortasse falsum erit. nam aliquid in seipso comprehendi impossibile est. Hæc igitur controuersia indiiudicabilis videri possit. neq; enim sine demonstratione proferentes aliquam prædictarum enunciationum, fide digni erimus nec cum demonstratione. Nam demonstratio tum demum esse videtur minimè vitiosa, quum eius conclusio sequitur eius per

sumptio-

ſumptiones conſertionẽ, vt deſinens id quod præcedit: hoc modo, Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, lux eſt igitur. Si dies eſt, lux eſt: & dies eſt, & lux eſt. Quum autẽ quæritur quomodo diiudicabimus conſequentiā deſinentis ad præcedēs, diallelus modus eſſe comperitur. nā vt diiudicatio connexi demonſtretur, concluſio ſumptiones demonſtrationis ſequitur, ſicut antea diximus. vt viciſſim hoc credatur, oportet connexũ & conſequentiā diiudicatam eſſe. quod abſurdũ eſt. Incomprehēſibile eſt igitur verũ connexum. Sed & pręcedentis nulla iniri ratio poteſt. nam præcedens (vt aiunt) eſt quod præit in eo connexo quod incipit à vero & deſinit in verũ. Quòd ſi declaratiuum eſt deſinẽtis ſignum, aut manifeſtum eſt deſinens, aut occultũ. ſi manifeſtum, non egebit declarante, ſed vnà comprehendetur cũ eo: nec eſt eius ſignificatũ, adeoq; nec illud huius ſignum. quòd ſi occultũ, quia de occultis cõtrouerſia eſt indiiudicabilis, quænā ex eis ſint vera, quę falſa, & an vllo modo ſit aliquid eorum verũ, incertũ erit an ſit verum quod dicit connexum. Cum quo & hoc colligitur etiā incertum eſſe an ſit antecedens id quod in eo præit. Sed (vt hæc quoque omittamus) non poteſt declaratiuum eſſe deſinentis, ſi quidem ad ſignum, eſt ſignificatũ, & propterea vnà cum eo comprehenditur. Eorũ enim quæ ſunt ad aliquid, alterum cũ altero comprehenditur. & quemadmodum dextrum ante ſiniſtrum comprehendi non poteſt, tanquam dextrum ſiniſtri: nec è cõuerſo: & itidem in aliis quæ ſunt ad aliquid: ſic neq; ſignum ante ſignificatũ comprehendi poteſt. Quòd ſi non comprehenditur ſignum ante id quod ſignificatur, ne declaratiuum quidem eius eſſe poteſt quod cũ ipſo & non poſt ipſum comprehenditur. Itaq; ex iis quæ vulgò dicuntur ab illis qui inter ſe contendunt, ſignũ eſt huiuſmodi quod ſub intellectũ cadere non poſſit. nā ipſum dicunt eſſe ad aliquid, & declaratiuum ſignificati, ad quod ipſum eſſe aiunt, vnde conſequitur, ſi quidem eſt ad aliquid & ad ſignificatum, neceſſe eſſe vt vnà cum ſignificato percipiatur: vt ſiniſtrum vnà cũ dextro, & quod deorſum vnà cum eo quod ſurſum eſt: & vt alia quæ ſunt ad aliquid. At ſi declaratiuum eſt ſignificati, neceſſe eſt vt ante ipſum comprehēdatur, vt antè cognitum nos ad notionem ducat rei quæ ex ipſo cognoſcitur. Atqui impoſſibile eſt intellectu percipere rem quæ non poſſit ante ipſum cognoſci, quam neceſſe non ſit prius comprehendi. Impoſſibile eſt igitur intellectu percipere quicquam quod & ſit ad aliquid, & eius ſit declaratiuũ ad quod intelligitur. At ſignum dicunt eſſe ad aliquid, & declaratiuum ſignificati. Ex quibus

cõſequitur fieri nulla ratione poſse vt in intellectu aliquam ſigni informationem habeamus. Quibus hoc addi debet, Cõtrouerſia fuit ætate ſuperiori, quum alij dicerent eſse aliquod ſignum indicatoriũ, alij vllum eſse negarent. Qui igitur dicit eſse aliquod ſignum indicatorium, aut ſimpliciter & ſine demõſtratione dicet, nuda enuntiatione vtens: aut cum demõſtratione. Si ſola enuntiatione vtetur, fide carebit: ſin demonſtrare volet, id de quo quæritur arripiet. Quandoquidẽ enim demonſtratio genere ſignum eſſe dicitur, quũ dubitetur ſit aliquod ſignũ nécne, dubium erit etiam ſit demonſtratio nécne. Sicuti (vt hoc ſupponamus) ſi quæritur an ſit animal, quæritur & de hoc, an ſit homo. animal enim eſt homo. Abſurdũ eſt autem, id quod quæritur, per id quod pariter quæritur, aut per ſeipſum demonſtrare. Ergo ne demõſtrationem quidẽ poterit quiſquam affirmare eſſe ſignum. Quòd ſi nec ſimpliciter, nec cum demonſtratione poteſt de ſigno affirmatiuè pronuntiari, impoſſibile eſt de eo comprehẽſiuam pronuntiationẽ facere. Quòd ſi nõ comprehenditur exactè ſignum, ne ſignificatiuũ quidem eſſe dicetur vllius, quũ neque de eo conſtet. Propterea nec ſignum quidem erit. Secundum hanc ratiocinationẽ ergo, & inexiſtens erit ſignum, & huiuſmodi quod intellectu aſſequi *ſeu imaginari* nequeamus. Illud tamen inſuper dicendum eſt, Aut apparentia ſolùm ſunt ſigna, aut incerta: aut ex ſignis alia apparẽtia, incerta alia. at nihil éſt horum verum. non eſt igitur ſignũ. Nam incerta nõ eſſe omnia ſigna, hinc oſtẽditur. Incertũ non ex ſeipſo apparet (vt Dogmatici aiunt) ſed per aliud ſub ſenſus cadit. ergo & ſignum ſi incertum ſit, alio ſigno egebit, quod & ipſum incertum ſit: (ſi quidẽ, ſecundum propoſitam hypotheſin, nõ eſt vllum ſignum apparens) & illud alio, & vſque in infinitũ. At impoſſibile infinita ſigna accipere. Impoſſibile eſt igitur ſignum comprehendi, quum ſit incertum. propterea etiam inexiſtens erit, quum non poſſit ſignificare aliquid, atq; ſignũ eſſe, eo quòd non comprehendatur. Quòd ſi omnia ſigna apparentia ſunt, quoniam & ſignum eſt ad aliquid, & ad ſignificatum: eorũ autem quæ ſunt ad aliquid, alterum cum altero vnà comprehenditur: ea quæ ſignificata eſſe dicuntur, ſi comprehẽdantur cũ apparentibus, apparẽtia erunt. Quemadmodum enim quum vnà ſub ſenſus noſtros cadũt dextrum & ſiniſtrum, non magis dextrũ quàm ſiniſtrum, aut ſiniſtrum quàm dextrũ dicitur apparere: ita ſi vnà comprehendãtur ſignũ & res quæ per ipſum ſignificatur, non magis ſignũ quàm id quod per ipſum ſignificatur, apparere dicẽdum eſt. Quòd ſi apparẽs

ſit ſignificatum, ne ſignificatum quidem erit, quum non egeat alio à quo ſignificetur & à quo declaretur. Vnde, quemadmodum ſublato dextro, ne ſiniſtrum quidem exiſtit, ita ſublato ſignificato ne ſignum quidem exiſtere poteſt. Itaque inexiſtens eſſe ſignum comperitur, ſi quis ſigna dicat tantùm eſſe apparẽtia. Supereſt igitur vt ex ſignis alia apparentia, alia incerta eſſe dicantur. Sed hoc quoque modo in iiſdem dubitationibus hærebimus. Nam apparentium ſignorum ea quæ dicuntur eſſe ſignificata, apparentia erunt, vt diximus: &, ſi non egeant vllo à quo ſignificentur, ne ſignificata quidem eſſe poterunt. Vnde ne illa quidẽ, ſigna erunt, vtpote nihil ſignificantia. Signa autem incerta opus habentia declarari, ſi quidem ab incertis ſignificari dicantur, quum oratio in infinitum exeat, incomprehenſibilia comperiuntur, & propterea inexiſtentia, vt antea diximus. at ſi ab apparentibus, ipſa quoque apparentia erunt, vtpote quæ cum apparentibus ipſorum ſignis comprehendantur: ideoq; inexiſtentia. fieri enim non poteſt vt res vlla incerta ſit natura, & appareat. At ſigna de quibus loquimur, quum ſuppoſita ſint eſſe incerta, apparentia eſſe comperimus, retorquendo orationem. Si ergo nec omnia ſigna apparentia ſunt, nec omnia incerta: nec ſignorum quædã ſunt apparẽtia, quędã incerta, & præter hæc nihil eſt, vt ipſi quoque aiunt, inexiſtentia erunt ea quæ ſigna vocantur. Hęc igitur pauca de multis nunc dixiſſe ſat erit ad docendum non eſſe ſignum indicatiuum. Deinceps aut rationes exponemus quibus doceri poſſit aliquod eſſe ſignũ, vt ęquipollentiam contrariarum rationum oſtendamus. Aut igitur ſignificant aliquid voces quæ contra ſignum afferuntur, aut nihil ſignificãt. & ſi quidem inſignificabiles ſunt, quomodo labefactare poſsint exiſtentiam ſigni? Sin autem ſignificant quid ſit ſignum, aut demonſtratiuæ ſunt rationes quæ aduerſus ſignum afferuntur, aut non demonſtratiuæ. ſi non ſunt demonſtratiuæ, nõ demonſtrant non eſſe ſignũ: ſin demõſtratiuæ, quoniam demonſtratio genere eſt ſignũ, declararatiua concluſionis, erit ſignum. Vnde & huiuſmodi oratio proponitur, Si aliquod eſt ſignum, eſt ſignum: &, Si non eſt ſignum, eſt ſignũ. Nam hoc, Non eſſe ſignum, per demonſtrationem (quæ quidem eſt ſignum) oſtenditur. Porrò autem eſt ſignum, aut non eſt ſignum. Eſt ergo ſignum. Hanc autem orationem conſequitur talis oratio, Si nõ eſt aliquod ſignum, nõ eſt ſignum: &, Si eſt ſignum quod dicunt Dogmatici ſignum eſſe, non eſt ſignum. nam ſignum de quo agitur, ſecundum imaginationem eius, & ad aliquid eſſe dictum, & declara-

tiuum ſignificari, inexiſtens comperitur, vt oſtendimus. Porrò aut eſt ſignum, aut non eſt ſignum: non eſt ergo ſignum. De vocibus autē quæ de ſigno proferuntur, reſpondeant ipſimet Dogmatici, ſignificent aliquid néc ne. nam ſi nihil ſignificant, non confirmatur eſſe ſignum: ſin autem ſignificant, eas ſequetur ſignificatum. Hoc autem erat eſſe aliquod ſignum, ex quo conſequitur eſſe ſignum, vt docuimus, orationem retorquendo. Iam quum & ad oſtendendum eſſe ſignum, & ad oſtendendum non eſſe, rationes æquè probabiles afferantur, non magis eſſe ſignum, quàm non eſſe, dicendum eſt.

De demonſtratione. CAP. 12.

MANIFESTVM eſt igitur ex his ne demonſtrationem quidem rem eſſe de qua conſtet. nam ſi de ſigno aſſenſum retinemus, & ipſa quoque demonſtratio ſignum aliquod eſt: etiam de demonſtratione aſſenſum retinere neceſſe fuerit. comperiemus enim orationes quæ de ſigno propoſitæ ſunt, etiam aduerſus demōſtrationem aptari poſſe. Quia & ad aliquid eſſe videtur, & declaratiua cōcluſionis: ex quibus ſequebantur ea ferè omnia quæ aduerſus ſignum diximus. Si tamen & ſeorſim de demōſtratione verba facere oporteat, paucis eius tractationem expediā: ſi prius breuiter explicare conatus fuero quid dicant eſſe demonſtrationem. Eſt ergo (vt aiunt) demonſtratio oratio per confeſſas & indubitatas ſumptiones per collectionem, concluſionem declarans incertam. Sed ex his apertius erit quod dicunt, Oratio eſt quæ conſtat ex ſumptionibus & concluſione. Huius autē ſumptiones eſſe dicuntur axiomata, quæ ex conſenſu ad aſtruendam concluſionem accipiuntur. ἐπιφορὰ autem vel συμπέρασμα *.i. illatio ſeu concluſio*, eſt axioma quod ex ſumptionibus aſtruitur: vt in his, Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, ergo lux eſt: iſtud quidem, nempe, Ergo lux eſt, pro concluſione eſt: reliqua autem, ſumptiones. Orationum autē aliæ ſunt συνακτικαὶ *.i. colligendi vim habētes*: aliæ ἀσύνακτοι *.i. quæ collectiuā vim non habent.* Colligendi vim habent, quando connexum quod incipit à ſumptionibus orationis conſertè poſitis, & definit in concluſionem eius, verum eſt. Exempli gratia, oratio ſupradicta colligendi vim habet, quia hanc ſumptionum eius factam conſertionem, Dies eſt, &, ſi dies eſt, lux eſt, conſequitur, Lux eſt, in hoc connexo, Si dies eſt, lux eſt. Colligere autē non poſſunt quæ non ita ſe habent. Porrò ex ſynacticis aliæ ſunt veræ, aliæ nō veræ. Veræ quidem, quum nō ſolum connexum ex ſumptionū conſertione & concluſione (vt diximus) verum eſt, ſed etiam concluſio & id quod ex ſumptionibus eius

conſer-

consertum est, verum est, quod præcedit in connexo. Verum autem consertum est quod omnia habet vera: vt hoc, Dies est, &, si dies est, lux est. Non veræ autem *sunt orationes synacticæ. i. collectoriæ*, quæ hanc formam nõ habent. Talis enim oratio, Si nox est, tenebræ sunt: atqui nox est: ergo tenebræ sunt: est quidem synactica (quia cõnexum hoc verum est, Nox est, &, si nox est, dies est) non tamen vera. nam præcedens consertum est falsum, hoc videlicet, Nox est, &, si nox est, tenebræ sunt: quum in seipso falsum hoc habeat, Nox est. falsa enim est verborum consertio quæ in seipsa habet falsum. Vnde & veram orationem esse dicunt eã quæ ex veris sumptionibus veram colligit conclusionem. Rursum autem verarum orationum aliæ sunt demõstratoriæ, aliæ non demonstratoriæ: & demonstratotiæ quidem, quæ per certa colligunt aliquid incertum: non demonstratoriæ autem, quæ non sunt tales. Vt hęc quidem oratio, Si dies est, lux est: atqui dies est, lux est ergo: non est demõstratiua. nam lucem esse (quæ est eius conclusio) certum est. Talis autem, Si sudores fluunt per superficiẽ, pori intellectu percipi possunt: atqui sudores fluunt per superficiem: ergo pori intellectu percipi queunt: demonstratiua est: quippe quæ conclusionem habeat incertam, hanc, Pori ergo intellectu percipi possunt. Ex iis autem quæ aliquod incertum colligunt, aliæ ephodeuticè tantùm ducunt nos per sumptiones ad conclusionem: aliæ ephodeuticè simul & declaratiuè. Ephodeuticè, quæ ex fide & memoria pendere videntur, qualis est hæc, Si quis tibi dixit fore vt iste ditesceret, iste ditescet. Hic autem deus (ostẽdo autem per suppositionem, Iouem) dixit fore vt iste ditesceret. ditescet ergo iste. Assentimur enim conclusioni, nõ tam propter sumptionum necessitatem, quàm quòd credamus Dei pronuntiationi. Aliæ non solum ephodeuticè, sed etiam declaratiuè ducunt nos ad conclusionẽ, vt hæc, Si fluunt sudores per superficiẽ, poros imaginari possumus: atqui prius, ergo & posterius. Nã fluere sudores, est declaratiuũ huius, videlicet poros esse: quòd præoccupata sit in animo illa opinio, per solidum corpus humidum non posse ferri. Ergo demonstratio, & oratio esse debet, & synactica, & vera, & incertam habens conclusionem, sed quæ declaretur à potentia sumptionum. atque ideo dicitur demonstratio esse oratio quæ per collectionem, cõclusionem declarat incertam. Et hæc sunt quibus demonstrationis notionem explicare solent.

An sit demonstratio. CAP. 13.

DEMONSTRATIONEM autem esse inexistentem, colligi ex iis

quæ dicunt, poteſt, ſi quis vnumquodq; eorum quæ in notione comprehenduntur euertat. Verbi gratia, Oratio ex axiomatibus conſtat: res autem compoſitæ non poſſunt exiſtere niſi ea ex quibus conſtãt, ſimul alia cum aliis coexiſtant (vt perſpicuum eſt ex cubili, & ſimilibus) at verò partes orationis aliæ aliis non coexiſtunt, dum enim dicimus priorem ſumptionem, nondum exiſtit neque altera ſumptio, neque concluſio: dum autem poſteriorem, prior non amplius exiſtit, concluſio verò nondum exiſtit. Dum autem concluſionem pronuntiamus, eius ſumptiones non amplius exiſtunt. non enim partes orationis coexiſtunt aliæ aliis. Vnde ne oratio quidem exiſtere videbitur. Ad hæc autem, ſynactica oratio incomprehenſibilis eſt. nam ſi hæc iudicatur à connexi conſequentia, at quæ ſecundum connexum eſt conſequentia, indiiudicabiliter controuerſa eſt, & eſt fortaſſe incomprehenſibilis: (vt docuimus quum de ſigno ageremus) etiam ſynactica oratio incomprehenſibilis erit: Quinetiã ipſi Dialectici dicunt orationem aſynacton fieri aut propter incohęrentiã, aut propter omiſſionem, aut eo quòd in mala forma propoſita ſit, aut propter ſuperfluitatem. Propter incohærentiã, quum lemmata non habent cohærentiam inter ſe & concluſionem. vt hæc, Si dies eſt, lux eſt: atqui frumenta in foro venduntur: ergo Dion ambulat. Propter ſuperfluitatem autem, quum inuenitur ſumptio ſuperuacanea ad orationis collectionem. vt, Si dies eſt, lux eſt: atqui etiam dies eſt: quinetiam Dion ambulat: lux eſt igitur. Eo autem quòd in mala forma propoſita ſit, quum forma orationis non eſt ſynactica, vt, quum hæc vocent ſyllogiſmos, Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, ergo lux eſt: Si dies eſt, lux autem non eſt, nõ ergo dies eſt. oratio aſynactos eſt hæc, Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, lux ergo eſt. Quia enim promittit connexum, intra id quod in ipſo eſt præcedens, id etiam eſſe quod deſinit, meritò, quũ aſſumitur præcedens, aſſumitur etiam deſinens: & quum deſinẽs tollitur, tollitur etiam præcedens. nam ſi eſſet præcedens, eſſet etiã deſinens. At quum deſinens aſſumitur, non neceſſariò ponitur etiã præcedens. Non enim promittebat connexũ, præcedens ſequi deſinens, ſed deſinens ſequi præcedens duntaxat. Propterea oratio ea quæ ex connexo & præcedenti colligit deſinens, ſyllogiſtica eſſe dicitur, itẽ quæ ex connexo & oppoſito deſinẽtis, oppoſitum præcedenti colligit: at ea quæ ex cõnexo & deſinẽte colligit præcedens, dicitur aſynactos *.i. colligendi vim non habens, vel, mendosè ſeu vitiosè colligens*: vt ea quã antè diximus: quia etiamſi veræ ſint eius ſumptiones, falſum colligit:

ligit:ſiquando dicitur noctu, quum lux eſt lucernæ. Nam hoc, Si dies eſt, lux eſt, connexum verum eſt: & hæc aſſumptio eſt vera, Atqui lux eſt. ſed falſa eſt concluſio hęc, Dies eſt ergo. Propter omiſſionē autem eſt vitioſa oratio, in qua omittitur aliquid eorũ quæ ad colligendam concluſionem proſunt. vt, quum vera ſit (vt putant) hæc oratio, Aut bonæ ſunt diuitiæ, aut malæ, aut indifferētes: at neque malę ſunt, neque indifferentes: ergo bonæ ſunt: vitioſa eſt quæ ſequitur oratio, propter omiſſionem, Aut bonæ ſunt diuitiæ, aut malæ: at malæ non ſunt, ergo ſunt bonæ. Itaq; ſi oſtendero nullam poſſe ſecundum eos differentiā collocari inter ſynacticas orationes, & inter eas quæ ſunt aſynacti, oſtenſum à me fuerit incomprehenſibilem eſſe orationem ſynacticam, adeò vt ſuperuacanea ſit illa immenſa quæ ab iis in Dialectica affertur verboſitas. Sic autem oſtendo. Oratio propter incohærentiā *ſiue diremptionem* aſynactos dicebatur cognoſci ex eo quòd eius ſumptiones bonam inter ſeipſas & inter concluſionem non haberent conſecutionem. Quoniam igitur diiudicationem connexi oportet hanc conſecutionem anteire: connexum autem eſt indiiudicabile (vt ex argumentatione mea patuit) indiiudicabilis etiam erit oratio propter incohærentiam aſynactos. Nam qui dicit aliquā orationem eſſe aſynacton propter incohærentiam, ſi enuntiationem ſolam proferat, opponetur illi contraria enuntiatio: ſin demonſtret per orationem, illi dicetur debere orationē hanc prius eſſe ſynacticam, & tum demum oſtendere cohærentes eſſe ſumptiones orationis quę incohærens eſſe dicitur. At nos an ſit demonſtratiua non cognoſcemus, quippe qui non habeamus connexi diiudicationem vno omniũ conſenſu approbatam, qua iudicemus an concluſio ſequatur conſertionem quæ eſt per ſumptiones orationis. Quocirca etiam ſecundũ hoc à ſynactica oratione diſcernere eam quæ propter incohærētiam vitioſa ſit, nō poterimus. Eadem autem obiiciemus ei qui vitioſam eſſe orationem dixerit propterea quòd in mala forma propoſita fuerit. Nam qui aſtruit malam eſſe aliquam formam, non habebit confeſſam & indubitatā orationem ſynacticā ex qua poſſit inferre quod dicit. Ex his autem poſſint etiam illi refutari qui orationē fieri aſynacton propter omiſſionem conantur oſtendere. Nam ſi ea cui nihil deeſt, indiiudicabilis eſt, ea quoque in qua eſt facta omiſſio, fuerit indiiudicabilis. Præterea qui oratione vult oſtendere alicui orationi quidpiam deeſſe, niſi habeat connexi iudicationē confeſſam, ex qua cōſecutionem orationis quam dicit indicet, nequaquā poterit certo

iudi-

iudicio & rectè dicere eam defectum aliquem habere. Iam verò & ea oratio quæ vitiosa esse dicitur propter superfluitatem, à demõstratiuis diiudicari & discerni nequit. nam quantum ad superfluitatem, etiam eæ quæ apud Stoicos celebrantur indemonstrabiles, comperientur esse asynacti. quæ si tollãtur, vniuersa Dialectica euertitur. (hæ enim sunt quas dicunt demonstratione quidem non egere ad sui constitutionem, sed per eas demonstrari alias orationes esse synacticas) Inesse autem illis superfluitatem manifestum erit vbi illas indemonstrabiles exposuerimus, ac tum demum quod dicimus collegerimus. Multas quidem indemõstrabiles somniant, sed has quinque potissimum exponunt, ad quas reliquæ omnes referri videntur. Primam, ex connexo & præcedente colligẽtem quod desinit. vt, Si dies est, lux est: atqui dies est, lux est ergo. Secundam, quæ ex connexo & contrario desinentis, contrarium præcedentis colligit. vt, Si dies est, lux est: non est autem lux, non igitur est dies. Tertiam, quæ ex negatiuæ consertione & vnius eorum quæ ex consertione sunt, contrariũ reliqui colligit. vt, Non dies est & nox est: dies autem est, non igitur nox est. Quartam, quæ ex disiuncto & vno coniunctorum contrariũ reliqui colligit. vt, Aut dies est, aut nox est: dies autem est, non igitur nox est. Quintam, quæ ex disiuncto & contrario vnius coniunctorũ reliquum colligit. vt, Aut dies est, aut nox est: nox autem nõ est, dies est igitur. Hæ sunt orationes quæ celebrãtur indemonstrabiles: quæ omnes mihi videntur esse asynacti propter superfluitatem. Nam (vt à prima incipiamus) aut confessum & indubitatũ est, hoc Lux est, consequi illud Dies est: quod præcedit in isto cõnexo, Si dies est, lux est: aut incertum est. Et si quidem est incertum, non concedemus connexum, tanquã indubitatum: sin est certum hoc posito, Dies est, necessariò esse illud, Lux est: certè postquam diximus Dies est, colligitur etiam illud, Lux est. adeò vt hęc oratio sufficiat, Dies est, lux ergo est: & superuacaneum sit illud connexum, Si dies est, lux est. Eandẽ viam tenemus & in secunda indemonstrabili. Aut enim fieri potest vt quum non sit desinens, sit præcedens: aut fieri nõ potest. sed si quidem fieri potest, non erit verum connexum: at si fieri non potest, simulatque positum est Nõ, quod finit, ponitur etiam Non quod præcedit. adeò vt superuacaneum sit rursus connexum, quum oratio talis proponitur, Non est lux, nõ est igitur dies. Eadem ratio est & in tertia indemonstrabili. Aut enim certũ est fieri non posse vt ea quæ sunt in symploce, coexistant alia cum aliis: aut incertum. & si quidem incertum,

certum, non concedemus negationem symploces: sin est certum, simul atq; alterum positum est, tollitur alterum, & vacat negatio symploces, quum nos huiusmodi orationem proponimus, Dies est, non igitur nox est. Eadem dicimus & in quarta & quinta indemonstrabili. aut enim certò compertum est in disiuncto alterum quidē esse verum, alterum autem falsum, cum pugna perfecta, (quod promittit disiunctum) aut incertum. Et si quidem est incertum, non concedemus disiūctum: si autem certum, posito vno illorum, manifestum est non esse alterum: & sublato vno, manifestum est alterum esse: adeò vt tali propositione vti sufficiat, Dies est: non igitur nox est. Non est dies, nox est ergo: & superuacaneum sit disiunctum. His similia dici possunt & de categoricis syllogismis, quibus maximè vtuntur Peripatetici: vt in hac oratione, Iustum est honestum: honestum est bonum: ergo iustum est bonum. Aut pro confesso habetur & certò patet, honestum esse bonum: aut in dubio versatur, nec certò compertū est. Sed si quidem incertum est, non concedetur ex proposita oratione, & propterea non colliget syllogismus. at si certum est, quicquid sit honestum, hoc necessariò esse bonum, simul atque dictum est hoc vel illud esse honestum, simul colligitur etiam bonū esse. adeò vt sufficiat ita proponere, Iustum est honestum: iustum igitur est bonum: & superuacanea sit altera sumptio in qua honestum esse dicebatur bonum. Similiter & in tali oratione, Socrates, homo: omnis homo, animal: Socrates ergo animal: si certum non est ex seipso, quodcunque fuerit homo, id esse animal, non est confessa vniuersalis propositio, neque dabimus illam quum argumentatio inferetur. At si, protinus vt aliquid fuerit homo, sequitur id esse animal, & propterea vera est indubitatè hęc propositio, Omnis homo est animal: simul atque dictū est Socratem esse hominem, simul colligitur ipsum esse animal: adeò vt hanc argumentationem inferre sit satis, Socrates homo, Socrates ergo animal: & superuacanea sit propositio ista, Omnis homo est animal. Similibus autem methodis in aliis primis categoricis orationibus vti possumus, ne nūc diutius immoremur. Verùm enimuero quū vitiosæ sint propter superfluitatem hæ orationes in quibus syllogismorum fundamētum Dialectici ponunt, quantum ad hanc superfluitatem euertitur tota Dialectica: quum eas orationes quæ vitiosæ sunt propter superfluitatem, ideoque asynacti, à syllogismis qui synactici dicuntur, diiudicare nequeamus. Quòd si non placet quibusdam orationes constare vnico lemmate *.i. vnica sumptione*, nō sunt illi fide

digniores quàm Antipater, qui ne huiusmodi quidem orationes reiicit. His igitur de causis indiiudicabilis est oratio ea quæ à Dialecticis synactica nũcupatur. Sed & vera oratio inueniri nequit,& ob ea quæ diximus, & quoniam necessariò debet in verum desinere. nam conclusio quæ vera esse dicitur,aut apparens est,aut incerta. Et apparens quidem minimè *esse possit*: nihil enim opus haberet sumptionibus à quibus declararetur, si per seipsam sub sensus nostros caderet, nec ipsamet certè minus quàm eius sumptiones,appareret. Sin est incerta:quoniam de incertis indiiudicabilis extitit hactenus controuersia, (vt antea docuimus)vnde & incomprehensibilia sunt:incomprehensibilis etiam erit cõclusio eius orationis quæ vera esse dicitur. Quòd si hæc sit incomprehensibilis, nequaquam dignoscemus verúmne sit quod colligitur,an falsum. Ignorabimus igitur vera sit oratio nécne, inuenirique illa nulla ratione poterit. Vt autem hæc quoque omittamus, oratio quæ per certa colligat incertum, inueniri non potest. Si enim conclusio sequitur consertionem quæ est per ipsius *orationis* sumptiones, at quod sequitur & quod desinit, ad aliquid sunt, & ad præcedens: quæ autem sunt ad aliquid, comprehenduntur alia cum aliis(vt ostendimus)si quidem incerta sit cõclusio, incertæ erunt etiã sumptiones:sin certæ fuerint sumptiones, certa erit etiam conclusio, vtpote quæ comprehendatur cum illis,quæ quidem sunt certæ,adeò vt non amplius ex manifestis incertũ colligatur. Quæ quum ita sint, ne ipsam quidem conclusionem sumptiones patefaciunt:quæ aut incerta est,minimeq; comprehenditur:aut certò est comperta, nec patefieri necesse habet. Ergo si demõstratio dicitur esse oratio per collectioné(id est synacticè) ex aliquibus quæ omnes fatentur vera, conclusionem patefaciens incertam: nos autẽ docuimus nullã esse orationem neque synacticam, neque veram, neque per aliqua certa incertum colligentem, nec quæ patefaciat conclusioné, subsistere non posse demõstrationem perspicuum est. Sed & istis *rationibus illos* aggredientes, inexistentem esse, aut etiam sub intellectum non cadere comperiemus demonstrationem. Nam qui dicit esse demonstrationem,aut illam generalem ponit,aut specialem aliquam. Sed nec generalis nec specialis demonstratio poni queat, (vt docebimus) præter has autem aliud quicquam intellectu percipere nõ possumus:nemo igitur vt existentem ponere demonstrationem potest. Ac generalis quidem demonstratio consistere non potest ob hæc *quæ sequuntur*. Aut enim habet sumptiones aliquas & aliquã conclusionem, aut

non

non habet. & ſi quidem non habet, ne demonſtratio quidem eſt. ſin ſumptiones aliquas habet & concluſionem aliquam, quoniam omne quod demonſtratur, itidem & quod demonſtrat particulare eſt, ſpecialis erit demonſtratio. Non eſt igitur vlla generalis demonſtratio. Sed neque ſpecialis vlla eſt. Aut enim dicent demonſtrationem eſſe coagmentationem ex ſumptionibus & concluſione, aut coagmentationem ex ſumptionibus ſolùm. Atqui neutrum horũ eſt demonſtratio: (vt oſtendam) non eſt igitur ſpecialis demonſtratio. Coagmentatio itaque ex ſumptionibus & concluſione, non eſt demonſtratio. primùm quidem, quia partem aliquam habens incertam, (videlicet concluſionem) incerta erit. quod abſurdũ eſt. Si enim incerta eſt hęc demonſtratio, ipſa indigebit alio eam demõſtrante potius quàm erit aliorum demonſtratoria. Deinde quia dicunt ad aliquid eſſe demonſtrationem & ad concluſionem: quæ autem ſunt ad aliquid, ad alia intellectu percipiuntur, vt ipſi dicunt: oportet vt id quod demõſtratur, à demonſtratione diuerſum ſit. Si igitur cõcluſio ſit id quod demonſtratur, non comprehendetur intellectu demonſtratio cum concluſione. aut enim aliquid adiumenti adfert concluſio ad demõſtrationẽ ſui, aut nihil. ſed ſi quid adiuuat, ſui ipſius erit declaratiua: ſi nihil adiuuat, ſed ſuperuacanea eſt, ne pars quidem demonſtrationis erit: quoniam & illam demõſtrationem, propter ſuperfluitatem dicemus eſſe vitioſam. Sed neque coagmentatio ſola ex ſolis ſumptionibus, demonſtratio fuerit. nam quis concedat, hoc quod ita dicitur, Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, lux ergo eſt: aut orationem eſſe, aut ſententiam vllo modo efficere? Ergo neq; coagmentatio ex ſolis ſumptionibus, demonſtratio eſt. vnde fit vt ne ſpecialis quidem demõſtratio ſubſiſtere poſsit. Quòd ſi neque ſpecialis demõſtratio ſubſiſtere poteſt, neque generalis, vltra hæc autem non poſſumus demonſtrationem intellectu percipere, ſubſiſtere non poteſt demõſtratio. Verùm ex his quoque inſubſiſtentia demonſtrationis doceri poteſt. Si enim eſt demonſtratio, aut apparens *ipſa aliud itidem* apparẽs patefacit, aut incerta incertum, aut incerta apparens, aut apparens incertum. at demonſtratio nulla intellectu percipi poteſt quæ ad vllum horum patefaciendum valeat. Eſt ergo huiuſmodi quæ ſub intelligentiam non cadat. Nam ſi apparens ipſa id quod apparens eſt patefacit, quod patefacit vnà apparens erit & incertum. apparens quidem, quoniã tale eſſe ſuppoſitum eſt: incertum autem, quia patefactione eget, & nõ ex ſeipſo ſub ſenſum nobis apertè cadit: ſin incerta incertum *patefacere*

dicatur, ipsa egebit alio à quo patefiat, & ad aliorum patefactionem non valebit. quod à demonstrationis notione prorsus alienum est. Propterea neque incerta manifesti potest esse demonstratio, neque manifesta incerti. quia enim est ad aliquid, quæ autẽ ad aliquid sunt, alia cum aliis comprehenduntur, si comprehendatur vnà cum manifesta demonstratione id quod dicitur demonstrari, erit idipsum manifestum: adeò vt retorqueatur oratio, & nõ comperiatur ipsa incerta manifesti esse demonstratiua. Si ergo neque apparens apparentis est demõstratio, neque incerta incerti, nec incerta manifesti, nec manifesta incerti: præter hæc autem nihil esse dicunt: nihil esse demonstrationem dicendum est. His & illud addendum est. Controuersiæ sunt de demonstratione. alij enim ne esse quidem ipsam dicunt, (vt ij qui nihil omnino esse dicunt) alij esse, vt bona pars Dogmaticorũ. Nos autẽ nihilo magis esse ipsam quàm nõ esse dicimus. Præterea demonstratio contineat dogma necesse est: at omne dogma controuersum est: itaque de omni demonstratione esse controuersiam necesse est. Si enim (verbi gratia) quando pro confessa & indubitata habetur demonstratio qua demonstratur esse vacuum, vnà etiam vacuũ esse pro confesso habetur: nempe etiam qui dubitant an sit vacuum, etiam de illius demõstratione dubitabunt. eademque est in aliis dogmatibus, quorum sunt demõstrationes, ratio. Omnis igitur demonstratio in dubium reuocatur & controuersa est. Quoniam itaque incerta est demõstratio propter controuersiã quæ de ea est: (quæ enim controuersa sunt, quatenus in controuersia posita sunt, sunt incerta) non est ex seipsa euidens, sed ex demonstratione nobis debet astrui. at verò demonstratio qua astruitur demonstratio, indubitata & euidens non erit. (nunc enim quęrimus an vllo modo sit demonstratio) at si controuersa sit & incerta, alia demonstratione egebit, & hæc rursus alia, atque ita in infinitum vsque. at impossibile est infinita ostendere. Impossibile est igitur ostendere esse demõstrationem. Sed ne per signum quidẽ patefieri potest. quum enim quæratur an sit signũ, & signum egeat demõstratione, ad sui existentiam *astruendam*, comperitur esse modus diallelus, quum demonstratio signo egeat, signũ autẽ demõstratione: quod absurdũ est. Propterea ne diiudicari quidem potest controuersia quæ de signo est, quia eget quidem diiudicatorio ipsa diiudicatio: quum autem ambigatur an sit diiudicatoriũ, (vt ostẽdimus) & propterea diiudicatorium indigeat demonstratione quæ ostendat esse diiudicatorium: rursus diallelus modus dubitationis

tionis comperitur. Si igitur neque per demonſtrationem, neque per ſignum, neque per criteriũ *.i. diiudicatorium*, doceri poteſt eſſe demõſtrationem, ſed neque ex ſeipſa patet (vt oſtendimus) incomprehenſibile erit an ſit demonſtratio, & propterea inexiſtens etiam erit demonſtratio. Intelligentia enim percepta eſt vnà cum hoc vt demonſtret. demonſtrare autem non poſſit non comprehenſa. ideo nec demonſtratio erit. Hæc quidem, vt in hypotypoſi, etiam aduerſus demonſtrationẽ dixiſſe ſatis fuerit. At Dogmatici cõtraria his aſtruentes, dicunt, Aut demonſtratiuæ ſunt orationes aduerſus demõſtrationem propoſitæ, aut non demonſtratiuæ: & ſi quidẽ non demonſtratiuæ, non poſſunt oſtendere non eſſe demonſtrationem. ſin demonſtratiuæ: illimet ipſi ſubſiſtentiam demonſtrationis (ſi retorqueantur in illos ſua verba) inducunt. Vnde & talem proponunt orationem, Si eſt demonſtratio, eſt demonſtratio: ſi non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio. Atqui aut eſt demonſtratio, aut non eſt demõſtratio. Eſt igitur demonſtratio. Proponũt autem ex eadem vi & hanc orationẽ, Quod conſequitur oppoſita, non ſolùm verum eſt, ſed etiam neceſſarium: atqui oppoſita ſunt hæc inter ſe, Eſt demõſtratio, non eſt demonſtratio: ex quorum vtroque ſequitur eſſe demonſtrationem. eſt igitur demonſtratio. Sed enim his contradici poteſt. Verbi gratia, ſi ita dicamus, Quandoquidem non exiſtimamus orationem aliquam eſſe demonſtratiuam, ne eas quidem orationes quę ſunt aduerſus demonſtrationem, neceſſariò dicimus eſſe demonſtratiuas, ſed videri nobis veriſimiles. Veriſimiles autem neceſſe non habent vt ſint demonſtratiuæ. Quòd ſi demonſtratiuæ quoq; ſint (quod non affirmamus) neceſſariò etiam veræ. Veræ autem orationes ſunt per vera verum colligẽtes: itaque vera eſt earum concluſio. Atqui ea erat huiuſmodi, Non eſt ergo demonſtratio. Itaque retorquendo in illos ſua verba, non eſt demonſtratio. Præterea fieri poteſt vt quemadmodũ purgatiua medicamenta ſeipſa expellũt vnà cum materiis in corpore conſiſtentibus, ſic etiam orationes iſtæ vnà cum illis quæ dicũtur eſſe demonſtratiuę, ſeipſas excludant. Hoc enim non eſt abſurdum. Nam & hæc vox, Nihil eſt verum, non ſolùm reliqua omnia tollit, ſed ſeipſam quoque vnà cum aliis euertit. Et hæc oratio, Si eſt demonſtratio, eſt demonſtratio: ſi non eſt demõſtratio, eſt demonſtratio. Atqui aut eſt, aut non eſt: eſt ergo: poteſt etiã multis modis oſtendi aſynactos. ſed in præſentia hoc epicheremate contenti erimus. Si vitioſum non eſt hoc connexum, Si eſt demonſtratio, eſt demõſtratio: oportet

oppoſitũ deſinentis in eo, nempe hoc, Non eſt demonſtratio, aduerſari illi, Eſt demonſtrario. illud enim eſt connexi præcedens. Atqui impoſſibile eſt ſecundum ipſos connexum vitio carere ex aduerſantibus propoſitionibus conſtans. Nam connexũ promittit ſi ſit quod in ipſo pręcedit, eſſe etiã deſinens: at in repugnãtibus, contrà, vtrumlibet ipſorum fuerit, fieri non poteſt vt alterum ſit. Ergo ſi verum eſt hoc connexum, Si eſt demonſtratio, eſt demõſtratio, non poteſt verum eſſe illud, Si non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio. Veruntamen vt rurſus concedamus, per ſuppoſitionem, verum eſſe hoc connexum, Si non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio: poteſt coexiſtere hoc, Si eſt demonſtratio, cum illo, Non eſt demonſtratio. quòd ſi poteſt ipſi coexiſtere, cum eo nõ pugnat. Itaque in hoc connexo, Si eſt demonſtratio, eſt demonſtratio, non pugnat oppoſitum deſinentis in ipſo, cum eo quod in ipſo præcedit. Igitur non erit verum. Rurſus hoc connexum, quum illud per conceſſionem tanquam verum ponatur, non pugnet autem hoc, Non eſt demõſtratio, illi, Eſt demonſtratio: ne diſiunctum quidem bonum erit, hoc videlicet, Aut eſt demonſtratio, aut non eſt demonſtratio. Nam bonum diſiunctum promittit vnum eorum quæ in ipſo ſunt, eſſe verum. Reliquum autẽ aut reliqua, falſum, aut falſa, non ſine pugna. Aut ſi bonum eſt diſiunctũ, rurſum vitioſum comperitur eſſe illud, Si non eſt demonſtratio, eſt demonſtratio, connexum ex pugnantibus conſtãs. Quamobrem inter ſe diſſentiunt mutuoq; ſe euertunt ſupradictæ orarionis ſumpriones. Non eſt ergo vera illa oratio. Sed ne illud quidẽ oſtendere poſſunt, aliquid conſequi oppoſita, quum non habeant diiudicatorium conſecutionis, vt ratiocinati ſumus. Verùm enimuerò hæc ex abundanri dicimus. Nam ſi veriſimilia ſunt ea quæ pro demonſtratione dicuntur (nam talia ſint per nos licet) veriſimilia itidem argumenta, quæ aduerſus demonſtrationem afferũtur: etiam de demonſtratione nos aſſenſum retinere neceſſe eſt, adeò vt non potius eſſe demonſtrarionem quàm non eſſe dicamus.

De ſyllogiſmis. CAP. 14.

QVAMOBREM de ſyllogiſmis ſermone illorum paſſim celebratis videri poſſit ſuperuacuum diſſerere, partim quòd vnà cum demonſtrationis exiſtentia euertantur ipſi: (perſpicuum eſt enim, illa non exiſtente, ne demonſtratiuæ quidem orationi locum ſupereſſe) partim etiam quòd ad eorum refutationem ea quæ à nobis iam dicta ſunt valere poſſint, quum de ſuperfluitate diſputãtes, viam quandam

&me-

& methodum tradebamus per quam omnes demonſtratiuas orationes Stoicorum & Peripateticorum eſſe aſynacticas oſtendi poteſt. Peculiarem tamen de iis diſputationem, tanquam auctarium iis addere fortaſſe nihil nocuerit, præſertim quum ſibi in illis maximè placeant. Quum autem multa afferri poſſint ad docendum eos ſubſiſtere non poſſe: tamen pro eo quod nobis inſtituta hypotypoſis requirit, hac methodo aduerſus eos vti ſufficiet. Dicam autem nunc quoque de indemonſtrabilibus. his enim ſublatis etiam reliquæ omnes orationes corruunt, quippe quæ per illas demõſtrentur eſſe ſynacticæ. Hęc ergo propoſitio, Omnis homo eſt animal, ex particularibus illatiuè confirmatur. nam ex eo quòd Socrates, qui homo eſt, animal etiã ſit, Plato itidem & Dion, & vnuſquiſque particularium, videtur eſſe poſſibibile confirmare, omnem hominem eſſe animal. nam ſi vel vnum particulare contrariũ aliis comperiatur, non eſt vera vniuerſalis propoſitio. Exempli gratia, Quoniam maxima pars animalium inferiorẽ maxillam mouet, ſolus autem crocodilus ſuperiorem: vera hæc propoſitio non fuerit, Omnia animantia inferiorem maxillam mouent. Quum igitur dicunt, Omnis homo eſt animal, Socrates eſt homo, Socrates igitur animal: ex hac vniuerſali propoſitione, Omnis homo eſt animal, peculiarem hanc propoſitionem colligere volẽtes, Socrates igitur animal: quæ quidem cõfirmatiua eſt vniuerſalis propoſitionis, ſecundum modum epagogicum *(id eſt, illatiuum)* vt docuimus, in diallelam incidunt orationem, vniuerſalem quidem propoſitionem per vnamquanque particularium, particularem autem ex vniuerſali ſyllogiſticè inferre volentes. Itidem autem & in hac oratione, Socrates homo, nullus autẽ homo quadrupes, Socrates igitur non eſt quadrupes: hanc quidem propoſitionem, Nullus homo quadrupes, ex particularibus epagogicè volentes confirmare, vnamquanque autẽ particularium ex illa Nullus homo quadrupes, ſyllogiſticè colligere volentes, in hæſitationẽ quæ eſt per diallelum modum, incidunt. Simili autem cum examine percurrere oportet etiã reliquas orationes quæ apud Peripateticos vocantur indemonſtrabiles: ſed & eas etiam quę ſunt huiuſmodi, Si dies eſt, lux eſt. Nam & hoc, Si dies eſt, lux eſt, aiũt eſſe ſynacticum *(id eſt, collectiuum)* illius, Lux eſt: rurſumque hoc, Lux eſt, cum altero, Dies eſt, confirmatiuum illius eſſe, Si dies eſt, lux eſt. Non enim hoc ſupradictum cõnexum exiſtimatum fuiſſet eſſe verũ, niſi prius perſpectum fuiſſet coexiſtere ſemper Lux eſt; cũ illo, Dies eſt. Si igitur oportet antè comprehendiſſe, quum dies eſt, neceſſariò

eſſe

esse etiam lucem, ad componendum hoc connexum, Si dies est, lux est: hinc infertur, in his, quum dies est, lucem esse: quum istud quidem connexum, Si dies est, lux est (quãtum ad præsentem attinet indemõstrabilem orationem) coexistentiam colligat huius, Diem esse, & illius, Lucem esse: vicissim autem existentiam eorũ quæ dicta sunt confirmet ipsum connexum: hic quoq; diallelum modum, per quem hærere coguntur, orationis subsistentiam euertere. Idem dicẽdum est & de hac oratione, Si dies est, lux est: atqui lux non est, nõ igitur dies est. Nam ex eo quòd absque luce dies non possit spectari, verum esse hoc cõnexum existimabitur, Si dies est, lux est. nam si (vt hoc supponamus) dies conspiceretur aliquando, lux non item: falsum diceretur esse illud connexum. Quantum autem attinet ad eam quam diximus indemonstrabilem *orationem*, Non esse diem, quando lux nõ est, colligitur per hoc, Si dies est, lux est. adeò vt eorum vtrunque ad sui con firmationem opus altero habeat iam cum confirmatione sumpto, vt per ipsum fidem impetret, per diallelum modum. Itidem etiã ex eo quòd aliqua sint quorum alterum cum altero coexistere nõ possit, vt dies & nox: & hæc negatiua consertionis, Non dies est, & nox est: & hoc disiunctum, Aut dies est, aut nox est, pro veris habebuntur. Atqui ipsa non coexistere, cõfirmari putant & per negatorium symploces, & per disiunctum, dicentes, Non dies est & nox est: atqui nox est: nõ ergo dies est. Item, Aut dies est, aut nox est: atqui nox est: non ergo dies est. Vel sic, Non autem est nox, dies ergo est. Vnde nos rursum ratiocinamur, si ad cõfirmationem disiuncti & negationis quæ est in symploce, necesse est vt prius comprehenderimus, axiomata quæ in iis continentur, esse talia vt coexistere non possint: esse autẽ incoexistentia, per disiunctum & per negatiuam symploces colligere videntur, ad modum diallelum nos redigi: quum neque prædictis tropicis, *id est, modalibus*, fidem habere possimus, nisi incoexistentiam axiomatum quæ in iis continentur, comprehenderimus: nec verò de hac eorum incoexistentia affirmare ante syllogismorũ synerotesin, quæ per modales fit, affirmare possimus. Itaque non habentes vnde fidei initium sumamus, quòd hæc ita sint reciproca, dicemus ne tertiam quidem, aut quartam, neque quintam indemõstrabilium (quantum quidem ex his) subsistentiam habere. Hactenus & de syllogismis dixisse sufficiet in præsentia.

De epagoge, id est, inductione. CAP. 15.

EPAGOGES etiam *.i. inductionis*, modum facilè reiici posse existimo.

ſtimo. Quoniam enim volunt per eam probare vniuerſale ex particularibus, aut omnia percurrẽtes particularia, hoc facient, aut aliqua. Sed ſi quidem aliqua *percurrent*, nõ erit firma inductio, quũ fieri poſſit vt aliqua ex prætermiſſis particularibus in inductione, cõtraria repeⁿriantur vniuerſali. Sin omnia *percurrere inſtituerint*, aggredientur impoſſibilia, quũ infinita ſint particularia, nulliſque terminis circunſcripta. Itaque ſic contingit vt vtroque modo nutet & vacillet inductio.

De definitionibus. CAP. 16.

IAM verò quum ob ſuum circa definitiones artificium valde ſe efferant Dogmatici, (quod rationali parti eius quæ philoſophia dicitur annumerant) agedum etiam de definitionibus pauca quædam in præſentia dicamus. Quum ergo Dogmatici definitiones ad multa conferre exiſtimẽt, vereor vt duobus generaliſſimis capitibus omnẽ illum quem dicunt eorum neceſſarium vſum contineri comperias. Nam aut ad comprehenſionem, aut ad docendi methodum in omnibus neceſſarias eſſe definitiones oſtendunt. Si igitur docuerimus ad neutrum horum vtiles eſſe, euertemus, meo quidem iudicio, omnem vanum circa has Dogmaticorum laborem. Agè ergo, ſi is quidem qui ignorat id quod definitur, non poteſt id quod ipſi eſt incognitum definire: at is qui cognoſcit, ac poſtea definit, non comprehendit ex definitione id quod definitur, ſed ad id iam comprehenſum appoſuit definitionem, ad comprehenſionem rerum definitio non eſt neceſſaria. Etenim quoniam ſi omnia definiri velimus, omnino nihil definiemus, eo quòd in infinitum prolaberemur: ſin dicamus aliqua etiã abſque definitionibus comprehendi, oſtendimus nequaquam neceſſarias ad comprehenſionem eſſe definitiones: quemadmodum quæ nõ erant definita, comprehenſa fuerunt, quũ nos etiam reliqua omnia abſq; definitionibus poſſimus comprehendere, aut omnino nihil definiemus (propter progreſſionem in infinitum) aut nõ neceſſarias definitiones eſſe oſtendemus: atque ideò ne ad docendũ quidem neceſſarias eas eſſe comperiemus. Nam vt qui primus rem cognouit, eam cognouit abſque definitione, eodem modo & is qui ipſam docetur, poteſt ſine definitione doceri. Pręterea ex iis quę definiuntur, diiudicant definitiones, aiuntque vitioſas eſſe definitiones quæ aliquid complectuntur eorũ quæ non inſunt definitis aut omnibus, aut aliquibus: adeò vt ſiquis dicat hominẽ eſſe animal rationale, immortale: aut animal rationale, mortale, grammaticum: tum quòd nullus ſit homo immortalis, tum verò quòd ſint aliqui homines non gram-

matici, mendosam esse inquiant definitionem. Fortasse igitur indiiudicabiles sunt definitiones, propter infinitaté particularium ex quibus diiudicari debent. Deinde non possint facere vt comprehendantur & doceantur illa ex quibus ipsæ diiudicantur, vtpote iam præcognita: si quidem & comprehensa fuerint. Ecquis verò ridiculū esse neget, dicere definitiones aut ad comprehendendum, aut ad docendum, aut ad manifestandum conducere, quum nos tanta obscuritate inuoluant? Exempli gratia (libet enim paulisper iocari) Si quis ab aliquo sciscitari velit an occurrerit ei homo insidens equó, & canem secum ducens, interroget hoc modo, O animal rationale, mortale, intellectus & scientię capax, occurrítne tibi animal risibile, latis vnguibus, scientiæ politicæ capax, habens conglobationes firmatas super animali mortali, hinniendi facultatem habēte: quod secum ducit animal quadrupes latratiuum? quî non sit hic risu excipiendus, qui hominem de re tam nota cogat obmutescere propter definitiones? Itaque inutilem esse definitionem, quod ad hæc quidem attinet, dicere necesse est: siue dicatur esse oratio quæ per breuem admonitionem nos ad notionem adducat subiectarum vocibus rerum, (quorum certè nihil apparuit ex iis quæ antè diximus) siue oratio indicās τὸ τί ἦν εἶναι, siue quodcunque alicui libuerit. Nam volentes ostendere quid sit definitio, in controuersiam incidunt, ex qua se nunquam expedire possint: quam propter huius tractatus institutum nunc omitto: quum alioqui illa definitiones euertere videatur. Nec verò de definitionibus plura mihi nunc dicenda arbitror.

De diuisione. CAP. 17.

QVIA verò aliqui ex Dogmaticis dialecticam esse dicunt scientiam syllogisticam, inductiuam, definitiuam: nos autem post disputationem de organo iudicandi, & de signo, & de demonstratione, de syllogismis quoque, deque inductione ac de definitionibus disseruimus: etiam disputationem de definitione paucis expedire, minimè ab instituto nostro alienum fore censemus. Dicunt itaque diuisionem fieri quadrifariam: aut enim nomen in significata diuidi, aut totum in partes, aut genus in species, aut speciem in particularia. Atqui nullius horum esse scientiam diuisiuam, non difficile puto, singula examinando, ostendere.

De nominis in significata diuisione. CAP. 18.

IAM ergo scientias inter ea numerant quæ sunt natura, non autē quæ positione. Et meritò, nam scientia, stabilis quędam & immobilis

res esse debet: at quæ sunt positione, facilè mutationi obnoxia fuerint: quippe quæ diuersitatibus positionum, quæ in nostra potestate sunt, varientur. Quũ igitur nomina positione significent & nõ natura, (alioqui enim omnes intelligerent omnia quæ à vocibus significantur, Græci pariter & Barbari: præterquam quod in nostra potestate est, ea quæ significantur, declarare semper & significare quibuscunq; velimus aliis nominibus) quomodo possibile sit scientiam diuisiuam nominis in significata *constituere*? aut quomodo dialectica (vt quidam censent) scientia significantium & significatorum possit esse?

De toto & parte. CAP. 19.

De toto autem & parte disputabimus quidem etiam in iis quæ physica nuncupantur, in præsentia verò de diuisione quæ vocatur totius in partes suas, hæc dicenda sunt. Quum aliquis decadem .*i. denarium numerum*, in vnum & duo & tria & quatuor diuidi ait, non diuiditur in hæc decas. Nam simul atque eius prima pars sublata est, (vt per concessionẽ hoc nunc demus) verbi gratia, vnitas: nõ amplius subiectus est denarius numerus, sed nouem, & omnino aliud quiddã quàm denarius. Aliorum ergo ablatio & diuisio non iam fit à decade (id est numero denario) sed ab aliquibus aliis, quę, prout fit vnaquæq; ablatio, variantur. Iam ergo videamus quî possibile sit totum diuidere in eas quæ dicuntur esse eius partes. Nam si diuiditur totum in partes, solent partes contineri in toto ante diuisionem: at non continentur. Verbi gratia, (vt in decade rursus orationem nostram figamus) decadis partem dicunt omnino esse nouem. (diuiditur igitur in vnum & nouem) sed & octo similiter: (diuiditur enim in octo & duo) & septẽ similiter, & sex, & quinque, & quatuor, & tria, & duo, & vnum. Si igitur hęc omnia in decade continentur, & composita cum ea, quinquagintaquinque fiunt, nimirũ in decem continẽtur quinquagintaquinque. quod absurdum est. Ergo ne continentur quidem in decade ea quæ dicuntur esse eius partes, nec decas in eas diuidi potest, vt totum in partes, quæ nullo modo in ipsa conspiciuntur. Eadem autem obiicientur & in magnitudinibus, si quis, verbi gratia, magnitudinem decem cubitorum diuidere velit. Fortasse igitur ne totum quidem in partes diuidere possibile fuerit.

De generibus & speciebus. CAP. 20.

Svperest ergò de generibus & speciebus tractatio, quam quidem fusius alibi persequemur: nunc verò, vt qui breuitati studeamus, hæc dicere contenti erimus. Si quidem noemata esse genera dicunt &

& ſpecies, epicheremata quæ aduerſus hegemonicum & phantaſiam attulimus, ipſos euertunt. Sin propriam ſubſiſtētiam illis relinquunt, quid ad hoc reſpondebunt? Si genera ſunt, aut tot ſunt quot ſpecies: aut fieri poteſt vt communis omnibus quæ eius ſpecies eſſe dicũtur, ſit ſpecies, videlicet genus. Si ergo tot ſunt genera quot ipſorũ ſpecies, nō iam fuerit commune genus quod in ipſas diuidetur: at ſi vnicum eſſe dicatur in omnibus ſuis ſpeciebus genus, vnaquæque illius ſpecies aut eius totius particeps eſt, aut partis eius: ſed totius quidē, nequaquam. impoſsibile eſt enim vt, quum vnum quoddam exiſtat, in alio & alio eodem tempore contineatur, ita vt totum perſpiciatur in vnoquoque eorum in quibus eſſe dicitur. Sin partem tantùm accipit, primùm quidem non cōſequetur ſpeciem genus totum, vt exiſtimant: nec homo erit animal, ſed pars animalis. verbi gratia, ſubſtantia quidem, ſed neque animata, neque ſenſitiua. Deinde verò omnes ſpecies aut dicentur participes eſſe eiuſdē partis generis ſui, aut alîus atque alîus. Sed eiuſdē impoſsibile eſt, propter ſupradicta: at ſi alîus atque alîus, nec ſimiles inter ſe erunt ſpecies ſecundum genus (quod illi non admittēt) & infinitum erit genus vnumquodque, in infinitas ſciſſum non ſolùm ſpecies, ſed in infinita etiam particularia: in quibus & ipſis cum ſpeciebus ſuis ſpectatur. Dion enim non tantùm homo, verumetiam animal eſſe dicitur. At ſi hæc abſurda ſunt, ne parte quidem tenus ſpecies genus ſuum participant, quod vnum eſt. Quòd ſi vnaquæque ſpecies neque totius particeps eſt generis, neque partis eius, quomodo dici poſsit vnum eſſe genus in omnibus ſuis ſpeciebus, ita vt etiam in eas diuidatur? Hoc certè nemo dicere queat, niſi fortè fingat quaſdam ἀλλωλοποιδας, quæ etiam eorũ indiiudicabilibus controuerſiis, per ſcepticorum aggreſsiones progrediendo, euertentur. His autem & illud addēdum eſt: Species aut tales ſunt, aut tales: harum genera aut ſunt & talia, & talia: aut ſunt talia quidem, talia verò non: aut neque talia, neque talia. Verbi gratia, Quoniam ex his vel illis (quæcunq; ſint ea) alia, corpora ſunt, alia incorporea: & alia quidem vera, alia autem falſa: & quędam alba fortaſſe, quædam nigra: & quædam maxima, & quædem minima: & alia itidem: ipſum Aliquid (verbi gratia) quod dicunt quidam eſſe generaliſsimum, aut omnia erit, aut alterutra, aut nihil. Sed ſi nihil quidē prorſus ſit Aliquid, nec genus, iam finita fuerit quæſtio. ſin dicatur eſſe omnia, præterquam quòd impoſsibile erit quod dicetur, oportebit vt ſit omnia & ſpecierum & particularium in quibus eſt. Vt enim quia animal (vt aiunt)

ſubſtan-

substantia est animata, sensitiua, vnaquæq; specierum eius & substantia esse dicitur, & animata, & sensitiua: eodẽ modo si genus sit & corpus & incorporeum, & falsum & verum, & (vt ita fingamus contingere) nigrum & album, & minimum & maximũ, & alia omnia: vnaquæque specierum & vnumquodque particulare erit omnia: quod non conspicitur. Falsum igitur etiam hoc. At si alterutra tantùm sit, quod erit genus horum, non erit genus reliquorum. vt, Si corpus aliquid, incorporeorum: &, Si rationale animal, irrationalium. adeò vt neque incorporeum sit aliquod animal, neque irrationale. & in aliis itidem. quod absurdum est. Genus itaque nec est & tale & tale, nec tale quidem, tale autem non: quinetiam nec tale, nec tale potest esse genus. Quòd si ita est, ne vllo quidem modo est genus. Iam verò si quis dicat genus esse omnia potentia, respondebimus, id quod sit aliquid potentia, debere & actu aliquid esse. Exempli gratia, non potest aliquis Grammaticus esse absque actu. Genus ergo si potentia est omnia, interrogamus eos quid sit actu. & ita manent eædem dubitationes. nam *genus* contraria omnia actu esse non potest. Sed neq; alia quidem actu quoque, alia verò potentia solùm. vt, corpus quidẽ actu, potentia autem incorporeum. Potentia enim est, quod potest actu subsistere. at quod est corpus actu, non potest incorporeum esse actu. Itaque, verbi gratia, Si corpus est actu, non est incorporeum potentia: & è conuerso. Itaque dicere nõ possumus genus alia esse actu, alia tantùm potentia. Quòd si nihil omnino est actu, neque subsistit, nihil ergo est genus, quod à se diuidi in species dicunt. Sed & hoc consyderare est operæpretium. quemadmodum enim quia idem est Alexander & Paris, fieri non potest vt, Alexander ambulat, sit verũ, at verò Paris ambulat, sit falsum: ita si idem est hominẽ esse & Theonem esse vel Dionem, hæc appellatio homo si ad constituendũ axioma afferatur, aut verum aut falsum in vtrisque faciet axioma. Atqui hoc ita esse non comperitur. nam quum Dion sedet, Theon autẽ ambulat, istud *axioma* Homo sedet, de hoc quidem dictum, verum est: de illo autem, falsum. Non est igitur communis vtrisque appellatio hęc homo, & vna eademque ambobus: sed certè alia, vtrique peculiaris.

De communibus accidentibus. CAP. 21.

SIMILIA autẽ & de communibus accidentibus dicuntur. nam si vnum & idem accidit Dioni & Theoni, nimirum videre, si (per suppositionem) intereat quidem Dion, superstes autem sit Theon, & videat: aut visum Dionis qui interiit, interitus expertem esse dicent,

(quod à ratione abhorret) aut eundē viſum interiiſſe & non interiiſſe. quod eſt abſurdum. Non igitur Theonis viſus idem eſt cum viſu Dionis. Ergo eſt diuerſus, vtrique peculiaris. Nam ſi eadem accidit Dioni & Theoni reſpiratio, fieri non poſſit vt intra Theonem reſpiratio ſit adhuc, intra Dionem eſſe deſierit. Atqui fieri poteſt, ſi hic obierit, ille ſit ſuperſtes. Non ergo eadem eſt. Sedenim de his hæc breuiter dicta nunc ſufficient.

De ſophiſmatibus. CAP. 22.

NEC verò abſurdū fuerit in diſputatione de ſophiſmatibus paulisper immorari, quoniam & ad hæc ſoluēda neceſſariam eſſe dicunt dialecticam ij qui illam celebrant. Nam ſi (inquiunt) per hanc veræ & falſæ orationes dignoſcuntur, ſunt autem etiam ſophiſmata falſæ orationes: horum etiam eſſe poſſit diiudicatiua quæ veritatem apparenti veriſimilitudine corrumpunt. Vnde dialectici, tāquam auxiliantes labanti vitę communi, magno ſtudio ad tradendum ſophiſmatum notionem & differentias & ſolutiones incumbunt: dicētes ſophiſma eſſe orationem veriſimilem & fraudulentam, adeò vt recipiat concluſionem aut falſam, aut ſimilem falſæ, aut incertam, aut alio quouis modo nō recipiendam. Falſam quidem, vt in hoc ſophiſmate habes, Nemo categorema bibēdum exhibet: eſt autem categorema, abſinthium bibere: nemo igitur categorema propinat. Falſæ autem ſimilem, vt in hoc, Quod neque fieri poterat, nec fieri poteſt, hoc non eſt abſurdum. at neque fieri poterat neque poteſt vt medicus, quatenus eſt medicus, occidat. Incertam verò, vt in hoc, Non & interrogaui aliquid primùm, & ſtellæ pares non ſunt numero. Interrogaui autem te primùm vtrum ſtellæ eſſent numero pares. Aut alia quauis de cauſa non recipiendā, vt quæ vocātur orationes ſolœciſſantes. vt, Quod vides eſt: vides autē phreniticum: eſt igitur phreniticū. *Itidem*, Quod vides eſt: vides autem inflammatum locum: eſt igitur inflammatus locus. Poſtea verò & ſolutiones eorum videre, id eſt oſtendere, conantur, dicentes in primo quidem ſophiſmate, aliud per ſumptiones eſſe conceſſum, & aliud eſſe illatū. Conceſſum eſt enim non bibi categorema: & eſſe categorema, abſinthium bibere, nō ipſum abſinthium. Itaque quum eſſet inferendum, Nemo ergo bibit hoc ipſum, Abſinthium bibere: (quod eſt verum) illatum eſt, Nullus ergo abſinthiū bibit: quod eſt falſum, nec colligitur ex cōceſſis ſumptionibus. In ſecūdo autē *dicunt ipſum* videri quidem ad falſum abducere, (adeò vt qui non bene animaduertunt, dubitēt an illi aſſentiri debeant) colligere

ligere tamen verum.hoc videlicet, Non ergo absurdũ est istud, Medicus,quatenus est Medicus,interficit. Nulla enim propositio absurda est:propositio autem est hoc, Medicus, quatenus est Medicus, interficit. Ergo ne hoc quidem est absurdum. At verò in incertũ abductio,ex genere est eorum quæ variant,vt aiunt. nam si nulla interrogatio pręcesserit(per suppositionem) negatorium connexi verum redditur, quum ipsum connexum sit falsum, eo quòd insertum sit ipsi falsum,hoc videlicet,Interrogaui te aliquid: vbi autem interrogatio de negatiuo connexi facta fuerit,quum assumptio vera reddatur;quæ est,Interrogaui autem te primùm,(eo quòd de negatorio cõnexi ante assumptionem interrogatio fuerit)negatorij symploces *.i.connexi*, propositio,falsa redditur,eo quod in symploce falsum erat,vero reddito:adeò vt nunquam possit colligi conclusio, nisi negatorium symploces vnà sit cum assumptione. Vltimas autem esse dicunt nõnulli solœcissantes orationes quæ absurdè inferant præter cõsuetudinem. Talia quidem dicũt aliqui dialectici de sophismatibus. (nam alij alia dicunt)ea autem simpliciũ aures titillare fortasse possunt: sunt tamen superuacanea,& vano labore excogitata.Et hoc quidẽ vel ex iis quæ iam dicta sunt, possit fortaßis animaduerti. docuimus enim nec verũ nec falsum posse secundum dialecticos comprehẽdi, cùm aliis variis modis,tum verò euersis orationibus indemonstrabilibus & demonstratione,quæ sunt syllogisticæ eorum facultatis testimonia. Tamen ad hunc locum peculiariter cùm alia multa possunt afferri, tum verò hoc breuitati studentes dicendum habemus. Quotquot quidem sophismata propriè dialectica videtur posse refellere,horũ solutio inutilis est:quorum autem solutio est vtilis, hæc nequaquam dialecticus soluere poßit,sed ij qui in vnaquaque arte,rerum cognitionem, versando in iis,adepti sunt. Iam enim(vt vnum aut alterum exemplũ ponamus)si propositum fuerit Medico tale sophisma, In morborũ declinationibus variam victus rationem & vini potum admittere oportet. At quum formatur quiuis morbus, ante primam diatriton omnino fieri consueuit declinatio. Necesse est igitur ante primã diatriton & variam victus rationem & vinum vtplurimum assumere: dialecticus certè nihil quicquam habuerit quod ad huius argumenti solutionem,alioqui vtilem,afferat. At Medicus soluet hoc sophisma,quippe qui sciat παρακμὴν *.i.declinationem,seu remißionẽ*,dici bifariam, *videlicet* & totius morbi,& vniuscuiusque intensionis particularis, ἀπὸ τῆς ἀκμῆς *id est,à vigore,vel statu supremo, vel summo incremento*,propensionem in

 melius.

melius. Ac ante primam quidem diatriton contingere vtplurimum particularis intẽsionis declinationem videmus: variam autem victus rationem in hac ipsa declinatione nõ probamus, sed in totius morbi declinatione. Vnde & sumptionum orationis alteram ab altera diuulsam esse dicet, quum in priori sumptione vna declinatio sumatur, ea nimirum quæ totius morbi est: in posteriore autem altera, nimirũ particularis. Itidem verò proposita huiusmodi quæstione de aliquo qui febri correptus fuerit oborta ex vehementi constipatione, *videlicet*, Contraria contrariorum sunt remedia: frigida autem propositæ inflammationi contraria est: consentanea ergo est propositæ inflammationi frigida: dialecticus quidem hîc obmutescet: at Medicus, quũ nouerit quæ sint affectiones primariò contiguæ, quænam etiam ipsarum symptomata: respondebit, quęstionem hanc de symptomatibus non esse: (quum nimirum vsuueniat vt affusa frigida ardor augeatur) sed de contiguis affectionibus: & constipationem quidem esse contiguam: (quę non condensationem sed modum aliquem quo laxetur *obstructio*, postulet) at consequentem ardorem non esse primariò cõtiguum: vnde nec frigidam videri esse illi accommodam. Atque ita in sophismatibus quorum solutio, quam poscunt, est vtilis, non habebit quod dicat dialecticus: sed proposita nobis hac oratione, Si nõ & pulchra cornua habes, & cornua habes, cornua habes: pulchra autẽ cornua non habes, & cornua habes: cornua igitur habes. *Item*, Si quid mouetur, aut in loco in quo est mouetur, aut in quo non est: atqui nec in quo est, manet enim: nec in quo non est, quomodo enim aliquid agat in illo in quo omnino non est? non ergo mouetur quicquam. *Item*, Aut quod est, fit, aut quod non est: at verò quod est, non fit, est enim: sed neque id quod nõn est: nam quod fit, aliquid patitur: quod autem non est, non patitur: nihil ergo fit. *Item*, Nix aqua est cõcreta: nigra autem est aqua: nigra ergo est nix. atque huiusmodi quasdam nugas accumulans contrahit supercilia, & dialecticam obtendit, magnoque cum fastu nititur astruere nobis per demonstrationes syllogisticas, fieri aliquid, & moueri aliquid, & niuem esse albam, & nos cornua non habere: quum alioqui satis esset actum ipsum illis opponere ad ea quæ ita asseueranter ab illis ponuntur infringenda, ex apparentibus, quæ contrarium illis testantia vim parem habent. Ideoq; quum proposita esset Philosopho oratio motum negans, tacitus ambulare cœpit. & in vita cõmuni homines terras & maria permeant, fabricantque naues & domos, & procreant liberos, de orationibus

quæ

quæ ſunt aduerſus motum & generationẽ nihil ſolliciti. Fertur etiã Erophili Medici feſtiuũ apophthegma (vixit enim hic tempore Diodori, qui in inepta dialectica orationes ſophiſticas commemorabat) cum aduerſus alia multa, tum verò aduerſus motum. Quum enim luxato aliquando humero veniſſet ad Erophilum Diodorus vt curaretur, facetè eum irriſit, dicens, Aut in quo erat loco humerus exiſtens excidit, aut in quo non erat: at neque in quo erat, nec in quo nõ erat: non ergo excidit. Adeò vt precaretur ſophiſta eum vt omiſſis iis orationibus, adhiberet ei congruum medicę arti remediũ. Sufficit enim, (vt arbitror) cum experientia vſu parta, & citra opinionem, ſecundũ communes obſeruationes & præoccupatas in animis hominum opiniones, vitam degere, de iis quæ ex dogmatica curioſitate dicuntur, & quidem nullam vitæ communi vtilitatem afferunt, aſſenſum retinentes. Si ergo quæcunque ſophiſmata ſoluta fructum afferrent, ea ſoluere non poſſit dialectica: at quæcunque ab ea poſſe ſolui concedat aliquis, horũ inutilis eſt ſolutio: inutilis eſt in ſoluendis ſophiſmatibus dialectica. Quinetiam ſi quis iis quæ dialectici dicunt inſtructus prodeat, ita paucis docere poſſit artem quæ ab illis de ſophiſmatibus traditur, eſſe ſuperuacaneam. Contulerunt ſe dialectici (vt inquiunt) ad dialecticã, nõ tantùm vt diſcerent quid ex quo colligatur, ſed hoc imprimis propoſitũ ſibi habentes, vt per demõſtratiuas orationes vera & falſa iudicare ſcirent. vnde dicunt dialecticam eſſe verorum & falſorum & neutrorum ſcientiam. Quum igitur ipſi veram eſſe orationem dicant, quę per veras ſumptiones veram concluſionẽ colligat, ſimul atque nobis obiecta fuerit oratio quæ falſam habeat concluſionem: ſciemus falſam eſſe, ideoque illi non aſſentiemur. neceſſe eſt enim ipſam etiam orationem, aut nõ eſſe ſynacticam, aut ne ſumptiones quidem habere veras. Quod ex his perſpicuum eſt. Aut falſa cõcluſio quæ eſt in oratione, cõſequitur ſymploccen quæ fit per eius ſumptiones, aut non conſequitur. Sed ſi quidem non conſequitur, ne ſynactica quidem erit oratio: (dicũt enim ſynacticam eſſe orationem, quum concluſio eius ſequitur ſymploccen quæ eſt per eius ſumptiones) ſin autem conſequitur, neceſſe eſt etiam ſymplocẽ quæ eſt per eius ſumptiones, eſſe falſam, ſecundum ipſorum artis præcepta. Aiunt enim falſum quidem cõſequi falſum, verum autem nequaquam. Quòd autem oratio quæ non ſynactica neque vera eſt, ſecundum eos ne demõſtrabilis quidem ſit, ex ſupradictis perſpicuum eſt. Si ergo propoſita oratione in qua falſa ſit concluſio, ex hoc ipſo non

esse veram nec synacticam orationem cognoscimus, ex eo quòd conclusionem habeat falsam, nõ assentiemur ei, etiamsi vnde habeat fallaciam non agnoscamus. Quemadmodum enim ne ea quidem quæ à præstigiatoribus fiunt, vera esse assentimur, sed scimus eos fallere, etiamsi non cognoscamus quomodo fallant: ita nec orationibus falsis quidem, sed quę tamen verisimiles esse videntur, fidem habemus, etiamsi non cognoscamus quomodo captiosæ sint. Aut quoniam non tantùm inest hoc sophismatibus vt ad falsum abducant, sed vt ad alias etiam absurditates, ita generalius est quęstio proponenda, Oratio quæ proponitur, aut ad aliquid inexpectatum nos adducit, aut ad aliquid tale vt ipsum expectare oportuerit: si ad secundum, non absurdum nos ei assentiri fuerit: siń ad aliquid quod sit præter expectationem, nos non absurditati assentiri temerè propter verisimilitudinem: sed illos abscedere ab oratione, quæ absurdis assentiri cogit, oportebit: si modò non nugari pueriliter, sed vera inquirere, vt pollicentur, instituerunt. Quemadmodum enim si via sit quæ ad aliquod præcipitium ducat, non protrudimus nos in illud præcipitium, eo quòd via sit aliqua quæ ducit ad ipsum, sed à via illa recedimus propter præcipitium: eodem modo si oratio sit aliqua quæ nos abducat ad aliquid quod absurdum esse constet, nõ assentiemur absurdo propter illam orationem, sed recedemus ab ea propter absurditatem. Quum igitur ita nobis obiicietur oratio, ad vnamquanque propositionem assensum retinebimus, deinde tota oratione obiecta, quæ visa fuerit inferemus. Nam si Chrysippei dogmatici in propositione soritæ, progrediente oratione dicunt esse immorandum, & assensum retinendum, ne in absurditatem incidant: nos certè, qui scepticam sectam profitemur, & quibus absurditas suspecta est, multo magis deceat cauere ne impingamus per propositiones sumptionum: ac potius in vnaquaque assensum retinere, vsque ad totius orationis propositionem. Et nos quidem, citra vllam opinionem, iis quæ in vita communi obseruauimus, prodeuntes instructi, fallaces orationes ita vitamus. At verò Dogmatici nequaquam poterunt sophisma diiudicare ab oratione quæ conuenienter videtur proponi, si quidem illi dogmaticè diiudicare cogantur an synactica sit orationis forma, & sumptiones sint veræ, an neutrum horum. Docuimus enim antea, neque posse ab illis synacticas orationes comprehendi, neque verum vlla in re diiudicari, quippe qui nec diiudicatorium, nec demonstrationem, de quibus cõstet, habeãt, vt ex eorum ipsorum verbis ostendimus.

dimus. Superuacaneæ igitur sunt, si hæc spectes, illæ de sophismatibus artificiosæ formulæ, quas tantopere celebrant dialectici.

De amphiboliis, id est, dubitationibus.

CAP. 23.

SIMILIA his etiam de distinguendis amphiboliis dicimus. Si enim ambiguitas est vocabulum duo aut plura significans, & vocabula positione significant, illas quidem ambiguitates quascunq; est distinguere operæpretium,(nimirum quæ in alia experientia consistunt) qui in vnaquaq; arte sunt exercitati, distinguent: quũ experientiã habeant ipsi vsus positiui vocabulorum quẽ rebus quæ significantur fecerunt: at dialecticus minimé. Vt in hac ambiguitate, In morborum declinationibus varia victus ratio repudianda non est. Quinetiã in vita cõmuni vel ipsos pueros distinguere ambiguitates videmus, quarum distinctio ipsis vtilis esse videtur. Si quis enim habens duos eodem nomine ministros, puero imperet ad se accersi Manen (hoc enim vtrique ministro fingamus nomen esse commune) interrogabit puer vtrum. Et si plura ac diuersa quis habens vina, dicat puero, Funde mihi vinum vt bibam, itidem rogabit puer ex quo. Ita quæ est in singulis rei vtilis experientia, distinctionem inducit. at quæcunque ambiguitates in aliqua ad vitam communem pertinente experientia non sunt, sed in Dogmaticorum sententiis versantur, suntque fortasse inutiles ad viuendum citra opinionem: circa has dialecticus quidem animi peculiarem affectum habens, cogetur etiam in ipsis similiter assensum retinere secundum scepticas methodos, quatenus rebus incertis & incomprehensibilibus aut etiam insubsistentibus fortasse sunt annexæ. Sed de his quidem iterum disputabimus. Quòd si quis Dogmaticus horum quidpiã refutare conetur, scepticum propositum corroborat, quippe qui ex mutuo refutandi conatu, & controuersia indiiudicabili, ipse etiam assensus retentionem de iis quæ in quæstione versantur, confirmet. Atque his de ambiguitatibus dictis, hîc secundum hypotyposeωn librum absoluimus.

SEXTI PHILOSOPHI PYRRHONIARVM HYPOTYPOSEΩN

LIBER III.



DE LOGICA quidem parte eius quæ philoſophia nominatur, vt in hypotypoſi, quæ diximus ſufficere poſſint. eadem autem ſcribendi methodo vtentes, eius quoque phyſicam partem percurremus: non omnibus quæ ab illis dicuntur, ſigillatim contradicentes, ſed generaliora labefactare conātes, cum quibus & reliqua circunſcribuntur. Prima erit ergo de principiis diſputatio. & quoniam bona pars eorum ex principiis alia eſſe materialia, alia effectiua fatetur, ab effectiuis ordiemur. Hæc enim & materialibus magis propria dicunt eſſe.

De Deo. CAP. I.

ITAQVE quum Deum efficaciſſimam eſſe cauſam bona pars eorum pronuntiarit, primùm de Deo inquiramus. illud præfati, nos vitā communem ſequentes, nulli autem opinioni adhærentes, dicere eſſe Deos, & colere Deos, & prouidentiam illis attribuere: ſed aduerſus Dogmaticorum temeritatem hæc afferre. Earum rerum quas intellectu percipimus, ſubſtātias imaginari debemus: vt, an corpora ſint, an incorporeę. Formas item. nemo enim equum intellectu percipere poſſit, niſi prius formam equi cognitam habuerit. Deinde quod intellectu percipitur, percipi alicubi oportet. Quum igitur ex Dogmaticis alij Deum dicant eſſe corpus, alij incorporeū: & alij quidē humana forma præditum, alij minimè: & alij in loco eſſe, alij in loco non eſſe: & eorum qui in loco eſſe aiunt, alij intra mundum, alij extra eum collocent: quomodo poterimus Deum intellectu percipere, ſi neque ſubſtantiā eius habeamus, de qua cōſtet, neque formam, neq; locum in quo ſit? Prius enim illi vno ore fateantur omnes, & aſſentiantur talem eſſe Deum, deinde nobis ipſum deformantes, tum demum nos iubeant Deum intellectu percipere. Nam quatenus indiiudicabilis eſt inter eos controuerſia, quod pro confeſſo & indubitato percipere intellectu poſſimus, ab illis non habemus. Sed tu incorruptibile quiddam & beatum imaginans (inquiunt) illud Deum eſſe exiſtima. At hoc ſtultum eſt. nam quemadmodum qui nō nouit Dionem, ne accidentia quidem ipſi, vt Dioni, poteſt imaginari: ita

quia

quia Dei substantiam non nouimus, ne accidentia quidē ipsi cognoscere & imaginari poterimus. Præterea verò dicant nobis quid sit beatum, an quod agit secundum virtutem, & prouidet illis quæ sibi subiecta sunt, an quod in nulla actione versatur, & neque ipsum negotium habet, neque alteri exhibet. Nam de hoc quoq; motis inter se controuersiis quæ diiudicari nunquam potuerūt, imperuestigabile nobis beatum illud reddiderunt, ideoq; etiam Deum. Quòd si etiā intellectu percipiatur Deus, assensum retinere oportet de eo, sit néc ne, si quidem pendeamus à Dogmaticis. Nam esse Deum, certum quidem non est. si enim ex seipso sub sensus nostros caderet, conuenisset inter Dogmaticos de his, quis sit, & qualis, & vbi: quum cōtrà eorum indiiudicabilis controuersia fuerit, vt nihil comperti nec certi de eo habeamus, sed demōstratione indigere existimemus. Nam qui dicit esse Deum, aut per manifestum hoc demonstrat, aut per incertū: per certum quidē nequaquam. nam si certum fuerit id quod demonstrat esse Deum: quia quod demonstratur, ad demonstrans intelligentia percipitur, propterea etiam comprehenditur vnà cum eo (sicut & ostendimus) certum fuerit etiam hoc, Deum esse: quippe quod comprehendatur vnà cum demōstrante ipsum, quod quidem demōstrans est certum. Atqui non est certum, vt docuimus: non igitur demōstratur per certum. Sed ne per incertum quidē. nam incertum per quod demonstrabitur esse Deum, opus habens demonstratione, si quidem per certum dicatur demonstrari, non iam incertum erit, sed certum, Deum esse. Non ergo incertum hoc quod ad eius demonstrationem sumitur, per certum demonstratur. Sed neque per incertum. nam in infinitum delabetur qui hoc dicet, dum semper demōstrationem incerti quod afferetur, petemus ad demonstrationem eius quod nobis antea propositum fuerit. Non ergo potest ex alio demonstrari esse Deum. Quòd si nec ex seipso est certum, neque ex alio demonstratur, incomprehensibile erit an sit Deus. His autem istud addendum est, Qui dicit esse Deum, aut prouidere eum dicit rebus quæ sunt in mundo, aut non prouidere. & si quidem prouidere dicit, aut omnibus, aut aliquibus. Sed si quidem omnibus prouideret, non esset neque malum vllum, neque vitiosus vllus, neque vlla vitiositas. Atqui vitiositate plena omnia esse clamant. Non ergo omnibus prouidere dicetur Deus. Sin aliquibus prouidet, quare his quidem prouidet, illis verò non item? Etenim aut vult & potest prouidere omnibus: aut vult quidem, sed non potest; aut potest quidem, sed nō vult: aut neq;

vult,neque poteſt. Sed ſi quidem & vellet & poſſet,omnibus prouideret: atqui non prouidet omnibus, (vt apparet ex ſupradictis) ergo nequaquã & vult & poteſt omnibus prouidere. Quòd ſi vult quidẽ, ſed non poteſt, eius vires ſuperabit illa cauſa propter quam non poteſt prouidere illis quibus non prouidet. Atqui abſurdum eſt Deum imaginari talem,cuius vires vlli rei cedant. At ſi poteſt quidem omnibus prouidere,ſed non vult,inuidus eſſe exiſtimari poſſit. Quòd ſi neque vult neque poteſt, is & inuidus eſt, & debiles ſunt eius vires: quod de Deo dicere,impiorum eſt. Non ergo prouidet Deus iis quę ſunt in mundo. Quòd ſi nulli prouidet,neque extat vllum eius opus, neque vllus effectus, non poterit quiſquam dicere vnde comprehendat Deum eſſe, quum nec ex ſeipſo appareat, nec per vllos effectus comprehendatur. Quocirca his quoque de cauſis incomprehenſibile eſt an ſit Deus. Ex his autem ratiocinamur, impietatis crimen fortaſſis effugere non poſſe illos qui aſſeueranter Deum eſſe dicunt. Nã ſi ipſum prouidere omnibus inquiant, malorum auctorẽ Deum eſſe dicent:ſin ipſum aliquibus aut nulli prouidere inquiant, aut inuidum Deum,aut imbecilles Dei vires dicere cogentur. Atqui hæc nõ ſine manifeſtaria impietate proferri poſſunt.

De cauſa. CAP. 2.

VERVM ne nos maledictis proſequi aggrediantur Dogmatici, dum non inuenient quomodo nobis actu ipſo contradicant: magis communi & recepto modo de actiua cauſa quæſtionẽ mouebimus, prius ad imaginãdum quid ſit cauſa,appellere animũ conati. Quamobrem ex iis quæ à Dogmaticis dicuntur, cauſæ notionem nemo intellectu percipere poſſit: quoniam illi præter controuerſias & peregrinas notiones cauſæ, eius ſubſiſtentiam quoq; reddiderunt inuentu impoſsibilem,propter ſuam de eo controuerſiam. Alij enim corpus, alij incorpoream eſſe dicunt cauſam. Poſſit autẽ videri eſſe cauſa apud eos, ſecundum generaliorem opinionẽ, propter quam operantem ſit effectus. exempli gratia, Sol,aut Solis calor,*cauſa eſt* liquefieri ceram, vel liquefactionis ceræ. Nam de hoc inter ſe diſſident, quum cauſam alij appellationũ eſſe cauſam dicant, vt liquefactionis: alij prædicatorum, vt liquefieri. Itaque(ſicut dixi) ſecundum generaliorem & receptum apud plures eorum modum cauſa fuerit illud propter quod operans ſit effectus. Harum autem cauſarum alij(& quidem eorum bona pars)exiſtimant alias eſſe ſynacticas, alias *συναί-τιοι.q.d.concauſales*, alias adiutrices. Et ſynacticas quidem eſſe quibus

præſentibus adeſt effectus, & quibus ſublatis tollitur, & minutis minuitur. ita enim appoſirionem ſtrangalæ cauſam eſſe dicunr ſuffocationis. Synætion autem, quæ eaſdem cum altero ſynætio vires ad id vt fiat effectus, afferr. quo modo vnumquenque boum aratrum trahentium, cauſam eſſe dicunt tractionis aratri. Adiutricem verò, quæ patuas affert vires, & ad hoc vt facilè exiſtat effectus: vt quum duo aliquod onus ægrè portăt, tertius aliquis adueniens vnà cum ipſis illud portando ſubleuat. Nonnulli verò etiă pręſentia futurorũ cauſas eſſe dixerunt, vt antecedẽtes: veluti vehementẽ à Sole calorẽ, febris. Nonnulli autẽ hæc admittere noluerunt: quia cauſa, ſi ſit ad aliquid, atque adeò ad ipſum effectum, præcedere ipſum tanquam cauſa non poteſt. Nos autem de iis dubitationem mouentes hæc dicimus.

An ſit aliquid alicuius cauſa. CAP. 3.

VERISIMILE eſt eſſe cauſam. quomodo enim incrementum eſſet, decrementum: generatio, corruptio: & generaliter motus, naturalium & ab animo proficiſcentium effectuum vnuſquiſquẽ, totius mundi gubernatio, reliqua omnia, niſi per aliquam cauſam? Nam ſi nihil horum quantum ad naturã exiſtentiam habet, dicemus propter aliquam cauſam omnino videri nobis talia eſſe qualia non ſunt. Inſuper verò omnia ex omnibus temere eſſent, niſi eſſet cauſa. verbi gratia, Ex muribus quidẽ equi fortaſſe generarentur, elephantes autem ex formicis: & apud Thebas AEgyptiacas imbres lapidi & niues eſſent, at *partes* auſtrales imbres nullos haberent: niſi cauſa fôret aliqua propter quam in auſtralibus quidẽ *partibus* frigus valde ſæuiret, aridæ autem & æſtuoſæ eſſent *partes* orientales. Quinetiã vtrinque ſubuertitur qui nullã eſſe cauſam dicit. ſi enim ſimpliciter & ſine vlla cauſa hoc ait ſe dicere, fide carebit: ſin aliquam cauſam, volens euertere cauſam, ponit, reddatur cauſa propter quam non eſt cauſa. Propter hęc igitur veriſimile eſt eſſe cauſam. Veriſimiliter autem loqui eum quoque qui aliquid alicuius cauſam eſſe negat, manifeſtum erit, vbi rationes expoſuerimus paucas de multis in præſentia, ad hoc docendum. Primùm igitur impoſſibile erit cauſam imaginari, priuſquã effectum eius comprehenderimus, vt effectum illius. nam tum demũ cognoſcimus cauſam eſſe effectus, quum illum vt effectum comprehendimus. Sed ne ipſum quidẽ effectum cauſæ, vt effectum eius comprehendere poſſumus, niſi cauſam effectus comprehẽdamus, vt cauſam eius. tunc enim etiam effectum eius eſſe cognoſcere nobis videmur, quando cauſam eius vt cauſam eius comprehendimus. Si ergo,

go, vt cauſam quidē imaginemur, oportet prius cognouiſſe effectū: vt autem effectum cognoſcamus, vt dixi, oportet præcognouiſſe cauſam: diallelus dubitationis modus oſtendit ambo eſſe huiuſmodi quę imaginari nullo modo poſsimus, quum neq; cauſam vt cauſam, neq; effectum vt effectum imaginari queamus. Quum enim mutuò alterū alterius confirmatione egeat, vtrum ipſorū prius imaginari oporteat neſciemus. itaque nec eſſe aliquid alicuius cauſam pronuntiare poterimus. Vt autem etiam poſse cauſam ſub imaginationem cadere aliquis concedat, incomprehenſibilis propter controuerſiam habeatur. Nam qui dicit eſſe alicuius cauſam, aut ſimpliciter & à nulla cauſa probabili impulſum hoc ſe dicere, aut propter aliquas cauſas ſe *huic opinioni* aſsentiri ait. Et ſi quidē ſimpliciter, non erit fide dignior eo qui dicit ſimpliciter, nihil cuiuſquam eſſe cauſam: ſin rationes proferet propter quas eſſe aliquid alicuius cauſam exiſtimet, quod quæritur, per alterū quod quæritur, oſtēdere conabitur. Nam quum hoc in quæſtione verſetur, an aliquid alicuius cauſa ſit, ipſe (tanquam cauſa ſit) cauſam eſſe cur cauſa ſit, dicet. Præterea, quoniam de exiſtentia cauſæ quæſtio à nobis agitatur, etiam cauſam illius cauſæ *quam attulerit ad probandum* cauſam eſſe, neceſſe habuerit proferre: & illius rurſum aliam, & vſque in infinitū. Atqui impoſſibile eſt infinitas cauſas oſtendere. Impoſſibile eſt igitur aſſeuerāter pronuntiare aliquid eſſe alicuius cauſam. Ad hæc, aut cauſa, quum iam eſt, & exiſtit cauſa, facit effectum, aut quum non eſt cauſa. Sed quum non eſt, nequaquā: ſin quum eſt, oportet ipſam prius exiſtentiam habuiſſe, & prius fuiſſe cauſam, deinde eum inducere effectum, qui ab ipſa effici dicitur quū iam eſt cauſa. Sed quoniam ad aliquid eſt cauſa & ad effectum, non poſſe eam ante illum, vt cauſam, exiſtere, manifeſtum eſt. Ergo cauſa, ne tum quidem quum eſt cauſa, efficere poteſt illud cuius eſt cauſa. Quòd ſi neque tum quum non eſt cauſa, efficit aliquid, neque quum eſt: ne efficit quidem quicquam. Quare ne cauſa quidem erit. Nam cauſa non poteſt vt cauſa intellectu percipi, niſi efficiat aliquid. Vnde illud etiam dicunt nonnulli, Cauſam aut coexiſtere oportet cum effectu, aut prius aut poſt exiſtere. Nunc verò, ſi quidem dicamus cauſam incipere exiſtere poſt generationē effectus ipſius, vereor vt nimis hoc ridiculum fuerit. Sed neque ante ipſum exiſtere poteſt. ad ipſum enim dicitur intellectu percipi. Quæ autem ſunt ad aliquid, dicunt ipſi, quatenus ad aliquid ſunt, coexiſtere & ſimul intellectu percipi alia cum aliis. Quinetiam coexiſtere nō poteſt. ſi enim effectiua

eius

eius eſt, quod autẽ fit, ab alio iam ente fieri oportet, cauſam prius eſſe cauſam, ac tum demum facere effectum neceſſe eſt. Quamobrem ſi cauſa neque coexiſtit cum ſuo effectu, neque ante neque poſt ipſum exiſtit, vllóne modo exiſtentiæ particeps eſſe poſſit? Inſuper verò ex his, ni fallor, imaginationem cauſæ rurſus euerti liquet. Si enim cauſam, vt ad aliquid, non poſſumus ante effectum eius imaginari: vt autem tanquam cauſam effectus eius imaginemur, neceſſe eſt vt ipſam ante effectum eius imaginemur. at impoſſibile eſt imaginari quicquã ante illud ante quod nihil imaginari poſſumus: impoſſibile certè eſt imaginari cauſam. Ex hac igitur ratiocinatione rurſus colligimus, veriſimiles quidem eſſe rationes quibus docuimus dici debere cauſam eſſe: ſed veriſimiles tamen eſſe & illas quæ oſtendunt non eſſe pronuntiandum, quicquam eſſe cauſam. Ex his autem rationibus alterutras præferre non datur, quum neque ſignum, neque diiudicatorium, neque demonſtrationem de quibus conſtet habeamus, vt antea docuimus. Ergo vt de exiſtentia cauſæ aſſenſum retineamus, ac nihilo magis eſſe quàm non eſſe dicamus (quantum quidem ad ea attinet quæ à Dogmaticis dicuntut) neceſſe eſt.

De materialibus principiis. CAP. 4.

DE effectiuis ergo hæc dicta in præſentia ſufficiant. breuiter autem etiam de principiis quæ materialia vocantur dicendum eſt. Hæc igitur eſſe incomprehenſibilia, promptum eſt perſpicere ex controuerſia quæ de iis inter Dogmaticos extitit. Pherecydes quidem Syrius terram dixit omnium eſſe principium: Thales Mileſius aquam: Anaximander, huius auditor, infinitum: Anaximenes & Diogenes Apolloniates, aërem: Hippaſus autem Metapontinus, ignem: at Xenophanes Colophonius, terram & aquam: OEnopides Chius, ignẽ & aërem: Hippon Rheginus, ignem & aquam: Onomacritus verò in Orphicis, ignem & aquam & terram. (Nam de materia qualitatis experte quæ à nonnullis prodigioſo quodam modo fingitur, quam ne ipſi quidem comprehendere ſe inquiunt, quid attinet verba facere?) Ariſtoteles autem Peripateticus, ignem, aërem, aquam, terrã, ipſum cyclophoreticum *(q.d. in orbem verſatile)* corpus: Democritus autẽ & Epicurus, atomos: Anaxagoras Clazomenius, homœomerias: Diodorus qui vocatus fuit Cronus, minima & inſecabilia corpora: Heraclides Ponticus & Aſclepiades Bithynus, incõpoſitas moles: Pythagoras, numeros: Mathematici, extremitates corporũ: at Straton phyſicus, qualitates. Quum ergo tanta & maior etiam inter eos de ma-

terialibus principiis controuersia fuerit, aut omnibus assentiemur discrepantiis quæ positæ sunt, & cæteris quoque, aut aliquibus. Sed omnibus quidem possibile non est. non enim poterimus & Asclepiadi assentiri, qui dicit elementa frangibilia esse, & qualitate certa prædita: & Democrito, qui atoma hæc esse dicit, & qualitatis expertia: & Anaxagoræ, qui omnem sensibilem qualitatem circa homœomerias relinquit. Sin aliquam harum discrepantiarum aliis ex iudicio nostro præferemus, aut simpliciter & absque demonstratione illam præferemus, aut cum demõstratione. Sed nos absque demonstratione nõ assentiemur: sin demonstrationem afferamus, veram oportet esse demonstrationem. Sed vera non concedatur esse, nisi iudicata iudicatorio vero. at iudicatorium verum esse ostenditur per demonstrationẽ iudicatam. Si ergo vt demonstratio quidem quæ anteponit aliquam opinionem ab aliis dissidentem, vera esse ostendatur, oportet iudicatorium eius esse demonstratum: vt autem iudicatorium demõstretur, oportet demonstrationem eius antè iudicatam esse, diallelus modus comperitur, qui progredi non sinet orationem: quum demonstratio quidem semper egeat criterio demonstrato, criterium autem demõstratione iudicata. Quòd si semper criterium criterio iudicare, & demonstrationem demonstratione demonstrare velit aliquis, ad infinitum compelletur. Si ergo neque omnibus controuersis opinionibus de elementis possumus assentiri, neque alicui harum, de illis assensum retineamus necesse est. Et possent quidem fortasse hæc sola satis superque esse ad ostendendam elementorũ & materialium principiorum incomprehensibilitatem: vt tamen ampliorem refellendi Dogmaticos materiam habeamus, paulisper huic loco immorabimur. Et quoniam multæ ac propemodum infinitæ sunt de elementis opiniones, (quemadmodum docuimus) ad vnamquanque respondere sigillatim nunc supersedebimus, propter huius tractatus formã: quod tamen dicemus, ad omnes refutandas valebit. Quoniam enim quancunque alicuius sectæ controuersam de elementis opinionem protulerit, aut ad corpora deueniet, aut incorporea, satis esse existimamus docere incomprehensibilia esse corpora, incomprehensibilia item esse incorporea. Per hoc enim etiam elementa fore incomprehensibilia perspicuum erit.

An comprehensibilia sint corpora. CAP. 5.

CORPVS itaque dicunt esse quidam, quod censent aut agere aut pati. Quantum igitur ad hanc notionẽ, incomprehensibile est ipsum.

causa enim incomprehensibilis est, vt docuimus. quum autem dicere nequeamus an aliquid sit causa, nec an sit aliquid quod patiatur, dicere possumus. Nam quod patitur, à causa patiatur necesse est. Quũ autem etiam causa incomprehensibilis sit, & incomprehensibile id quod patitur, propterea incompreheñsibile erit etiam corpus. Nonnulli autem corpus esse dicunt quod tres habet diastases cum antitypia. Punctum enim dicunt, cuius pars nulla: lineam autem, longitudinem latitudine carentem: superficiem verò, longitudinem cum latitudine. Quum autem hæc etiam profunditatem præterea acceperit & antitypiam, corpus esse (de quo nunc à nobis fit mentio) constans ex longitudine, latitudine, & profunditate, & antitypia. Sed facilis profectò & ad hos responsio. nam aut corpus nihil præter hæc esse dicent, aut aliud quiddam, præter concursum supradictorum. Et extra longitudinem quidem & latitudinem & profunditatem & antitypiam, nihil esse possit corpus. Si autem hæc sunt corpus, & ostendat aliquis hæc inexistentia esse, etiam corpus tollat necesse est. nã tota, sublatis omnibus suis partibus tolluntur. Quum autẽ variis modis hæc liceat refellere, in præsentia his contenti erimus, vt dicamus, si sunt extremitates, eas aut lineas esse, aut superficies, aut corpora. Si igitur superficiem aliquam aut lineam esse dicat aliquis, etiam vnumquodque supradictorum aut seorsum subsistere posse dicetur, aut solùm circa ea quæ corpora dicuntur cerni. Sed per se quidem existentem aut lineam, aut superficiem, nemo sanæ mentis, vt opinor, somniauerit. Si autem circa corpora cerni tantùm dicatur, & per seipsum subsistere horum vnumquodque, primùm quidem ex hoc ipso concedetur, corpora ex illis facta nõ fuisse. oportuisset enim, credo, hęc prius subsistentiã per se habuisse, ac tum demum quum in vnum conuenissent, fecisse corpora. Præterea autem ne in iis quidem quę corpora vocantur subsistunt. quod quum pluribus doceri possit, eas quæ ex tactu afferri possũt dubitationes proponere satis erit. Si enim corpora quæ aliis apponuntur, à se vicissim tanguntur, extremitatibus suis, nimirum superficiebus, mutuò tanguntur. Ergo superficies totæ per totum aliæ aliis non vnientur, secundum tactum. alioqui confusio erit ipse tactus, & diuisio eorum tangentium erit *διασπασμός, id est, diuulsio.* Quod non cernitur. At si superficies aliis partibus tangit superficiem corporis quęd ipsi apponitur, aliis autem vnita est cũ corpore cuius est extremitas: nequaquam certè potest quisquam ne circa corpus quidem cernere longitudinem & latitudinẽ profunditatis

expertem: vnde ne superficiem quidem. Eodem etiam modo si duæ superficies (vt hoc supponamus) vnà cum altera apponantur, per extremitates earum in quas desinunt, secundum eam quæ dicitur earum esse longitudinem, id est secundum lineas, lineæ hæ per quas superficies tangere se mutuò dicuntur, ne vnientur quidem aliæ cum aliis: (confunderentur enim) sin vnaquæque earum aliis quidem partibus quæ sunt secundum latitudinem, tangit ipsi appositam lineam, aliis autem vnita est cum superficie cuius est extremitas; non erit latitudinis expers. Vnde ne linea quidē fuerit. Quòd si neque linea est in corpore, neque superficies, ne longitudo quidē aut latitudo aut profunditas erit in corpore. Quòd si quis corpora dicat esse extremitates, paucis illi respōderi poterit. Si enim longitudo corpus est, oportebit ipsum in suas tres diastases diuidi; quarum vnaquæque corpus existens, rursum ipsa diuidetur in alias tres diastases quę erūt corpora: & illæ in alias itidem, & hoc vsque in infinitū. adeò vt infinitæ magnitudinis sit corpus, vtpote quod in infinita diuidatur. At hoc absurdum est. Ergo ne corpora quidē sunt supradictæ diastases. Quòd si neque corpora sunt, neque lineæ aut superficies, ne esse quidem existimabuntur. Incomprehensibilis verò est etiam antitypia. nam si hæc comprehēdatur, tactu cōprehendi debeat. si igitur ostēderimus incomprehensibilē esse tactum, non posse comprehendi antitypiam perspicuum fuerit. Tactum autem esse incomprehensibilem ita ratiocinādo colligimus, Quæ se mutuò tangunt, aut partibus alia tangūtur ab aliis, aut tota à totis. Tota certè à totis nequaquam. alioqui enim vniētur, nec se inuicem tāgent. Sed ne partibus quidē partes. nā partes eorum, vt quidē ad tota, partes sunt: vt autē ad partes suas, tota. Hęc igitur tota sunt aliorū partes. Et tota quidē non tangent tota, propter ea quæ dicta sunt: sed neque partibus partes. nā horum partes ad suas partes *cōsideratæ*, tota quū sint, neque tota tangēt tota, neque partibus partes. Quòd si neque secundum totum, neque secundū partes fieri tactū comprehendimus, incomprehēsibilis erit tactus, ideóque etiā antitypia. vnde & corpus. Si enim nihil est illud præter tres illas diastases, & antitypiam, ostendimus autem vnumquodque horum esse incōprehensibile, corpus quoque erit incomprehensibile. Sic ergo, quantum ad notionem corporis, incomprehensibile est an sit corpus. Sed hoc proposito nostro addendum est. Entium alia dicunt esse sensibilia, alia imaginabilia: & hæc quidē intellectu, illa sensibus comprehendi. & sensus quidem esse ἁπλοπαθεῖς, *id est sim-*

pliciter

pliciter paßibiles: at verò intellectū à sensibilium comprehensione ad imaginabilium comprehensionem venire. Si quid igitur est corpus, aut sensibile est, aut imaginabile. Et sensibile quidem non est. nam per collectionem longitudinis, & profunditatis, & latitudinis, & antitypiæ, & coloris, & aliorum quorundam comprehēdi videtur, cum quibus ipsum contemplamur. at sensus dicuntur apud ipsos esse ἄλογοι. Quòd si imaginabile esse dicitur corpus, oportet necessariò esse aliquid in natura rerum sensibilium, à quo corporum imaginabilium erit imaginatio. At verò nihil est præter corpus & incorporeū: ex quibus incorporeum quidem ex seipso imaginabile est: at corpus non sensile, vt docuimus. Quum igitur non sit in natura rerum sensile quicquam à quo imaginatio esse possit corporis, ne imaginabile quidem erit corpus. Quòd si neque sensile sit neque imaginabile, præter hæc autē nihil est, quatenus sequemur dictas rationes, ne esse quidem corpus dicendum est. Propterea igitur nos opponentes eas rationes quæ aduersus corpus pugnant, iis quæ apparere dicunt corpus existens, de corpore retinēdum esse assensum colligimus. Porrò ex corporis incomprehensibilitate etiā incorporei concluditur incomprehensibilitas. nam priuationes, habituum priuationes intelliguntur, vt visus, cæcitas: & auditus, surditas: & in aliis eodē modo. Itaq; vt priuationem comprehendamus, oportet nos prius habitum comprehendisse cuius priuatio dicitur esse ipsa priuatio. Nam si quis intellectu visum non perceperit, dicere nequeat hunc vel illum visu carere, id est, cæcum esse. Si igitur priuatio corporis est incorporeum, nisi verò habitus comprehendantur, impossibile est priuationes eorum comprehendi: ostensum est autem corpus incomprehensibile esse: incomprehensibile certè erit etiam incorporeum. Nam aut sensu aut intellectu perceptibile est. siue autē sensu perceptibile sit, comprehendi nequit, propter differentiam animalium, & hominum, & sensuum, & circunstantiarū: & propter commistiones, & reliqua quæ à nobis, quum de decem modis epoches tractaremus, dicta sunt. Siue intellectu perceptibile, quū ex seipsa non concedatur sensuum comprehensio, cuius impulsu ad intellectu perceptibilia appellere videmur, ne ipsa quidem sensu perceptibilium comprehensio ex seipsa concedetur. propterea nec incorporei comprehensio. Et qui dicit se incorporeū comprehendere, aut sensu hoc se comprehendere ostendet, aut per logon. Et sensu profectò minimè: quia sensus quidē per impressionem & punctionem videtur sensibilia percipere. vt visus,

 (siue

(siue fiat per enstasin coni, siue per imaginum apocrises & epicrises, siue radiorum aut colorum affusiones) & auditus quoque: (siue percussus aër, siue partes vocis deferantur ad aures, & auditiuum spiritũ percutiant, adeò vt perceptionem vocis efficiant.) Sed & odores ad nares, & sapores ad linguam deferuntur, & quæ tactum mouent, eodem modo ad tactum. At verò incorporea talem impressionem sustinere non possunt: itaque sensu comprehendi nequeunt. Sed neq; per logon. si enim dicibile quidẽ est logos, & incorporeus (vt aiunt Stoici) qui dicit per logon accipi incorporea, quod in quæstione versatur, arripit. Nam quum quæramus an possit aliquid incorporeum comprehendi, ipse aliquid incorporeũ accipiens simpliciter, per hoc comprehensionem incorporeorum facere vult. Atqui & ipse logos (si incorporeus est) ex numero eorum est de quibus quæritur. Quomodo igitur ostendet quisquam hoc incorporeum, videlicet logon, prius comprehendi? Nam si per aliud incorporeum, etiam comprehensionis illius demonstrationem quæremus: & hoc vsque in infinitum: quòd si per corpus, atqui etiam de comprehensione corporum quæstio est. Per quod igitur comprehendi corpus demonstrabimus, quod ad demonstrationem comprehensionis logi incorporei sumitur? Siquidem per corpus, ad infinitum compellimur: sin per incorporeum, in diallelum modum incidimus. Quum ergo ita incomprehensibilis maneat logos, siquidem incorporeus est, non possit dicere quisquam per ipsum comprehẽdi incorporeum. Si autem corpus est logos, quoniam etiã de corporibus controuersia est comprehendantur néc ne, propter cõtinuum eorum effluuium quod vocant, adeò vt neque demonstrationẽ recipiant, nec esse existimentur: (vnde & Plato vocat corpora nascentia quidem, nunquam autem existẽtia) quomodo controuersia de corpore diiudicari possit dubito: quum hanc nec corporeo nec incorporeo diiudicari posse videã, propter dictas paulo antè dubitationes. Ergo ne per logon quidem corpora comprehendi possunt. At si nec sub sensum cadunt, nec per logon comprehenduntur, ne vllo quidem modo comprehẽdi possint. Iam verò si nec de existentia corporis, nec de incorporeis affirmari potest, de elementis etiam retinendus est assensus. Fortasse autem de iis etiam quæ sunt post elementa: siquidem horum alia sunt corporea, alia incorporea, & de vtrisque motæ fuerunt dubitationes. Cæterùm quũ & de principiis effectiuis & de materialibus ob has causas retineri assensus debeat, hæret ipsa de principio dubitatio.

De

De crasi, id est, temperatione. CAP. 6.

VERVM (vt hæc etiam omittantur) quomodo fieri dicunt syncrimata ex primis elemẽtis, si nec θίξις existat, nec ἁφή. *i. tactus, seu tactionis sensus*, nec temperatio aut commistio vllo modo? Nihil enim esse tactum paulo antè docui, quum de subsistentia corporis disputabam. Iam verò ne temperationis quidem modum (quantum quidem ad ea attinet quæ ab illis dicuntur) possibilem esse, de hoc breuiter consyderationem meam proponam. multa enim dicuntur de crasi, & immensi propemodum sit laboris enarrare quæ sint apud Dogmaticos de illa discrepantiæ. Vnde iam nunc ex indiiudicabili controuersia, etiam incomprehẽsibilitas ipsius problematis inferri possit. Nos autem in pręsentia vnumquodque horum refellere supersedentes, propter institutum huius tractatus, hæc quæ dicemus, sufficere posse existimamus. Quæ temperantur, ex substantia & qualitatibus constare dicunt. Aut igitur substantias quidẽ eorum misceri dicet aliquis, qualitates autem nequaquam: aut qualitates quidẽ, substantias non item: aut neutrum cum altero misceri, aut vtraque inter se vniri. Verùm si neque substantia neque qualitates commiscentur inter se, intellectu percipere crasin non poterimus. quomodo enim vnũ sensum ex temperatis fieri continget, si per nullum supradictorum commiscentur inter se ea quæ temperantur? Quòd si qualitates quidem simpliciter adiacere dicantur aliæ aliis, substantiæ autẽ misceri, hoc etiam modo absurdum fuerit id quod dicitur. Non enim separatas qualitates quę sunt in crasibus, percipimus, sed tanquam vnam è commistis factam sentimus. Si verò qualitates quidem misceri dicat aliquis, substantias autem nequaquam, impossibilia dicet. Nàm qualitatum subsistentia in substantiis est. Propterea ridiculum fuerit dicere, qualitates quidẽ separatas à substantiis, etiam seorsùm inter se misceri, substantias autem qualitatis expertes seorsùm relinqui. Superest vt dicatur, qualitates eorum quę temperãtur, & substantias peruadere alias per alias, & dum commiscentur, efficere temperamentum. Quod supradictis est absurdius. impossibile est enim huiusmodi temperamẽtum. Verbi gratia, Si decẽ cotylis aquæ cotyla vna succi cicutæ admisceatur, toti aquæ contemperari dicatur cicuta. Nam si vel minimam partẽ huius misturæ acceperit aliquis, ipsam cicutæ potentia refertam esse comperiet. Quòd si commiscetur cicuta vnicuiq; parti aquæ, & coextenditur ipsi tota toti per substãtiarum & qualitatum ipsarum peruasionem inter se, vt ita crasis fiat: quæ autem coextenduntur alia cum aliis per

per omnem partem, æqualem occupant locum, ideoq; æqualia ſunt inter ſe, nimirum cotyla cicutæ decem cotylis aquæ æqualis fuerit, adeò vt viginti cotylas oporteat eſſe miſturã,aut duas ſolas,per hanc ſuppoſitionem modi craſeωs: & rurſum ſi cotyla aquæ viginti cotylis (quantum ad hanc hypotheſin)iniecta fuerit,quadraginta cotylarum eſſe menſuram oportet, aut rurſum duarum tantùm: quoniam etiam cotylam decẽ cotylas poſſumus imaginari,quia tot cotylis coextenditur:& viciſſim decem cotylas,vnam,cum qua æquantur. Quinetiã poſſit aliquis ſigillatim cotylam addens, & eodẽ modo ratiocinans, colligere,illas viginti miſturæ cotylas quę cernuntur,debere eſſe viginti cotylarũ millia, & amplius,(quãtum ad propoſitum modũ craſeωs)eaſdem autem etiam duas ſolas.quo fingi nihil poſſit abſurdius. Abſurdus eſt ergo & hic qui ſupponitur modus ipſius craſeωs. Quòd ſi neq; ſubſtãtiis ſolis inter ſe commiſtis,neq; qualitatibus ſolis,neq; vtriſque,neq; altero tantùm,fieri poteſt craſis:at præter hæc nihil poteſt quiſquã intellectu percipere:modus craſeωs & generaliter commiſtionis intellectu percipi non poteſt. Itaque ſi neq; per tactum admota alia aliis ea quæ videntur elementa, neque contemperata, aut miſta,poſſunt ſyncrimata efficere,Dogmaticorum phyſiologia, etiã ex iis quæ diximus,intellectu comprehendi non poſſe comperitur.

De motu. CAP. 7.

PRÆTER illa autem quæ diximus, ex diſputatione de motibus animaduerti poterat impoſsibilem exiſtimari debere Dogmaticorũ phyſiologiam. omnino enim per aliquem motum elementorum & effectiui principij fieri ſyncrimata oportet. Si ergo doceamus nullã eſſe motus ſpeciem de qua conſtet, manifeſtum erit,etiamſi per ſuppoſitionem concedanrur omnia ſupradicta, fruſtra tamen Dogmaticos quem vocant phyſicum λόγον percurriſſe.

De tranſitorio motu. CAP. 8.

DICVNT igitur ij qui abſolutius vidẽtur de motu diſputaſſe,ſex eius ſpecies eſſe:localem tranſitũ,naturalem mutationem,incrementum,decrementum,generationem,& corruptionẽ.Nos ergo vnamquanque ſupradictarum motus ſpecierum ſigillatim expẽdemus, facto à locali tranſitu principio. Eſt igitur hæc,ſecundũ Dogmaticos, ſecundum quam de loco in locum tranſit id quod mouetur:aut ſecundum totalitatem,aut ſecundum partem. Per totalitatem,vt in iis quæ deambulant:ſecundum partem autem,vt in ſphæra quę circa cẽtrum mouetur. Nam quum ipſa tota maneat eodem in loco, partes locos

mutant.

mutant. Tres autem, ni fallor, fuerunt omniũ antiquissimæ de motu inter se discrepantes opiniones. nam Bias & aliqui philosophi esse motum existimant: at Parmenides & Melissus & alij quidam negant: Sceptici verò non magis esse motum quàm non esse dixerunt. Nam quantum ad apparẽtia quidem, videri esse motum, sed quatenus quis philosophicam rationem sequatur, nõ esse. Nos igitur postquam tũ illorum qui motum esse existimant, tum etiam eorum qui motũ nihil esse pronuntiant, altercationem exposuerimus, si ipsas discrepantiæ causas paris momenti vtrinq; esse comperiamus, non magis esse motum quàm non esse dicere cogemur, quantum quidem attinet ad ea quæ dicuntur. Ab iis autem qui dicunt ipsum esse, exordiũ sumemus. Hi certè maximè actu nituntur. si enim (inquiunt) nõ est motus, quomodo ab oriente ad occasum Sol apparet, & quomodo anni tempora facit, quæ fiunt prout vel nobis propior, vel à nobis remotior est? Aut quomodo naues à portu vno soluentes ad alium portum longissimo interuallo dissitum appellunt? Quomodo is qui tollit motum, domo exit, & domum reuertitur? Hæc illi refutari nullo modo posse censuerunt. Ideoque quidã ex Cynicis, quum ei proposita esset contra motum oratio, nihil respondit, sed surgẽs ambulare cœpit, opere & actu ostendens existere motum. Hi ergo hoc modo illis qui ab altera stant parte, silentium imponere conantur. At qui existentiam motus tollũt, hęc epicheremata afferũt: Si quid mouetur, aut à seipso mouetur, aut ab alio: sed si quidem ab alio * quod enim dicitur à seipso moueri, aut per nullam causam mouebitur, aut per aliquã. sine causa quidem nihil dicunt fieri: sin per aliquã causam mouetur, causa per quam mouetur, motiua eius erit. vnde in infinitum delabitur secundum superiorem disputationis methodum. Pręterea si quod mouet, efficit: quod autem efficit, mouetur, illud quoq; egebit mouente alio, & secundũ tertio, & vsque in infinitum, adeò vt principij expers reddatur motus. quod absurdum est. Ergo omne quod mouetur, ab alio non mouetur. At neque à seipso. quia enim omne quod mouet, aut protrudens mouet, aut à tergo trahẽs, aut sursum trudẽs, aut comprimens: oportebit vt id quod seipsum trudit, per vnum aliquem ex prædictis modis seipsum moueat. sed si quidẽ protrudendo seipsum mouet, erit retro seipsum: si à tergo trahendo, ante seipsum: si sursum trudendo, infra seipsum: si comprimẽdo, supra. Atqui impossibile est vt aliquid supra seipsum, aut ante, aut infra, aut retro sit: impossibile est ergo à se quicquam moueri. At si neque à seipso motus sit, neque

ab alio. nihil ergo mouetur. Quòd si quis ad ὁρμὴν & ad προαίρεσιν confugiat, is admonẽdus est de controuersia, quæ est de eo quod dicitur esse ἐφ' ἡμῖν. *i. in nostra potestate:* & hanc indiiudicabilem esse, quũ nos veritatis criterium nondum inuenerimus. Illud pretereà dicendum est, si quid mouetur, aut in eo in quo est loco mouetur, aut in quo nõ est. at neque in quo est: manet enim in eo, si in eo est. nec verò in quo non est: vbi enim aliquid non est, illic neque agere quicquam neque pati potest. Non ergo mouetur quicquam. Est autẽ hæc oratio Diodori Croni, quæ multas refutationes habuit: ex quibus nos eas tantùm quæ magis premunt (propter huius tractatus formam) cum apparẽte nobis diiudicatione exponemus. Dicunt ergo nonnulli posse quidpiam in quo sit loco moueri. nam sphæras, quę circa centra voluuntur, in eodẽ manentes loco moueri. Quibus respondentes, transferre oportet orationem ad vnamquanque sphæræ partem, & docere, sequendo illa verba, ne per partes quidem moueri: atque ita concludere, nihil ne in eo quidem in quo sit loco moueri. Idem autem faciemus & aduersus eos qui dicunt, quod mouetur duos attingere locos, & eum in quo est, & eum ad quem fertur. Illos enim interrogabimus quando id quod mouetur feratur à loco in quo est in alium: vtrum quando in primo loco est, an quando in secundo. Atqui quum est in primo, non transit in alterum: nam adhuc in primo est. quum autem non est in eo, non transit ab eo. Adde quòd etiam arripitur id de quo quæritur. nam in quo non est, ne agere quidem in eo potest. non enim ferri in locum aliquẽ concedet quis illud simpliciter, *& absque demonstratione*, quod moueri non concedit. Sunt verò & qui hoc dicant: Locus bifariam dicitur, alter qui est in latitudine, vt mea domus: alter qui est exactè, vt verbi gratia aër qui circunformauit corporis superficiem. Dicitur ergo in loco moueri id quod mouetur, nõ in eo qui est exactè, sed in eo qui est secundũ latitudinem. Quibus possumus, subdiuisione facta loci qui est in latitudine, respondere, in altero quidem esse propriè quod moueri dicitur corpus, vt in loco suo qui sit exactè: in altero autem non esse, vt in reliquis partibus loci qui est secundum latitudinem. deinde inferẽtes, quòd neque in quo est loco moueri quicquam potest, neque in quo non est, cõcludere, ne in loco quidem qui secundũ latitudinem dicitur per abusionẽ, moueri quicquam posse. Constituitur enim ex duobus, & hoc in quo est exactè, & illo in quo exactè non est. in quorum neutro moueri quicquam posse demonstratum est. Sed proponenda est & hæc ratiocinatio:

Si quid

Si quid mouetur, aut secundum prius mouetur, aut secundum confertim diuisibile interuallum. Neque autem secundum prius, prius potest quicquam moueri, nec secũdum confertim diuisibile interuallũ, vt ostendemus. Nihil igitur mouetur. Itaque secundum prius, prius non posse quicquam moueri, ex se patet. Si enim in infinitum secantur corpora, & loca & tempora, quibus moueri dicuntur corpora, nõ erunt motus: quum impossibile sit vt aliquid quod primum sit in infinitis inueniatur, à quo primo mouebitur id quod moueri dicitur. At si in indiuiduum desinunt supradicta, & vnumquodque eorum quæ mouentur, primum indiuiduum loci similiter pertransit atque primũ sui indiuisibile tempus, omnia quæ mouentur, æqualem celeritatem habẽt, vt celerrimus equus & testudo. quod est priore absurdius. Nõ ergo secundum prius fit motus. Sed neq; secundum confertim diuisibile interuallum. Si enim apparentia testificari de incertis debent (vt inquiunt) quum vt quis cõficiat stadij vnius interuallum, oporteat prius ipsum conficere primam stadij partem, & secundam posterius, & reliquas eodem modo: sic & omne quod secũdum prius mouetur, prius moueri oportet. Nam si quod mouetur, dicatur transire cõfertim, omnes partes loci in quo moueri dicitur, in omnibus simul erũt eius partibus. &, si pars quidem vna sit frigida, altera autẽ calida loci per quem mouetur: aut (vt ita fingamus accidere) vna quidem nigra, altera autem alba, adeò vt etiam colorare posit occurrentia: quod mouetur, erit calidum simul & frigidum, & nigrũ & album. quod absurdum est. Deinde & quantum loci confertim transeat id quod mouetur, dicant. Nam si hunc indefinitũ esse dicant, aliquid moueri per totam terram confertim concedent: sin hoc refugiunt, magnitudinẽ loci nobis definiant. nam exactè conari definire locũ, quo maius interuallum ne per multo minimam quidem partem poterit transire id quod mouetur confertim, præterquã quod est apocleroticum, & temerarium, ac fortassis etiam ridiculum, in dubitationem initio positã recidit. omnia enim æqualem habẽbũt velocitatem. si quidẽ vnũmquodque ipsorum similiter per definita loca transitus motuum facit. Si verò dicent per paruum quidem non exactè tamen definitum locũ confertim moueri id quod mouetur, per soriticam dubitationẽ semper ad magnitudinẽ quam per hypothesin habuerimus, multo minimam quandam magnitudinẽ loci addere nobis licebit. Si enim consistent alicubi, dum nos hanc proponemus orationem, rursus in exactam circunscriptionem & in illa prodigiosa figmenta recident. Sin

 admit-

admittent adaugmentationem, cogemus eos confiteri, poſſe aliquid confertim per magnitudinem totius terræ moueri. Ergo ne ſecundũ quidem confertim diuiſibile interuallum mouentur ea quæ moueri dicuntur. Quòd ſi neque ſecundum confertim diuiſibilẽ locum, neq; per prius mouetur quicquam: nihil eſt profectò quod moueatur. Hęc ergo & plura his dicunt qui tranſitorium motum tollũt. Nos autem, quòd neque has rationes, neque ipſum apparens (quod ſequentes, dicunt motum eſſe) poſſimus euertere, quantum ad rationes quę oppo nuntur illis quæ ſunt apparentia, de hoc, motúſne ſit, an non, aſſenſum retinemus.

De augmento & imminutione. CAP. 9.

EADEM autem ratione moti, etiam de augmento & imminutione aſſenſum retinemus: nam effectus videtur ipſorum ſubſiſtentiam inducere, quam euertere rationes videntur. Nam tu vel hoc ſaltem conſidera. Quod augetur, ens & ſubſiſtens, ad magnitudinẽ promouere oportet: (ſi quis enim vni facta augmentatione, alterum auctum eſſe dicat, mentietur) quum igitur ſubſtãtia nuſquam ſtet, ſed ſemper fluat, & alia pro alia ad efficiẽdam concretionem veniat, quod auctũ eſſe dicitur, non habet priorem ſubſtantiam, & cum hac aliam additam, ſed totam aliam. Quemadmodum igitur ſi (verbi gratia) ligno tricubitali exiſtente, decemcubitale aliud afferat quiſpiam, ac dicat auxiſſe tricubitale, mentietur, (eo quòd totum ſit aliud hoc ab illo) ita & in omni quod augeri dicitur, priore materia effluẽte, & alia ingrediente, ſi additur id quod addi dicitur, nemo augmentationẽ vocauerit hoc quòd talis ſit, ſed ex toto immutationẽ. Idẽ & de imminutione dici poteſt. nã quod nullo modo ſubſiſtit, quomodo imminutum eſſe dicetur? Præterea ſi imminutio quidem fit per ablationem, augmentatio autẽ per additionẽ: nihil autem eſt neq; ablatio, neque additio: ergo ne imminutio quidem aut augmentatio eſt aliquid.

De ablatione & additione. CAP. 10.

NIHIL autem eſſe ablationem, ex hac ratiocinatione colligunt: Si quid ab aliquo aufertur, aut æquale ab æquali aufertur, aut maius à minori, aut minus à maiori. At per nullum ex his modis ablatio fit, vt declarabimus. Fieri ergo nõ poteſt ablatio. Per nullum autem ex his ablationem fieri hinc perſpicuum eſt: Quod aufertur ab aliquo, oportet ante ablationẽ contineri in eo à quo aufertur. At verò nec æquale in æquali cõtinetur, vt ſex in ſex. (oportet enim maius eſſe id quod continet, eo quod continetur: & id à quo aufertur aliquid, eo quod

aufer-

auferatur,vt post ablationẽ aliquid relinquatur. hæc enim videtur esse differentia inter auferre, & inter prorsus tollere totum.) Nec verò maius in minore continetur, vt sex in quinque.(hoc enim absurdum est.) Propterea verò nec minus in maiori. nam si in sex continentur quinque,(vt in pluribus pauciora) etiam in quinque continebuntur quatuor, & in quatuor tria,& in tribus duo, & in his vnum. atque ita fiet vt sex habeant quinque,quatuor,tria,duo,vnum. quibus compositis quindecim fiunt,qui numerus in sex contineri concluditur, si minus in maiori contineri concedatur. Similiter & in quindecim, qui in sex continetur,trigintaquinque continentur,& paulatim progredien do infiniti numeri. Atqui dicere infinitos numeros in numero sex cõtineri absurdum est. Itidem ergo & in maiori minus cõtineri dicere, absurditatem habet. Si igitur oportet,quod aufertur ab aliquo, contineri in illo à quo auferri debet:at nec æquale in æquali continetur, nec maius in minori, nec minus in maiori: nihil certè ab vllo aufertur. Insuper verò, si aufertur aliquid ab aliquo, aut totũ à toto aufertur,aut pars à parte:aut totũ à parte,aut pars à toto. Totum ergo dicere auferri aut à toto,aut à parte,manifestè rationi repugnat. Quod si ita est, superest vt dicatur partem auferri à toto, aut à parte. quod est absurdum. Exempli gratia(vt à numeris orationem non abducamus,ob maiorem perspicuitatem) sit decas,*id est,denarius numerus*,& ab hac dicatur auferri vnitas. hæc vnitas nec à tota decade auferri potest,nec à reliqua parte decadis,nempe ab enneade.*i. nouenario numero*:vt patefaciam. Ergo ne aufertur quidem. Nam si vnitas à tota decade aufertur, quoniam decas nec aliud quicquam est quàm decem vnitates,nec vlla vnitatum,sed cõcursus omnium vnitatum : ab vnaquaq; vnitate auferri debet vnitas, vt à tota auferatur decade. In primis ergo ab vnitate quidem nihil potest auferri (indiuisibiles enim sunt vnitates) & propterea non auferetur vnitas à decade hoc modo. veruntamen licet concedat aliquis ab vnaquaque vnitate auferri vnitatem,decem habebit partes vnitas:decem autem habens partes,erit vnitas. Iam verò quum decem aliæ partes relictæ sint à quibus ablatæ sint decẽ partes eius quę vnitas vocatur,decem hæc erunt viginti. Atqui absurdum est dicere vnum decem esse,& decẽ viginti,& quod indiuisibile est(secundum ipsos)diuidi. Absurdum est igitur,dicere à tota decade vnitatem auferri. Sed ne ab ea quidem quæ superest enneade, *id est,nouenario numero*, aufertur vnitas. nam id à quo aliquid aufertur,non manet integrum. At enneas post ablationem illius vni-

tatis integra manet. Ad hæc verò, quum enneas nihil sit præter nouē vnitates, si quidem ab ipsa tota dicatur vnitas auferri, enneas ipsa auferetur: sin à parte ipsorum nouem, si quidem ab octo, eædem absurditates sequentur: sin ab vnitate quæ vltima est, diuisibilē esse dicent vnitatem. quod est absurdum. Ergo nec ab ennead[e] quidem aufertur vnitas. Quòd si neq; à tota decade aufertur, nec à parte eius, ne pars quidem à toto aut à parte auferri potest. Si igitur neq; totum à toto quicquam aufertur, neque pars à toto, neque totum à parte, nec pars à parte, nullo modo aliquid ab aliquo auferri cõsequitur. Quinetiā additio inter impossibilia ab ipsis numeratur. nam quod additur (inquiũt) aut sibiipsi additur, aut alicui iam antè subiecto, aut ei quod ex vtroque constat. At nihil horum est verum. Ergo nihil vlli additur. Exempli gratia, Sit multitudo quatuor cotylarum, & addatur cotyla: quæro cui addatur. Sibiipsi quidem nõ potest (nam id quod additur, aliud est ab eo cui additur: nihil autem est aliud à seipso.) Sed neque additur ad id quod ex vtroque constat, ex quatuor cotylarum mensura & ex cotyla. nam quomodo addatur aliquid ad id quod nondum est? Ad hæc, si numero quatuor cotylarum & cotylę admisceatur cotyla, ea quę additur, multitudo erit decem cotylarum, ex multitudinè quatuor cotylarum, & cotyla, & alia cotyla addita. Quòd si ad solam multitudinem quatuor cotylarum additur cotyla, quia id quod alicui cõextenditur, æquale erit ei cui coextenditur, si cotyla quatuor cotylarum multitudini coextẽdatur, duplicabit illam quatuor cotylarum multitudinem, adeò vt tota multitudo sit octo cotylarum. Quod verum esse nõ cernitur. Si ergo neque sibiipsi additur id quod addi dicitur, neque iam subiecto, neque illi quòd ex vtroque horum cõstat: præter hæc autem nihil est: certè nec quicquam cuiquam additur.

De transpositione. CAP. II.

IAM verò vnà cum additionis ablationisq; & localis motus subsistentia transpositio etiam circunscribitur. Hæc enim est ab aliquo quidem ablatio, ad aliquid verò additio, transitoriè.

De toto & parte. CAP. 12.

ITIDEM verò & totum & partes. nam per cõcursum & additionem partium totum fieri videtur: per ablationem autem alicuius aut aliquorum, desinere esse totum. Præterea si aliquid est totũ, aut aliud est quàm partes eius, aut ipsæ partes eius totũ sunt. Atqui aliud à partibus nihil videtur totum esse: (nam sublatis quidem certè partibus, nihil remanet, vt aliud quicquam quàm has cogitemus esse totum)

quòd

quòd si ipsæ partes totum sunt, nomen erit duntaxat ipsum totum, & appellatio inanis, subsistentiam verò propriam non habebit. Quemadmodum nec interuallum est aliud quàm ea quæ sunt interuallo dissita, nec contignatio aliud est præter ea quæ sunt contignata. Ergo totum non erit quicquam. Sed ne partes quidem *erunt quicquam*. Si enim sunt partes, aut ipsæ sunt totius partes, aut aliæ aliarum partes, aut vnaquæque suiipsius pars. At neque totius: (quia nihil est aliud præter partes. & alioqui partes hoc modo essent suiipsarum partes: quoniam vnaquęq; pars completiua esse dicitur totius) nec aliæ aliarum: quia pars contineri videtur in illo cuius est pars. Est autem absurdum dicere manum (verbi gratia) in pede comprehēdi. Nec verò vnaquæq; pars suiipsius pars erit. nam propter complexionē, erit aliquid seipso maius & minus. Ergo si neque totius, neque suiipsarum, nec aliæ aliarum partes sunt eæ quæ partes esse dicuntur, nullius sunt partes. quòd si nullius sint partes, ne partes quidē sunt. nā quæ sunt ad aliquid, alia vnà cum aliis euertuntur. Et hæc quidem per digressionem dicta sint, quoniam semel totius & partis mentionem fecimus.

De naturali mutatione. CAP. 13.

SVNT etiam quæ eam quæ naturalis appellatur mutatio, subsistentiam habere negēt, rationibus huiusmodi hoc astruentes: Si mutetur aliquid, aut corpus est quod mutatur, aut incorporeum. At de vtroque horum dubitatio est. ergo & quæ de mutatione dicuntur, ea quoque in dubium reuocabuntur. Deinde si mutatur aliquid secundum aliquos effectus causæ, patiens etiā mutatur. euertitur enim causæ subsistentia, cum qua patiens etiā euertitur, non habens à quo patiatur. Ergo nihil mutatur. Præterea si quid mutatur, aut quod existit mutatur, aut quod non est. At quod non est, subsistentiam non habet, & neque agere neque pati quicquam potest. ergo ne mutationē quidem recipit. Si verò quod existit mutatur, aut quatenus ens est mutatur, aut quatenus ens non est. Verùm quatenus non ens est, non mutatur. neque enim est, si sit non ens. Si verò quatenus ens est, mutatur, aliud fuerit quàm quod ens est: id est, ens non fuerit. Atqui absurdum est dicere, ens, fieri vt ens nō sit. ergo ne ens quidem mutatur. Quòd si neque ens mutatur, neque non ens, præter hæc autem nihil est, superest vt nihil mutari dicamus. Nonnulli verò hæc quoque dicunt. Quod mutatur, in aliquo tempore mutari debet. At verò nec in præterito tempore mutatur quicquam, neque in futuro, nec in præsenti, vt ostendemus. Non ergo mutatur quicquam. In præterito quidem

aut futuro tempore nihil mutatur. horum enim neutrum præsens est. at impossibile est agere quicquam aut pati in tempore nō ente & nō præsenti. Sed ne in præsenti quidem potest. nam presens tempus fortasse etiam inexistens est. Vt tamen hoc nunc prætereamus, indiuisibile est. atqui impossibile est indiuisibili tempore existimare ferrum (verbi gratia) à duritie in mollitiem mutari, aut aliarum mutationum vnamquanq; fieri, productione enim hæ videntur egere. Si ergo neque in præterito tempore mutatur quicquam, neque in futuro, neq; in præsenti, ne mutari quidem quicquam dicendū est. Præterea siquæ est mutatio aut * sensus sunt ἁπλοπαθεῖς. i. simplicem passionem habentes. mutatio autem videtur vnà mentionem habere & eius ex quo mutatur, & eius in quod mutari dicitur. Sin est intellectu perceptibilis, quia de existentia eorū quæ sunt intellectu perceptibilia, indiiudicabilis extitit apud antiquos cōtrouersia (quemadmodū sæpe iam docuimus) nihil ne de existentia quidem mutationis dicere poterimus.

De generatione & corruptione. CAP. 14.

EVERTITVR profectò etiam generatio & corruptio vnà cū additione & ablatione & naturali mutatione. Absq; his enim nihil nec generari nec corrumpi possit. Verbi gratia, ex decade corrupta, vt aiunt, enneadem generari contingit, per ablationem vnitatis: & decadem ex enneade corrupta, per additionem vnitatis. & æruginē ex ære corrupto, per mutationē. Itaque euersis supradictis motibus, vnà etiam generationem & corruptionem euerti fortasse necesse est. Nihilominus tamē sunt qui hæc etiam dicant: Si generatus est Socrates, quando non erat Socrates, generatus est, aut quum iam erat. Verùm si generatus esse dicatur quum iam esset, bis fuit generatus. quòd si quum non esset, simul & erat Socrates, & nōn erat. erat quidem quatenus generatus erat, non erat autem secundum nostram suppositionem. Ac si mortuus est Socrates, aut quum viueret, mortuus est, aut quum mortuus esset. atqui tum quidem quum viueret, non erat mortuus: (nam idem & viueret & mortuus esset) sed neq; quum mortuus esset: alioqui bis mortuus foret. Nō igitur mortuus est Socrates. Hac autem ratiocinatione possit aliquis in vnoquoque eorum quæ generari aut corrumpi dicuntur insistens, generationem & corruptionem euertere. Sunt verò & qui hac obiectione vtatur: Si quid generatur, aut ens generatur, aut non ens. at neque non ens generatur: (nam ei quod non est, nihil accidere potest, ideoque nec generatio) neq; ens generatur. Nam si ens generatur, aut quatenus ens est, generatur, aut quate-

quatenus non ens est. At quatenus non ens est, non generatur. quòd si quatenus ens est, generatur: quia quod generatur, aliud ex alio dicunt generari: aliud erit ab ente id quod generatur, quod est nō ens. Ergo quod generatur, non ens erit. quod à ratione abhorret. Si igitur neque quod nō est generatur, neque quod est, ne generatur quidem quicquam. Eodem modo auté neq; corrumpitur. Nam si quid corrumpitur, aut ens corrumpitur, aut non ens. sed non ens non corrumpitur. nam oportet vt id quod corrumpitur aliquid patiatur. Sed neque ens. Aut enim manens in hoc vt sit ens, corrumpitur, aut non manens. & si quidem manens in suo ens esse, erit idem simul & ens & non ens. Quoniam enim corrumpitur, non quatenus nōn est ens, sed quatenus est ens: quatenus quidem corruptum esse dicitur, aliud erit ab ente, & propterea non ens. quatenus auté manens in suo esse, dicitur corrumpi, ens erit. Sed enim absurdum est dicere idem esse & ens & non ens. Nō ergo manés in suo esse corrumpitur ens. Quòd si ens non manens in suo esse, corrumpitur, sed ad non esse redigitur primùm, deinde corrumpitur, non iam ens, sed nō ens corrumpitur. quod impossibile esse docuimus. Si ergo neq; ens corrumpitur, neq; non ens: præter hæc autem nihil est: ne corrumpitur quidem aliquid. Hæc ergo, vt in hypotyposi, etiam de motibus dixisse sufficiet. Ex quibus sequitur inexistentem esse & inimaginabilem Dogmaticorum physiologiam.

De mansione. CAP. 15.

CONSEQVENTER autem his & de mansione quæ est quantū ad naturam, dubitationes proposuerunt aliqui, dicentes, Quod mouetur, non manet. omne autem corpus perpetuò mouetur, secundum opiniones Dogmaticorū, qui fluidam esse dicunt substātiam, & semper egerere, aliaque insuper assumere, (adeò vt Plato ne vocauerit quidem corpora quæ sint, sed potius quæ gignātur: & Heraclitus veloci fluminis cursui mobilitatem nostræ materiæ comparet.) Nullū igitur corpus manet. Nam quod dicitur manere, videtur ab iis quæ circa ipsum sunt contineri. at quod cōtinetur, patitur. nihil autem est patiens, quia ne causa quidem, vt docuimus: ergo ne manet quidem aliquid. Sunt verò & qui orationem hanc proponant, Quod manet, patitur: quod autem patitur, mouetur. ergo quod manere dicitur, mouetur. quòd si mouetur, non manet. Ex his auté perspicuum est neq; incorporeum manere posse. nam si manens patitur, pati auté corporum est proprium (vtpote quod non sit etiam incorporeorum) nihil

autem incorporeum neque pati potest neque manere. nihil ergo manet. Hactenus etiam de mansione dictũ sit. Quoniam autem vnumquodque supradictorũ non absque loco aut tempore intellectu percipitur, trãseundum est ad horum disquisitionem. Nam si hæc aliquis ostenderit consistere non posse, ne illorum quidem vnumquodque consistere poterit, etiam propter hæc. Incipiamus autem à loco.

De loco. CAP. 16.

LOCVS ergo bifariam dicitur, propriè & abusiuè: Abusiuè quidem, vt is qui est in latitudine, veluti ciuitas: propriè autem, res quæ exactè continet, à quo exactè continemur. Quæstionem igitur mouemus de loco qui exactè continet: quem alij posuerunt, alij sustulerunt, alij de ipso assensum retinuerunt. Ex quibus illi quidem qui esse ipsum dicunt, ad actionem confugerunt. Quis enim (aiunt) dicat non esse locum, videns partes loci? veluti dextra, sinistra: quæ sursum, quę deorsum: quæ antè, & quæ retrò: & quũ aliàs alibi fit, videatque, vbi præceptor meus disputabat, ibi me nunc disputare: & locũ diuersum comprehendat ex leuibus natura & ex natura grauibus. præterea veteres audiat dicentes, Primò omnium chaos fuit. Dicunt enim chaos esse locum, eo quòd comprehendat illa quæ in ipso sunt. At certè si est aliquid corpus (inquiunt) est etiam locus, absque hoc enim nunquam possit esse corpus. & si est A quo, etiam est Ex quo & In quo. quod est locus. primum autẽ in vtroque: secundũ igitur in vtroque. At qui tollunt locũ, neque partes loci concedunt esse. nihil enim esse prę ter eius partes: & eum qui colligere conatur esse locũ, ex eo quòd partes eius vt entes accipiat, id de quo quæritur, per seipsum astruere velle. Itidem verò nugari & eos qui in aliquo loco esse aliquid aut fuisse dicant, quum nullo modo locus esse concedatur: abripere etiã ipsos corporis existentiam, quæ ex seipsa non concedatur, & ipsum Ex quo & ipsum A quo ostendi inexistentia, sicut & locũ. Sed ne Hesiodum quidem fide dignum esse testem eorum quæ ad philosophiã pertinent. Atque ita repellentes quę ad astruendam loci existentiam afferuntur, magis adhuc versutè astruunt inexistentẽ esse: in vsum suũ conuertentes eas Dogmaticorũ de loco opiniones quæ maioris esse ponderis videtur, nimirum tum Stoicorũ tum Peripateticorum opinionem: hoc modo, Stoici dicunt vacuum quidem esse quod potest ab ente contineri, sed non continetur. aut interuallũ corporis inane, aut interuallum quod à corpore non continetur: locum autem, interuallum quod ab ente continetur, & æquatur cum continente ipsum.

nunc

nunc quidem ens vocantes corpus, χώραν autem interuallum quod partim continetur à corpore, partim non continetur. quũ aliqui χώραν esse dixerint locum magni corporis: adeò vt in magnitudine differentia sit inter locum & χώραν. Obiicitur ergo, quum dicãt locum esse interuallum quod à corpore continetur, quomodo illum etiam interuallum esse dicant: an lõgitudinem corporis, an latitudinem, an profunditatem solùm, an tres illas diastases. Si enim vnicam diastasin *dicant*, non æquatur locus illi cuius est locus: prĕterquam quòd etiam id quod continet, pars est eius quod continetur. quod omnino rationi repugnat. Quòd si tres illæ diastases *esse dicantur*, quum neque in eo qui locus dicitur, nec aliud, corpus habens diastasin subiectum sit, manens autem corpus quod in loco esse dicitur, non constet ex diastasibus (est enim hoc lõgitudo & latitudo & profunditas: & antitypia iam cadere dicitur in diastases supradictas) ipsum corpus erit suiipsius locus, idemque quod continet & quod continetur. quod absurdum est. Non erit ergo aliqua diastasis loci subiecti: proptereaq; nec est quicquam locus. Proponitur & huiusmodi ratiocinatio: Quoniã duplices diastases non cernuntur in vnoquoque eorum quæ in loco esse dicuntur, sed vna longitudo, & vna latitudo, & vna profunditas: vtrũ solius corporis sint diastases hæ, an solius loci, an vtriusque? Sed si quidẽ solius loci, non habebit corpus propriam lõgitudinem, neq; latitudinem, nec profunditatem vllam. Itaq; nec corpus erit corpus. quod absurdum est. Sin vtriusque, quia vacuum nullam subsistentiã habet præter diastases, vacui *autem diastases* subiectæ sunt corpori: ex quibus constat vacuum, ex iisdem corpus constabit. Nam de existentia antitypiæ non licet affirmari, vt antea docuimus. Quum autẽ solę diastases appareant in corpore quod videtur, quæ sunt vacui, & eædẽ cum vacuo, vacuum erit corpus. quod est absurdum. Quòd si solius corporis sunt ipsæ diastases, nulla erit loci diastasis: propterea ne locus quidem. Si ergo per nullum ex supradictis modis inuenitur loci diastasis, ne locus quidem est. Hoc præterea additur: Quando corpus ingreditur vacuum, & fit locus, aut patitur vacuũ, aut recedit, aut corrumpitur. Sed si quidem patitur, idem erit & plenum & vacuum. si autem recedit, vacuatũ transitione, aut mutationẽm accipiens corrumpitur, corpus erit ipsum vacuum. siquidem hæ propriæ sunt corporis passiones. Absurdum est autem dicere idem esse vacuũ & plenum, aut corpus esse ipsum vacuum. Ergo absurdum est etiam dicere fieri posse vt vacuum à corpore cõtineatur, & sit locus. Has autem

ob causas vacuum quoq; inexistens esse comperitur, si illud à corpore obtineri nõ potest, vt fiat locus. Dicebatur enim vacuũ esse quod à corpore obtineri possit. Vnà autem cum his euertitur etiam χώρα. Siue enim magnus locus est χώρα, vnà cum loco terminatur: sin autẽ sit, quæ partim à corpore continetur, partim est vacua diastasis, cum vtrisque simul tollitur. Hæc ergo & plura etiam his pro Stoicorum opinione ab aliis dissidẽte, de loco dicuntur. At Peripatetici locum esse aiunt extremitatem continentis, quatenus cõtinet. adeò vt locus meus sit superficies aëris, formata circa meum corpus. Verùm si quidem id est locus, idem & erit & non erit. quum enim in aliquo futurum est loco corpus, quatenus quidẽ nihil esse potest in eo quod non existit, prius existat locus necesse est, vt tũ demum in ipso sit corpus. (ideoque locus erit priusquam in ipso sit corpus quod in loco esse dicitur) quatenus autẽ efficitur corpus dum continentis superficies formatur circa id quod continetur, existere non potest locus priusquam in ipso sit corpus. ideoque tum non erit. Absurdũ est autem idem dicere & esse aliquid & non esse. Locus ergo non est extremitas continentis, quatenus continet. Præterea si locus est aliquid, aut generatus est, aut non generatus. at non generatus, nequaquã: nam (vt aiunt) efficitur dum circunformatur corpori quod in ipso est. Sed neque generatus: nam, aut quum in loco est corpus, tunc fit locus, in quo iam dicitur esse id quod est in loco: aut quũ non est in ipso. Atqui nec quũ est in ipso. (est enim iam locus corporis quod in eo est) neque quum non in ipso: siquidem formatur, vt aiunt, quod cõtinet circa id quod cõtinetur, & ita fit locus. nihil autem potest formari circa id quod in ipso non est. Quòd si nec quum est corpus in loco, nec quum in illo non est, fit locus: præter hæc autem nihil intellectu percipere possumus: ne generatus quidem est locus. At si neque generatus est, neq; non generatus, ne est quidem. Generalius autem hæc quoque dici possunt, Si quid est locus, aut corpus est, aut incorporeum. at horum vtrunque in dubium reuocatur, vt docuimus: ergo & de loco dubitatur. Locus ad corpus intelligitur cuius est locus: at dubia sunt quę de corporis existẽtia disputantur: ergo & quæ de loco. Locus cuiusque æternus quidẽ nõ est: si autẽ dicitur fieri, insubsistẽs comperitur, quũ generatio non existat. Possunt autẽ & alia plura dici: sed, ne longiores simus, illud addendũ, Scepticis hinc ob rationes, illinc ob ipsum actum, silentiũ præ pudore imponi. Ideo neutri assentimur, quantum ad ea quæ à Dogmaticis dicuntur, sed assensum retinemus de loco.

De tempore. CAP. 17.

IDEM autem nobis in quæſtione de tempore vſuuenit. nã quantum ad ea quæ apparent, videtur aliquid eſſe tempus: quantum verò ad ea quæ de ipſo dicuntur, ſubſiſtentiam habere non videtur. Nam tempus alij dicunt eſſe interuallum motus temporis. (Tempus autẽ dico mundũ) alij ipſum motum mundi. Ariſtoteles autem, aut (vt aliqui) Plato, numerũ eius quod in motu eſt prius & poſterius. Straton verò (aut, ſecundum alios, Ariſtoteles) menſuram motus & manſionis. At Epicurus (ſicut Demetrius Lacedæmonius ait) accidens accidentium, cõſequens dies & noctes, & horas, & paſſiones & impaſſibilitates, & motus & manſiones. Secundum ſubſtantiã autẽ, alij corpus eſſe ipſum dixerunt, vt AEneſidemus. nihil enim ipſum differre ab ente, & primo corpore. Alij incorporeum. Aut igitur omnes hæ diſcrepantes opiniones veræ ſunt, aut omnes falſæ: aut aliquæ veræ, aliquæ falſæ. At neque omnes veræ eſſe poſſunt (plurimæ enim earũ inter ſe pugnant) neq; omnes falſæ eſſe cõcedentur à Dogmaticis. Quinetiam ſi alioqui falſum eſſe concedatur, tempus eſſe corpus, falſum etiam, eſſe incorporeum: eadẽ opera temporis inexiſtentia concedetur. præter hæc enim nihil aliud eſſe poteſt. Nec verò quæ ſint veræ, quæ falſæ, poſſibile eſt comprehendere, tum propter æqualis ponderis in vtranque partem diſputationem, tum propter eam quæ de criterio eſt & de demonſtratione dubitationẽ. Itaque propter hęc nihil de tempore affirmare poterimus. Deinde quia non ſine motu aut etiam manſione tempus ſubſiſtere dicitur, quũ tollatur motus pariter & manſio, tollitur & tempus. Nihilominus tamen hæc quoque nonnulli aduerſus tempus adferunt: Si eſt tempus, aut definitum eſt, aut infinitum. ſed ſi quidem definitum eſt, ab aliquo tempore cœpit, & in aliquod tempus deſinet: ideoque aliquando erat tempus quum non eſſet tempus, antequam ipſum eſſe incepiſſet: & erit aliquando tempus quum non erit tempus: nempe vbi ipſum deſierit eſſe. quod abſurdum eſt. Non ergo finitum eſt tempus. Quòd ſi infinitum eſt, quia aliud dicitur præteritum, aliud præſens, aliud futurum, futurum & præteritum aut ſunt, aut non ſunt. Verùm ſi non ſunt, quum ſolum præſens relinquatur (quo breuius nihil eſſe poteſt) finitum erit tempus: & ita conſequentur eædẽ dubitationes quæ principio. At ſi pręteritum eſt, etiam futurum eſt: præſens autem erit vtrunque ipſorum. At verò abſurdum dicere præſens quod eſt præteritum & quod futurum. Ergo infinitum non eſt tempus. Quòd ſi neque infinitum, neq;

finitum eſt tempus,ne vllo quidem modo eſt. Ad hæc,ſi eſt tempus, aut diuiſibile eſt,aut indiuiſibile. Indiuiſibile certè non eſt:(diuiditur enim in pręſens & præteritum & futurum,vt ipſi aiunt) ſed neq; diuiſibile. nam vnumquodque diuiſibiliũ menſuratur ab aliqua ſui parte, quum vnamquanq; partem menſurati obeat menſurans,vt quum digito cubitum metimur. At tempus menſurari nõ poteſt ab aliqua ſui parte. nam(verbi gratia)ſi præſens menſurat præteritum,erit in præterito,& propterea præteritum:& in futuro,ſimiliter futurum. & futurum,ſi alia menſuret,præſens erit & præteritum. & præteritum itidem,futurum erit & præſens. quod rationi repugnat. Ergo ne diuiſibile quidem eſt. Quòd ſi neque indiuiſibile eſt, neque diuiſibile, ne eſt quidem omnino. Pręterea tempus dicitur tripartitũ eſſe,& aliud eſſe præteritum,aliud præſens,aliud futurum:è quibus præteritũ quidem & futurum non ſunt: (nam ſi nunc ſunt præteritum & futurum tempus,præſens erit vtrunque ipſorum.) imò ne præſens quidẽ.nam ſi eſt præſens tẽpus,aut indiuiſibile eſt aut diuiſibile.Indiuiſibile certè non eſt : nam in præſenti tempore dicuntur mutari ea quæ mutantur : nihil autẽ in indiuiſibili tempore mutatur : vt ferrum in mollitiẽ, aut aliorũ vnumquodque.Ergo indiuiſibile non eſt præſens tempus. Sed ne diuiſibile quidem:nam in præſentia nunquam diuidatur:quoniam propter velocem fluxum eorũ quæ ſunt in mundo, præſens ita in præteritum mutari dicitur vt intellectu percipi non poſſit. Sed ne in præteritũ quidem & futurum : nam ita fuerit inexiſtens,vtpote habens vnam quidem partem ſui nõ amplius exiſtentem, alteram nondum exiſtentem. Vnde nec finis præteriti principiumque futuri poteſt eſſe præſens. nam ſic & erit & non erit : erit quidem vt præſens: non erit autem,quia non ſunt eius partes. Ergo ne diuiſibile quidem eſt. Quòd ſi neque indiuiſibile eſt præſens, neque diuiſibile, ne eſt quidem præſens. Si autem non ſit præſens,neque præteritum,neque futurum,ne tempus quidem eſt. nam quod ex inexiſtente conſtat,inexiſtens eſt. Affertur aduerſus tempus & illa ratiocinatio:Si eſt tempus,aut genitũ eſt & corruptibile, aut nõ genitum & incorruptibile. Non genitũ quidem & incorruptibile non eſt:ſiquidem partim præteriiſſe dicitur,& non amplius eſſe : partim eſſe futurum, & nondum eſſe. Sed ne genitũ quidem & corruptibile.nam quæ fiunt,ex aliquo ente fieri oportet: & quæ corrumpũtur,in aliquod ens corrumpi, ſecundum ipſorum Dogmaticorum ſuppoſitiones. Si ergo in præteritum corrumpitur, in non ens corrumpitur. & ſi ex futuro fit, ex non

ente

ente fit. neutrum enim ipsorum est. Absurdum est autẽ dicere aliquid ex non ente fieri, aut in non ens corrumpi. Itaque non est genitum & corruptibile tempus. Quòd si neque non genitum & incorruptibile est, neque genitum & corruptibile, ne est quidem prorsus. Ad hæc verò, quia omne quod fit, in tẽpore fieri videtur, si fit tempus, in tempore fit. Aut ergo ipsum in seipso fit, aut alterũ in altero. Sed si quidem ipsum in seipso, idem & erit & non erit. quia enim id in quo aliquid fit, debet prius existere quàm id quod in ipso fit, tempus quod in seipso fit, si quidem fit, nondum est: at si in seipso fit, iam est. Quocirca ne in seipso quidem fit. Sed neque alterũ in altero. nam si præsens in futuro fit, futurum erit præsens: & si in præterito, præteritum. Eadem verò & de aliis temporibus dicenda. Ergo ne fit quidem tempus alterum in altero. Quòd si neque ipsum in seipso fit, nec alterum in altero, ne genitum quidem est tempus. Ostendebatur autem ne esse quidem non genitum. Quum itaque neque ortum habeat, neq; non habeat, ne est quidem vllo modo. Nam vnumquodque eorum quæ sunt, aut ortum habere, aut non habere necesse est.

De numero. CAP. 18.

QVONIAM autem tempus non videtur absque numero considerari, etiam de numero paucis differere non abs re fuerit. Nam consuetudinem quidem sequentes, & citra vllam opinionem, numerare nos aliquid dicimus, & numerum aliquid esse audimus: sed Dogmaticorũ curiositas nos ad hanc quoque aduersus illum prouocat disputationem. Primùm enim Pythagorici elementa etiã mundi numeros esse dicunt. Apparentia enim ex aliquo constare aiunt: simplicia autẽ esse oportere elementa. incerta igitur esse elementa. Ex incertis autem alia sunt corpora, vt vapores, & *ὄγκοι .q.d.moles:* alia autem incorporea, vt formæ, & ideæ, & numeri. Ex quibus corpora quidem sunt composita, cõstantia ex longitudine & latitudine & profunditate & antitypia, aut etiam pondere. Non solùm igitur incerta, sed etiam incorporea sunt elementa. Quinetiam numerus super vnoquoque incorporeo consideratur. nam aut vnum est, aut duo, aut plura. Vnde colligitur elementa rerum omnium, esse incertos & incorporeos, & qui super omnibus considerantur, numeros. Nec simpliciter, sed quũ vnitas, & quę per compositionem vnitatis fit dyas. *i. binarius numerus.*

* Ex cuius participatione, singulæ dyades fiunt dyades. Ex his enim & alios fieri numeros, qui in numeratis considerantur, & mundum constituere dicunt. Nam punctũ vicem vnitatis obtinere, lineã autem

autem dyadis:(hanc enim inter duo puncta considerari) superficiem autem, vicem triadis.*i. ternarij numeri.*(dicunt enim esse fluxum lineæ in latitudinem ad aliud signum ex transuerso positum)corpus autem, tetradis.*i. quaternarij numeri.* Fieri enim lineæ insurrectionẽ super aliquod punctum superpositum. Atque ita corporis & totius mundi simulachra hęc nobis fingunt,quem etiam per harmonicas proportiones gubernari asserunt,& illam quæ est διὰ τεσσάρων *.i. per quatuor,* quæ sesquitertia est:(vt se habent sex ad octo) & proportionem διὰ πέντε, *id est, per quinque,* quæ est sesquialtera (vt se habent nouem ad sex)& proportionem διὰ πασῶν *.q.d. per omnes:* quæ est dupla,vt duodecim se habent ad sex. Hæc igitur somniant,& numerum esse aliud quàm ea quæ numerantur, astruunt,dicentes: Si animal sit secundum suiipsius respectum,vnum,planta, quia non est animal, non erit vnum. Atqui etiam planta est vnum:ergo animal non est vnũ, sed secundum quiddam aliud quod extrinsecus consideratur in illo cuius vnumquodque particeps est,& vnum fit propter ipsum. Ac si ea quæ numerãtur sunt numerus,quum homines sint qui numerãtur, & boues (verbi gratia) & equi:homines & boues & equi erunt numerus. atque adeò albus numerus, & niger, & barbatus: si fortè tales contigerit esse eos qui mensurantur. Hæc verò sunt absurda. Ergo numerus non est ea quæ numerantur: sed propriam habet subsistentiam præter hæc, secundũ quam etiam consideratur in iis quæ numerantur, & est elementum. Postquam igitur illi ita collegerunt numerum nõ esse quæ numerantur, irrepsit illa aduersus numerum dubia quæstio. Dicitur enim esse numerus. aut igitur ea quę numerãtur sunt numerus, aut aliquid aliud præter hæc extrinsecus. Nec verò ea quę numerantur sunt numerus, vt Pythagorici ostenderũt:nec aliud quicquam præter hæc,vt docuimus. Nihil ergo est numerus. Nihil autem esse numerum extrinsecus præter ea quæ numerãtur, manifestum reddemus, de vnitate tantùm verba facientes, vt apertius sit quod docebimus. Si enim vnitas est aliquid per seipsam, cuius particeps vnumquodque illam participantium, fit vnum: aut vna erit hæc vnitas,aut tot quot sunt qui eam participant. Sed si vna quidem sit, vtrũ ipsam totã participat vnumquodque eorum quæ illam participare dicuntur,an eius partem duntaxat? Nam si omnem habet vnitatẽ vnus homo(verbi gratia)non amplius erit vnitas quam participet vnus equus, aut vnus canis, aut aliorum vnumquodq; quod dicimus esse vnum. Supponamus enim esse multos homines nudos, si vnicum fuerit vestimentũ, & vnus eo se indueris,

rit, reliqui nudi manent & absque vestimento. Quòd si partis eius vnumquodque particeps est, primùm quidem habebit aliquam partē vnitas: atque adeò infinitas habebit partes, in quas diuiditur. quod est absurdum. deinde vt pars decadis, veluti dyas, non est decas: ita neq; pars vnitatis erit vnitas. atque ideo ne participabit quidem quicquā vnitatem. Itaque vnitas non est vna quam participare dicuntur particularia. Sin verò vnitates sunt numero æquales numeratis, de quibus dicitur vnum: ex quarum participatione vnumquodque particulariū dicitur vnum, infinitæ erunt vnitates quæ participabuntur: & ipsę aut participant vnitatem superascendentem, aut vnitates quæ sunt ipsis æquinumerę, & propterea sunt vnitates: aut nō participant, sed absq; vlla participatione vnitates sunt. Si enim absque participatione vnitates esse possunt hæ, poterit etiam sensibilium vnumquodq; absque vnitatis participatione vnum esse. & ex hoc ipso euertitur vnitas quæ per seipsam considerari dicitur. Sin à participatione sunt illæ etiam vnitates, aut vnam participant omnes, aut vnaquæque peculiarem. & si quidē omnes vnam, aut parte tenus duntaxat vnaquęque, aut ipsam totam participare dicentur. & ita relinquuntur eædē quæ primò absurditates. Sin vnaquæque peculiarem, etiam illarum vnitatū vnamquanque vnitatem oportet superconsiderari, & illis supercōsideratis alias *superconsiderari*, & vsque in infinitum. Si igitur, vt comprehēdamus esse aliquas vnitates per seipsas, ex quarū participatione vnumquodque eorum quæ sunt, est vnum, oportet comprehēdisse infinitè infinitas vnitates intellectu perceptibiles: impossibile est autem comprehendere infinitè infinitas vnitates sub intellectum cadentes: impossibile est certè pronuntiare esse aliquas intellectu perceptibiles vnitates, & vnumquodque eorum quæ sunt, esse vnum, vtpote quod per participationem peculiaris vnitatis fiat vnum. Absurdū ergo etiā est dicere tot esse vnitates quot sunt quæ illas participant. Quòd si neque vna est quæ per seipsam dicitur vnitas, neq; tot quot sunt quæ eam participant, ne vllo quidem modo est vnitas per seipsam. itidem verò nec aliorum numerorum vnusquisque per seipsum erit. Nam in omnibus numeris possumus vti ea ratiocinatione quā nunc exempli causa in vnitate proposuimus. Sed si neque per seipsum est numerus, (vt docuimus) neque numerus est ea quæ numerātur (vt ostenderunt Pythagorici) præter hęc autem nihil est: ne numerum quidem esse dicendum est. Iam verò quomodo ex monade fieri dicunt dyadem ij qui extrinsecus aliquid esse putant numerū præter ea quæ numeran-

tur? Nam quãdo vnitatem cum alia vnitate componimus, aut aliquid vnitatibus extrinſecus additur, aut aufertur ab illis: aut neque additur quicquam, nec aufertur. Verùm ſi neque addatur neq; auferatur quicquam, non erit dyas. Neque enim vnitates, ſi aliæ ſeorſum ab aliis eſſent, haberẽt vnitatem quæ ſuper ipſis conſideraretur, ſecundum peculiatem ipſarum reſpectum. Neque verò ipſis nunc aliquid extrinſecus additum fuit. ergo neq; ablatum fuit, ſecundũ ſuppoſitionem. Non erit ergo dyas compoſitio vnitatis cum vnitate, quum neq; additio neque ablatio vlla fiat extrinſecus. Quòd ſi ablatio fiat, non ſolùm non erit dyas, ſed etiam minuentur vnitates. Si autem addatur ad ipſas extrinſecus dyas, vt ex vnitatibus fiat dyas: quę duo eſſe videbũtur, quatuor erũt. Subiecta eſt enim vnitas, & altera vnitas: quibus addita extrinſecus dyade, numerus quaternarius efficiatur. Eadem autẽ ratio & in reliquis numeris, qui per compoſitionem effici dicunrur. Si ergo neque per ablationem, neque per additionẽ, neque ſine ablatione & additione fiunt illi numeri qui compoſiti eſſe dicuntur ex ſuperaſcendẽtibus, inſubſiſtens erit generatio numeri qui dicitur ſeorſum eſſe, & circa ea quæ numerantur. At verò generationem habere numeros qui ſunt per compoſitionem, ipſi declarant, componi ipſos & fieri ex ſuperaſcendentibus dicẽtes: verbi gratia ex vnitate & dyade indefinita. Ergo non habet ſubſiſtẽtiam ſeorſum numerus. Quòd ſi neque ſeorſum numerum contemplamur, neque ſubſiſtentiam habet in iis quæ numerantur, ne eſt quidem quicquam numerus, ſecundum ea quæ curioſe à Dogmaticis afferuntur. Nec verò hypotypoſeωs inſtitutum exigere videtur vt de philoſophiæ parte phyſica nominata, plura à nobis dicantur.

DE ETHICA PARTE PHILOSOPHIÆ. CAP. 19.



SVPEREST ethica pars, *id eſt, moralis*, quæ circa bonorum & malorum & indifferentium diiudicationem verſari videtur. Vt igitur de hac quoque breuiter, & ſumma tantùm capita attingentes, diſſeramus, de bonorũ & malorũ & indifferentiũ exiſtentia inquiremus, ſi prius cuiuſque notionem expoſuerimus.

De bonis & malis & indifferentibus. CAP. 20.

DICVNT igitur Stoici bonum eſſe vtilitatem, aut non aliud ab vtilitate: bonum quidem appellantes virtutem, & σπουδαίαν *(id eſt, bonam, ſiue probam)* actionem: non aliud autem ab vtilitate, virũ σπουδαῖον, *id eſt,*

id est, probum, siue bonum, & amicum. Nam virtus quum sit hegemonicum certo quodã modo se habens, & bona operatio, quũ sit actio quædam secundum virtutem, planè est vtilitas. At probus vir & amicus, non alius ab vtilitate. Nam probi pars est vtilitas, quum ipsius sit hegemonicum. At tota neque eadem cum partibus esse dicunt, (neq; enim homo est manus) nec alia quàm partes. non enim sine partibus subsistunt. Vnde non alia à partibus tota esse dicunt. Vnde probum, quum sit totum, hegemonici sui respectu (quod dixerunt vtilitatem) non alium ab vtilitate esse perhibent.

Bonum trifariam dici. CAP. 21.

HINC fit vt & trifariam bonum dici asserant. Vno enim modo bonum esse dicunt illud à quo peti vtilitas potest. quod est maximè principale, & virtutes. Alio autem, secundum quod contingit vt vtilitas percipiatur, veluti virtus, & operationes quæ secũdum virtutem fiunt. Tertio modo, quod potest vtilitatem afferre. hoc autem & virtutem esse, & operationem quę secundũ virtutem, & probum & amicum, Deosq; & probos dæmones. adeò vt secundum quidem significatum boni comprehendat primum significatum: tertium verò secundum & primum complectatur. Nonnulli autem bonum esse dicunt id quod per se appetendum sit. Alij, quod adiuuat ad fœlicitatẽ, aut complemẽtum addit. Fœlicitas autem est (vt Stoici aiunt) quum res ad vitam pertinentes prosperè nobis fluunt. Talia quædã ad boni notionem afferuntur. Siue autem quod vtilitatem præbet, siue quod per se appetẽdum est, siue quod ad fœlicitatem adiuuat, dicat aliquis esse bonum: non quid sit bonum ostendit, sed aliquod ex illius accidentibus dicit. Quod certè ineptum est. nam aut soli bono accidunt supradicta, aut aliis etiam. Verùm si aliis etiam, non sunt characteristica (*id est, notam velut impressam habentia*) boni, quum communia fiant: sin bono soli, non possumus ex his notionẽ boni assequi. Vt enim qui equi notionem non assecutus est, ne hinnire quidẽ quid sit nouit, neque per hoc ad notionem equi peruenire potest, nisi prius in equum hinnientem inciderit: : ita is qui quærit quid sit bonũ, eo quòd ignoret quid sit bonum, quod illi propriè & soli inest, cognoscere nequit, vt per ipsum ad boni notionẽ & imaginationem venire possit. Prius enim ipsam boni naturam discere oportet, atque ita demum intelligere quid vtilitatem afferat, & quid per se expetendum & fœlicitatis effectiuum sit. At supradicta accidẽtia non sufficere ad notionem & naturam boni iudicandam, re ipsa ostendunt Dogmatici. Nam bonũ

vtilitatem afferre, & expetédum esse (vnde & dictum est ἀγαθὸν quasi ἀγωγὸν) & fœlicitatis esse effectiuum omnes quidem fortasse concedunt: verùm quum interrogantur quid sit illud cui hæc accidũt, incredibili quodam modo inter se digladiantur, dum alij virtutem esse dicunt, alij voluptatem, alij indolentiam, alij aliquid aliud. Atqui si ex supradictis definitionibus quid esset bonum ipsum ostenderetur, inter se, tanquam non comperta huius natura, minimè dissiderent. Sic ergo de boni notione dissentiunt qui summo inter Dogmaticos habentur in pretio. Itidem verò & de malo controuersati sunt, malum dicentes esse noxam, aut non aliud à noxa: alij, quod per se sit fugiendum: alij, infœlicitatis effectiuum. Per quæ non substantiam boni, sed aliquid eorum quæ illi accidunt fortasse, dicentes, in supradictam incidunt hæsitationem.

De indifferente. CAP. 22.

INDIFFERENS autem trifariam dici asserunt. Vno quidē modo, ad quod neque ὁρμὴ neque ἀφορμὴ fit. *i. neque appetitus animi, neque animi inappetentia*: quale est, parem numerum esse stellarum, aut capitis pilorum. Alio modo, ad quod ὁρμὴ quidem aut ἀφορμὴ fit, sed non magis ad hoc quàm illud: vt in duobus tetradrachmis nummis nullo modo diuersis, quum eorum alterum eligere oportet. Nam ὁρμὴ quidem est ad alterum eorum eligendum, sed non magis ad hoc quàm illud. Tertio modo indifferens aiunt esse, quod neque ad fœlicitatē nec infœlicitatem adiuuat, vt sanitatem, diuitias. Nam quo possumus aliquando bene, aliquando malè vti, hoc indifferēs esse aiunt. de quo maximè in ethicis disputare se dicunt. Quid verò & de hac notione sentiendum sit, ex iis quæ de bonis & malis nobis dicta sunt, constat. Nos ergo ad notionē vniuscuiusq; supradictorũ non applicuerunt, vt hinc patet. Nihil tamē illis miri accidit, quòd in rebus existentiā non habentibus lapsi sint. Nam nihil natura esse bonum, aut malũ, aut indifferens, ex iis quæ sequuntur argumentationibus aliqui colligunt.

An sit aliquid natura bonum & malum & indifferens. CAP. 23.

IGNIS natura calefaciens, omnibus videtur calefactiuus: & nix natura frigefaciens, omnibus videtur refrigeratiua: atq; adeò omnia quæ natura mouēt, *siue afficiunt*, eodē modo omnes mouent qui quidem secundum naturam se habent. At nullum eorum quæ bona vocãtur, omnes pariter mouet, tanquam bonum: (sicuti declarabimus) natura ergo nõ est bonum. Nullum autem ex iis quæ bona dicuntur, omnes mouere eodem modo, manifestum est. Nam (vt rudem & imperitam

peritam multitudinem omittamus, ex qua alij firmum corporis habitum, bonam rem esse censent: alij, rebus venereis frui: alij cibo, alij vino se ingurgitare: aliqui verò aleari: aliqui plura possidere quàm alii: nonnulli denique his etiam deteriora quæpiam) ipsorum Philosophorum nonnulli tria genera bonorum esse dicunt, ex quibus sunt Peripatetici. Horum enim alia esse circa animũ, vt virtutes: alia circa corpus, vt sanitatem, & similia: alia extra, vt amicos, opes, & similia. At Stoici tria quidem & ipsi bonorũ genera esse cẽsent: (ex his enim alia esse circa animum, vt virtutes: alia extra, vt probum & amicum: quædam etiam nec circa nec extra animum, veluti probum, vt quidẽ ad seipsum) at quæ sunt circa corpus, aut extra, quæ Peripatetici in bonis habent, illi bona esse negant. Fuerunt etiam qui voluptatẽ vt bonum amplexarentur, quum alii ipsam in malis planè numerent: adeò vt ex Philosophis quidam exclamauerit, μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. i. *Insanire mihi potius contingat, quàm voluptate frui.* Si ergo ea quidem quæ natura mouent, omnes eodem mouent modo: at verò ad ea quæ bona dicuntur, non omnes itidem mouemur: nihil est natura bonum. Etenim neque omnibus diuersarum sectarum opinionibus ante expositis fidem habere possumus, propter discordiam: neque alicui. Nam qui huic quidem sectæ credendum esse, illi autem minimè, dicit, quũ habeat sibi aduersantes rationes eorum qui contra sentiunt, pars fit controuersię, & diiudicatore ipsemet egebit, ideoq; cum aliis ac non alios iudicabit. At quum nec criteriũ sit de quo constet, nec demonstratio (ob indiiudicabilem controuersiam quæ de his etiam est) ad epochen deueniet: & propterea quid natura sit bonum, affirmare nõ poterit. Illud præterea dicunt nonnulli: Bonum est aut ipsa expetitio illius, aut illud ipsum quod expetimus. Ipsa quidem certè expetitio non est bonum, secundum proprium respectum. neque enim studeremus assequi illud quod appetimus, ne postquam consecuti essemus, facultate ipsum rursus appetendi excideremus. Verbi gratia, Si bonum esset expetere potum, potum adipisci non studeremus. postquam enim fruitionem eius habuimus, ipsum appetere desinimus: & in esurire itidẽ, atque in amore, & in aliis. Ergo ipsum appetere, per se appetenda res non est: atque haud scio an molesta. Nam qui esurit, studet consequi cibum, vt liberetur esuriendi molestia: & qui amore captus est, itidem, & qui sitit. Iam verò ne id quidẽ quod expetitur, est ipsum bonum. nam hoc aut extra nos est, aut est circa nos. Sed si quidem extra nos, aut efficit circa nos iucũdum quendam motum, &

talem constitutionem quam lubenter acceptemus, atque adeò ἀγαστὸν πάθος. *i. passionem seu affectionẽ gratam*, aut nullo modo nos afficit. Et si quidem nõ est nobis ἀγαστὸν. *i. gratum*, ne ἀγαθὸν quidem erit. *i. bonum*, nec nos incitabit ad se appetendum, nec vllo modo appetendũ erit. Quòd si ingeneratur circa nos extrinsecus suauis cõstitutio, & passio quædam huiusmodi quam libenter amplexemur, non propter se appetendum erit quod extrinsecus est, sed propter affectionem quæ ob ipsum circa nos fit. Quod igitur per se expetendum est, non potest extra nos esse. Sed neque circa nos. aut enim circa corpus solum, aut circa animum solum, aut circa vtrunque esse dicitur. Verùm si quidẽ circa corpus solum, ad cognitionem nostram nõ perueniet: nam cognitiones animo tribuuntur. At corpus irrationale esse aiunt, quantũ in seipso. Quòd si etiam vsque ad animum pertingere dicatur, animi perceptioni, & affectioni quę ipsi grata sit, videbitur appetendũ esse. Nam quod expetendum iudicatur, mente iudicatur, iuxta eos, nõ autem irrationali corpore. Superest ergo vt dicamus bonum esse circa animũ solum. Sed hoc quoque (quatenus adhærebimus iis quæ Dogmatici dicunt) impossibile est. Nam animus fortasse quidem & ipse inexistens est: quòd si etiam existit, quantum quidẽ ad ea quæ dicunt, non comprehenditur, quemadmodum ratiocinando collegi, quum de criterio verba facerem. Quomodo autem quispiam dicere ausit aliquid in illo fieri quod non comprehendit? Vt tamen hæc quoque silentio prætereamus, quomodo etiam dicunt in animo bonum esse? Nam si Epicurus finem constituit voluptatem, & dicit animum (quia & omnia) ex atomis constare, quomodo in atomorum aceruo possibile sit voluptatem esse? & assensum aut vim iudicandi hoc quidẽ appetendum esse & bonum, illud verò fugiendum esse & malum? Id quidem certè nemo dicere queat.

Quæ sit ea quæ dicitur ars circa vitam. CAP. 24.

RVRSVM Stoici circa animum bona dicunt esse artes quasdam virtutes. Artem autem esse dicunt, quæ cõstat ex comprehensionibus coexercitatis. Comprehensiones verò fieri circa hegemonicũ. quomodo igitur in hegemonico (quod quidem secundum ipsos est spiritus) recondantur comprehẽsiones, & coaceruentur tot vt fiat ars, intellectu percipi non potest: quum posterior deformatio priorem deleat. quia & spiritus est fortasse, & ex toto moueri dicitur secundum quanque deformationẽ. Nam dicere Platonis ἀειδιαλογοποιὸν esse posse boni demõstratiuam, illud videlicet indiuisibilis & diuisibilis substantiæ

ſtantiæ temperamẽtum, & naturæ quam habet alterum & quam idẽ, aut numeros, meræ nugæ ſunt. Vnde nec circa animũ bonum eſſe poteſt. Quòd ſi neq; expetere ipſum, bonum eſt, nec extrinſecus ſubiectum eſt quod per ſe appetendũ ſit, nec circa corpus ſit, nec circa animum (vt ex mea ratiocinatione collegi) nihil quicquam natura bonũ; & propter ſupradicta, ne malum quidem eſt natura quicquam. Nam quæ aliis videntur eſſe mala, his dediti ſunt alij tanquam bonis, vt petulantiæ, iniuſtitiæ, auaritiæ, intemperantiæ, aliisq; huiuſmodi. Vnde ſi iis quidem quæ natura bona ſunt, hoc innatum eſt, vt omnes eodem modo moueant, at quæ dicuntur mala eſſe, non mouent vno omnes modo: nihil eſt natura malum. Iam verò ne indifferens quidẽ natura eſt quicquam, propter eam quæ de differentibus eſt controuerſiam. Nam (vt exemplo vtar) Stoici quidem ex indifferentibus alia aiunt προηγμένα eſſe. *i. promota, vel producta, aut præpoſita*: alia ἀποπροηγμένα *.i. remota, reiecta*: quædam etiam neque προηγμένα, neque ἀποπροηγμένα. Et προηγμένα ea eſſe quæ ſufficientem habent dignitatem, vt ſanitatẽ, diuitias: ἀποπροηγμένα autem, quæ non habent ſufficientem dignitatem; vt paupertatem, morbum. neque προηγμένα, neque ἀποπροηγμένα, quale eſt extendere aut contrahere digitũ. Aliqui verò nihil ex indifferentibus προηγμένον vel ἀποπροηγμένον eſſe aiunt. Vnumquodque enim indifferentium, pro variis circunſtantiis, interdum προηγμένον, videri interdum ἀποπροηγμένον. Nam ſi (vt inquiunt) diuitibus quidem tyrannus inſidietur, pauperes autem tranquillè & in pace degant, nemo non pauper eſſe malit quàm diues: adeò vt tum diuitiæ cenſeantur in numero τῶν ἀποπροηγμένων. Itaque quum vnumquodque eorum quæ dicuntur indifferentia, alij bonum eſſe dicant, alij malum, at omnes pariter indifferens ipſum eſſe exiſtimarent, ſi indifferẽs natura eſſet: nihil eſt natura indifferens. Sic etiam ſi quis natura appetendã eſſe dicat fortitudinem, quòd leones natura ad fortitudinis ſtudium tendãt, & tauri etiam, necnon aliqui homines, atque adeò ipſi galli gallinacei: dicimus fore quantum ad hoc attinet, vt timiditas quoq; inter ea quæ natura ſunt expetenda, cenſeatur: quia ceruí & lepores, & alia complura animalia naturali impulſu ad ipſam feruntur. Imò & bona pars hominũ timida eſſe comperitur. Raró enim vſuuenit vt quis pro patria ſeipſum morti exponat, vtpote quadã animi mollitie retentus: aut vt quis quadam animi elatione ductus, audax aliquod facinus aggrediatur. quin potius hominum bona pars hæc omnia vitat. Vnde & Epicurei ſe oſtẽdere putant, natura appetendam eſſe voluptatem.

Animalia enim, ſimulatque nata ſunt, quum adhuc deprauata nõ ſint, cõtendere rectà ad voluptatẽ, fugere autem dolores aiunt. Sed enim his quoque reſponderi queat, quod mali eſt effectiuum, nequaquam eſſe poſſe natura bonum. at voluptatem malorum effectricem eſſe. Omni enim voluptati dolorem affixum eſſe, qui eſt ſecundum eos natura res mala. Exempli gratia, Voluptatem ſentit ebrioſus dum vino ſe ingurgitat: & guloſus, dum cibo: & libidinoſus, dum omnem in libidine modum excedit. Verùm hæc & paupertatem & morbos efficiunt: quæ dolorifica ſunt, & mala, vt cenſent. Non ergo natura bonũ eſt voluptas. Itidem verò & quod bonorum effectiuum eſt, natura malum non fuerit. at doloribus efficiuntur voluptates. Etenim ſcientias percipimus laborantes, & diuitias, & per laborem itidem quis diuitiis & amica ſua potitur. Ipſa quoque valetudo acquiritur per dolores. Non ergo natura malum eſt labor. Nam ſi natura quidem bonum eſſet voluptas, malum autem labor, omnes eodem pacto circa ipſa affecti eſſent, vt dicebamus. Atqui videmus multos Philoſophos laborem quidem & patientiam amplectẽtes, voluptatẽ autem aſpernantes. Eodem autem pacto euerti poſſint & qui cum virtute coniunctam vitam natura rem bonam eſſe dicunt, eo quòd Philoſophi nonnulli vitam voluptariam amplexati ſint: adeò vt ex ea ipſa quę inter illos eſt controuerſia, tale vel tale natura eſſe aliquid, refutetur.

Iam verò non abs re fuerit fortaſſe, paucis conſiderandas proponere magis etiam particulares opiniones de turpibus & nõ turpibus, de rebus illicitis & licitis, de legibus & cõſuetudinibus, & de pietate erga Deos, & de ſanctitate erga mortuos, & ſimilibus. Hoc enim modo de rebus faciendis aut non faciendis magnam comperiemus diſcrepantiam. Exempli gratia, Apud nos quidẽ turpe, imò verò etiã nefarium habetur, maſcula venere vti: apud Germanos autem, vt fertur, turpe nõ eſt, ſed vnum ex iis quæ vſu recepta ſunt. Quinetiã apud Thebanos olim hoc turpe habitum non fuiſſe dicitur, & Merionem Cretenſem ita vocatum aiunt ad expreſſam conſuetudinis Cretenſiũ ſignificationem. Illum quoque Achillis erga Patroclum ardentem amorẽ ad hoc referunt nonnulli. Quod cur mirum vlli videatur? quũ etiam Cynici philoſophi & Zenon Citticus & Cleanthes & Chryſippus indifferens hoc eſſe dicant? Inſuper verò & publicè cũ vxore cõgredi, quanuis apud nos turpe eſſe videatur, apud quoſdam ex Indis non videtur eſſe turpe. Congrediuntur enim indifferenter publicè. quemadmodum etiam de Cratete Philoſopho accepimus. Prę-

terra & mulieres corpus proſtituere, apud nos quidem turpe eſt & probroſum, at verò apud multos ex AEgyptiis, honoratum. Aiunt enim eas quæ cum plurimis congrediuntur, ornamentum etiam geſtare periſphyrium, ſuæ gloriationis indicium. Quinetiã apud quoſdam ex illis puellæ ante nuptias dotem ex arte meretricia colligunt, deinde nubunt. Stoicos etiam audimus dicentes à ratione non abhorrere cum meretrice congredi, aut quęſtu à meretrice facto aliquē ſuſtentare vitam. Inſuper verò compunctũ notis eſſe, apud nos turpe & infame eſſe videtur: at multi AEgyptij & Sarmatæ ſuos fœtus compungunt. Itidem & inaures geſtari à viris, apud nos quidē turpe habetur, apud nonnullos autem ex Barbaris (vt apud Syros) nobilitatis eſt indicium. vſqueadeo vt etiam nonnulli, augentes hoc nobilitatis indicium, nares puerorum perforent, & ex illis annulos argenteos aut aureos appēdant. quod apud nos haudquaquam vllus fecerit. Sicuti nec ſucco florum tinctam & talarem vir vllus hîc veſtem induerit, quum tamen alioqui hoc apud Perſas maximè decorum ſit, quod apud nos turpe eſſe videtur. Ac profectò apud Dionyſium Siciliæ tyrannum, quum huiuſmodi veſtis Platoni & Ariſtippo oblata fuiſſet, Plato quidem repudiauit, dicens,

Geſtare amictum muliebrem nunquam queam,
Quum mas creatus fuerim. At verò Ariſtippus accepit, dicēs,
Nulla Bacchanalia
Contaminare mulierem caſtam queant.

Sic ergo & ex ſapientibus alteri hoc minimè turpe, alteri turpe videbatur. Illicitum etiam eſt apud nos matrem aut ſororem ducere in vxorem, at verò Perſæ (& inter eos potiſſimum magi, qui ſapientiam profiteri videntur) cum matribus matrimonia contrahunt: & AEgyptii ſorores ſuas ducunt in vxores: &, vt ait Poëta,

Iunonem vxoremque ſuam pariterq; ſororem
Iuppiter alloquitur. Quinetiam Cittieus Zenon ait à ratione alienum & abhorrens non eſſe, matris naturam ſuæ affricare, quemadmodum nec aliam corporis eius partem manu fricare, malũ vllus eſſe dixerit. Atque adeò Chryſippus in Politia ſua dogma hoc ponit, patrem ex filia, & matrem ex filio, & fratrem ex ſorore liberos procreare. Plato autem etiam generalius communes eſſe vxores debere pronuntiauit. Quũ præterea deteſtabile ſit apud nos αἰσχρουργεῖν, Zeno approbat: & alios etiam quoſdam vt bono quodam hoc vſos malo accepimus. Nec non humanas carnes edere, apud nos quidē

eſt illicitum: at ſunt quædam nationes Barbaræ in quibus omnes ad vnum hoc pro re indifferenti habenr. Et quid Barbaros commemorare oportet, quum Tydeus ipſe cerebrum hoſtis ediſſe dicatur? & Stoici à ratione alienum nõ eſſe dicant vt quis carnes edat cum aliorum, tum verò ſuas? Præterea humano ſanguine aram Dei contaminare, apud bonam partem hominum, atq; adeò apud nos, impiũ eſt: at Lacedæmonij in ara Orthoſiæ Artemidis flagris acerrimè cædunrur, vt multus in aram Deæ defluat ſanguis. Quid quòd Saturno hominem nonnulli immolãt: quemadmodum & Scythæ Artemidi hoſpites ſacrificant? Nos autem cõtrà humano ſanguine pollui templa cenſemus. Ad hæc, apud nos lex in adulreros animaduerti iubet: at apud nonnullos cum aliorum vxoribus congredi indifferens eſt. nec non Philoſophi quidã cum aliena vxore miſceri indifferens eſſe aiũt. Apud nos liberi parentũ curam gerere lege iubentur: at Scythę ipſos ſexaginta annorum ſpatium prætergreſſos iugulant. Cur autẽ mirum hoc fuerit, quum Saturnus quidẽ falce verenda patris amputarit, Iupirer autem Sarurnum in tartara præcipitauerit: atque adeò Minerua cum Iunone & Neptuno patri iniicere vincula conata ſit? imò etiam ſuos liberos Saturnus interficere deliberauerit? Quinetiam Solon Athenienſibus legem περὶ τῶν ἀκρίτων (*.i. de indemnatis*) ſtatuit, per quã vnicuique ſuum filium interficere permiſit. at verò apud nos filium occidere vetant leges. Et Romanorum legiſlatores liberos ſub patrum poteſtate, & eorum ſeruos eſſe iubẽt: & liberos ſuorum bonorum non eſſe dominos, ſed patres, donec in libertatem aſſerti fuerint liberi, eodem modo quo ij qui ære comparantur ſerui: alij autẽ hunc morem, velut tyrannicum, repudiarunt. Præterea lex eſt vt homicidæ puniantur: at gladiatores perpetrato homicidio, honore etiã ſępe afficiuntur. Itidem & ingenuos homines cædere leges verãt: at verò athletæ cædentes ingenuos, ſæpe etiam occidentes, honores & coronas conſequuntur. Lexque apud nos vnica vxore contentum eſſe vnumquenque iubet: at verò ex Thracibus & Gætulis (eſt autẽ quædam gens Libyæ) multas quiſque habet. Prædari quoque apud nos quidem legibus cõtrarium & ſceleratum habetur: at verò apud multos Barbaros infame nõ exiſtimatur: imò verò etiam hoc fertur apud Cilices glorioſum fuiſſe, adeò vt eos qui inter prædandum obiiſſent, dignos eſſe quos honore proſequerentur iudicarent. Et Neſtor quidem apud Poëtam poſtquam Telemachum & qui cum eo erant comiter accepit, iis dicit,

Eſtiſne

Estisne incerta vagantes
Prædones quo more solent? Atqui si prædari fuisset absurdum, nequaquam eos tanta comitate & beneuolentia prosequutus fuisset:quia tales esse suspicari potuisset. Furari quoq; apud nos quidem legibus contrarium & iniustum habetur:at qui Mercuriũ dicunt furacissimum esse Deum,faciunt vt iniustum hoc nõ censeatur. Nam quomodo Deus sit malus? Adde quòd aiunt solitos Lacedæmonios punire fures, non quòd furati, sed quòd in furto deprehensi essent. Quinetiam vir ignauus & clypei abiector apud multos ex legis præscripto plectitur:(ideoque Lacæna illa mulier quæ clypeum filio ad bellum proficiscenti dabat, Tu,inquit, fili, aut hunc, aut super hunc) contrà verò Archilochus se nobis venditans quòd abiecto clypeo fugisset, in suis poëmatibus de seipso scriptum reliquit,

Nunc se aliquis Saius parma iactanter adornat,
In dumo quæ non sponte relicta mihi est.
Atque ita me eripui letho. Amazones autem,si quos parerent mares, claudos reddebant, vt nullum forti viro dignum facinus edere possent:at ipsæ res bellicas tractabant,quũ apud nos contrarium rectè & ordine fieri existimetur. Et mater Deûm semiuiros admittit:atqui quum Dea sit, nequaquam eos admittẽdos censuisset, si natura malum esset nihil virilis fortitudinis habere. Eodẽ pacto & quæ ad iustitiam & iniustitiam, & quæ ad honestum quod cum fortitudine coniunctum est pertinent,variis cõtrouersiis agitantur. Itidem verò de iis quæ ad pietatem & ad Deos spectant, variæ sunt & multum discrepantes opiniones. Nam bona pars quidem Deos esse ait, nec tamen desunt qui esse negent, ex quorum numero sunt Diagoras Melius,& Theodorus,& Critias Atheniensis. Atque ex iis qui Deos esse pronuntiarunt,alii patrios colunt Deos,alii eos quos Dogmaticorum sectæ sibi fingunt:quemadmodum Aristoteles quidem incorporeum Deum esse dixit,& extremitatẽ cœli:Stoici autem spiritum peruadentem etiam per illa à quorum aspectu quis abhorreat: Epicurus humana forma prędítum:Xenophanes autem sphæram impassibilem. Deinde alii rerum nostrarum prouidentiam illi adscripserunt,alii vllam ei inesse negauerunt. Nam quod beatum est & incorruptibile, Epicurus ait neque ipsum negotia habere, neque aliis exhibere. Vnde & in communi vita alii vnum dicunt esse Deum, alii multos, & varias habẽtes formas:adeò vt in AEgyptiorum delabantur opiniones,qui canum formas & accipitrũ Diis affingũt,& boues,

& crocodilos, & nihil non pro Diis habent. Hinc etiam fit, vt quæ ad sacrificia & Deorum cultum pertinent, omnino inter se valde discrepent. Nam quę in aliquibus templis pia, eadẽ in aliis impia. Atqui si natura pium & impium esset, nequaquam hoc existimatum fuisset. Exempli gratia, Sarapidi nemo vnquam porcũ immolauerit, at Herculi & AEsculapio immolatur. Ouem Isidi sacrificare nefariũ, at illi quæ mater Deorum vocatur, & aliis Diis mactatur. Saturno sacrificant hominem, quod bona pars hominũ impium esse censet. Felem Alexandriæ sacrificant Hero, & Tetidi blattam: quod apud nos nullus fecerit. Equo litant Neptuno, at Apollini Didymæo præcipuè hoc animal est inuisum. Capras Artemidi sacrificare pium est, nō autem AEsculapio. Multa alia huiusmodi afferre possem, quæ studio breuitatis silentio pręterео. Atqui si quod natura pium sacrificiũ esset & impium, apud omnes eadem esset de illo existimatio. His verò esse similia comperiemus quæ in victu ad Deorum cultũ composito magna cũ religione obseruantur ab hominibus. Iudæus enim aut sacerdos AEgyptius moriatur potius quàm carnẽ suillam edat. At Libys ouillam carnem gustare, omnium maximè nefarium esse existimat. Apud aliquos ex Syris columbam, apud alios victimas gustare, itidem nefariũ habetur. Quinetiam pisces in quibusdã templis edere pium est, in aliis cẽsetur impium. Iam verò & ex AEgyptiis qui sapientes habiti fuerunt, alii caput animalis edere profanum esse arbitrantur, alii scapulam, alii pedem, alii nescio quid aliud. Cepas verò nullus vnquam ederit eorũ qui sacris Casii Iouis apud Pelusium initiantur: sicuti nec Libycæ Veneris sacerdos allium vnquam gustauerit. Abstinent præterea in templis nonnullis mentha, in aliis hedyosmo, in aliis apio. Sunt verò qui se patrum capita potius quàm fabas esuros dicant. Atqui apud alios hæc sunt indifferentia. Carnes verò caninas gustare nos profanum arbitramur, at nonnulli ex Thracibus canibus vesci narrantur. Fortasse etiam in vsu apud Græcos hoc fuit. Vnde & Diocles ex eorum schola qui Asclepiadarum tempore fuerant, prodiens, quibusdam ægrotis catulorum carnes dare præcipit. Sunt & qui humanas carnes (vt dixi) indifferenter edant: quod apud nos profanũ esse existimatur. Atqui si à natura essent tam ea per quæ piè sanctéque coluntur Dii, quàm illa quæ fiunt contra fas, apud omnes idem de illis esset iudicium. Sed & de pietate erga mortuos, his non dissimilia dici possunt. Alii enim integra mortuorum corpora componentes, terra tegunt, soli ostendere ipsos impiũ existimantes.

At

At Ægyptii inteſtina extrahentes condiunt defunctos,& ſecum ſuper terra habent. Ex AEthiopibus autem ij qui ſunt ἰχθυοφάγοι .i. piſciuori, in paludes ipſos coniiciunt,piſcibus eſcam futuros:Hyrcani verò canibus ipſos vorandos exponunt:aliqui ex Indis vulturibus etiã. Troglodytis autem moris eſſe aiunt,vt in aliquem collem defunctum adducant, deinde religato eius capite ad pedes, ſaxis non ſine riſu petant.quum autem aggere iactorum lapidũ eum operuerint,diſcedãt. Sunt præterea nonnulli Barbari qui eos qui ſexaginta annorum ætatem exceſſerunt,immolatos comedunt: at eos qui iuuenes obierint, terra condunt. Aliqui etiam mortuos comburunt:ex quibus alii oſſa eorum ſumẽtes, recondita aſſeruant,alii temerè proiecta relinquunt. A Perſis autem aiunt ſuſpendi mortuos, & nitro condiri, ac tum demum faſciis inuolui. Alii verò quanto luctu mortuos proſequantur videmus. Quinetiam mortẽ ipſam alii horrendam & fugiendam eſſe ducunt:alii verò nihil tale de ea exiſtimant.Nã & ipſe Euripides ait,

Ecquis ſcit vtrum viuere iſtud ſit mori,
Mortémque vitam conditi terra putent?

Ipſe quoque Epicurus ait; Mors nihil ad nos. Nam quod diſſolutum eſt,ſenſu caret: quod ſenſu caret,nihil ad nos. Hoc etiam addunt, Si ex anima & corpore compoſiti ſumus,mors autem diſſolutio eſt animę & corporis,tum quidem quando ſumus,non eſt mors:(non enim diſſoluimur) quum autem mors eſt, nos non ſumus. Nam quòd non amplius ſit illa animæ & corporis compoſitio, ne nos quidẽ ſumus. Heraclitus autem ait & vitam & mortem eſſe & dum viuimus & dũ morimur. Nam quum nos viuimus, mortuas eſſe noſtras animas,& in nobis ſepultas: quum autem morimur,animas reuiuiſcere & viuere. Sunt verò & qui mortem nobis eſſe vita potiorem exiſtiment: quò pertinet id quod ait Euripides,

Quis nouit an quod viuimus ſit id mori,
Mori viciſſim iudicent vitam inferi?

Ex eadem autem opinione & hæc dicta fuerunt,

Non naſci, eſſet res mortalibus optima cunctis,
Nec ſolare oculis poſſe videre iubar:
At nato portas Orci tranſire repentè,
Et terræ indutum mole iacêre graui.

Scimus verò & quæ de Cleobi & Bitone feruntur, quæ ab Herodoto in mentione Argiuæ ſacerdotis commemorantur. Narrantur verò nonnulli etiam ex Thracibus circumſtantes infantem in lucẽ editum

tum lugere. Ergo neque mors inter ea quę natura sunt horrenda, nec vita inter ea quę sunt natura bona, annumerari debet. Nec quicquam ex supradictis natura tale est vel tale, sed omnia sunt opinione tenus, & ad aliquid. Eundem autem ratiocinandi modum etiam ad vnumquodque ex aliis transferre possit quispiam, quæ nunc, breuitatis rationem habentes, non exposuimus. Quòd si de quibusdam quæ sit discrepantia, ostendere illico non possumus, dicendum est fieri posse vt in aliquibus nationibus quas ignoremus, sit de iis quoque controuersia. Nam vt nisi sciremus (verbi gratia) AEgyptiorum consuetudinem esse vt sorores ducant in vxores, falsò affirmaremus apud omnes pro confesso & indubitato haberi, non esse contrahendum cum sororibus matrimonium: ita nec de rebus illis, in quibus eæ quæ sunt discrepantiæ, sub sensus nostros non cadunt, affirmare decet non esse de ipsis controuersiam: quum fieri possit (sicuti dixi) vt apud aliquas nobis ignotas nationes sit de iis controuersia. Scepticus ergo tantã rerum cernens discrepantiam, de hoc quidem, quid natura bonum, quid malum, & quid faciendum, quid nõ, retinet assensum, hac etiam in parte à Dogmaticorum temerario fastu procul discedens: sequitur verò citra vllam opinionem obseruationem vitæ communis. Et propterea in iis quidem quæ opinabilia sunt, passionis expers manet: at in iis quæ coacta sunt, moderatè passionibus afficitur. Nam patitur quidem quatenus est homo sentiendi facultate præditus: sed nõ assumens illam præterea opinionem, nimirũ id quod patitur, natura malum esse, moderationem in iis quæ patitur seruat. Nam addere sibi talem aliquam opinionẽ, peius est quàm ipsum pati. adeò vt aliquando ij quibus aliquod membrum abscinditur, aut tale aliquid patiuntur, id tolerent: at qui illis adstant, eo quòd opinionem illam conceperint de eo quod fit, esse malum, animo linquantur. Nam ille quidẽ certè qui sibi aliquid natura bonum aut malum, vel prorsus faciendũ aut non faciendum esse statuit, variè turbatur. Nam & quũ adsunt illi ea quæ mala existimat esse secundum naturam, pœnis affici videtur, & quum iis quæ ipsi bona videtur, potitus fuerit, & ob elatum nimia lætitia inflatumq; animum, & præ metu illa amittendi, necnon dum timet ne rursus in iis versetur quæ natura mala existimantur ab eo, in perturbationes nõ mediocres incidit. Nã iis qui bona dicunt amitti non posse, ex dubitatione quã affert controuersia, silentium imponemus. Vnde ratiocinãtes colligimus, si, quod mali effectiuũ est, malum & fugiendum sit, persuasio autẽ hæc qua quis sibi persuadet hæc quidem

dem esse bona secundū naturam, illa autē mala, perturbationes excitet: malū esse & fugiendū, sibi proponere & persuasum habere quidpiam esse malum aut bonum, quod ad naturam spectat. Et hæc quidem in præsentia de bonis & malis & indifferētibus dixisse sufficiat.

An sit ars circa vitam. CAP. 25.

Ex supradictis autem ne artem quidē vllam circa vitam esse perspicuum est. Si enim est talis ars, circa bonorum & malorum & indifferentium considerationem versatur. Itaque quum hæc inexistentia sint, inexistēs etiam est quæ circa vitam *esse dicitur* ars. Et alioqui quū non vno consensu relinquant artē vnam circa vitam omnes Dogmatici, sed aliam alii à se fictam supponant, obnoxii redduntur controuersiæ, & ratiocinationi ex controuersia sumptæ, quam quum de bono verba facerem proposui. Sed etiā si omnes (vt hoc supponamus) dicerent vnam esse artem circa vitam, verbi gratia, celebertimam illam prudentiam (quæ apud Stoicos quidem somniatur, magis autem videtur premere quàm aliæ) consequētur nihilominus absurditates. Quia enim prudentia est virtus, virtutem autem solus habet sapiens, Stoici, quum non sint sapientes, non habebunt eam quæ circa vitam est artem. Atque adeò quū non possit, secundum ipsos, subsistere ars, ne ars quidē vlla circa vitam erit, si ea quæ dicunt sequamur. Etenim artem esse tradunt, quæ constat ex comprehensionibus. comprehensionem autem, esse ad comprehensiuam phantasiam assensum. Inueniri autem nequit comprehensiua phantasia. Nam nec omnis phantasia comprehensiua est, nec quænā sit ex phantasiis comprehensiua dignosci potest. quia nec omni phantasia possumus iudicare simpliciter quæ sit comprehensiua, & quæ non sit: & quum egeamus comprehensiua phantasia ad dignoscendum quæ sit comprehensiua phantasia, ad infinitum compellimur: quum à nobis alia comprehensiua phantasia postuletur ad dignoscendam illam quam vt comprehensiuam phantasiam sumebamus. Stoici ergo talē nobis comprehensiuæ phantasię notionem exhibentes, veritatem non sequuntur. Nam quū comprehensiuam phantasiam esse dicant quæ ab ente orta sit, ens autem esse quod comprehensiuam phantasiam mouere potest, in diallelum dubitationis modum incidūt. Si igitur vt circa vitam sit ars aliqua, prius oportet artem esse: vt autē subsistentiam habeat ars, oportet comprehensionem prius subsistentiam habere: vt autem subsistat comprehensio, assensum ad comprehensiuam phantasiam, comprehensum esse: inueniri autem nequit comprehēsiua phantasia: inueniri

non

non poteſt quæ circa vitam ars *eſſe dicitur.* Illud prætereà affertur: Omnis ars ex iis operibus quæ propriè exhibentur ab ipſa, comprehendi videtur. Atqui nullum proprium extat opus artis quæ circa vitam eſt. nam quodcunque dixerit quis eſſe huius opus, illud commune eſſe etiam cum rudi & imperita multitudine reperitur. quale eſt, Honorare parentes, Depoſita reddere, & alia omnia. Non ergo eſt vlla circa vitam ars. Neque enim ex eo quòd à prudenti animi habitu aliquid dici aut fieri videatur (vt aiunt quidam) quódnam ſit prudentiæ opus cognoſcemus. Nam ipſe prudens animi habitus incomprehenſibilis eſt, quum neq; ex ſeipſo & ex re præſenti, neq; ex ſuis operibus appareat. Nam hæc illi etiam cum imperito vulgo ſunt communia. Dicere autem nos ex æquabilitate actionum comprehẽdere qui ſint illi qui habeant artem quæ circa vitam eſt, hominum eſt vltra naturam loquentium, & potius optantium quàm vera dicentium.

Tali etenim mente eſt mortalis præditus omnis,
Qualis miſſa dies à patre hominúmque Deúmque.

Supereſt vt artẽ hanc quæ circa vitã verſatur, ex illis operibus quæ in ſuis libris deſcribunt, comprehendi dicamus. quæ quum multa & inter ſe ſimilia ſint, pauca, exempli gratia, commemorabo. Ipſe ergo princeps ſectæ eorum Zenon in *ſcriptis dictis* διατριβαῖς, de puerorũ inſtitutione, cum alia ſimilia, tũ verò hæc dicit, Diuidere nihilo magis nec minus pædica quàm non pædica: nec fœminas quàm mares. non enim ſunt alia quæ pædica aut non pædica, nec fœminas aut mares deceant, ſed eadem illos decent. De pietate autem erga parentes idem ait, de Iocaſtæ & OEdipodis facto loquens, non fuiſſe mirum ſi matrem fricaret. Nam ſi quidẽ ægrotantem alia parte corporis fricans manibus, ei adiumentum aliquod afferebat, nihil in eo erat turpitudinis: ſi alias partes fricans delectabat, ęgritudinem illi adimens, adeò vt ingenuos ex matre liberos procrearit, *an* turpe *cenſebitur?* His autem Chryſippus aſtipulans in Poliria ſcribit, Videntur autem mihi & hæc ita eſſe tranſigenda, quemadmodum nunc quoque non malè apud quoſdã in more poſita ſunt: vt & mater ex filio, & pater ex filia, & frater ex germana ſorore liberos procreet. Quin etiã in iiſdem libris humanarum carnium eſum inducit. ait enim, Quòd ſi ex viuis abſcindatur aliqua pars ad eſum vtilis, neq; defodere illam, neque temerè proiicere: ſed eam conſumere, vt ex noſtris alia pars fiat.

In libris autem περὶ τοῦ καθήκοντος. *i. de officio*, de parentũ ſepultura ſcribens, hęc nominatim dicit, Mortuis autẽ parentibus, ſepulturis vtendum

dum

dum ſimpliciſſimis, quippe quum corpus (quemadmodũ vngues, aut dentes, aut pili) nihil ad nos pertineat, & nullo erga id reſpectu aut curioſa obſeruatione inſuper opus habeamus. Ideoq; ſi quidem vtiles ſint carnes, illas in ſuum alimentum conuertent (quemadmodum & ſi aliquod ex propriis membris abſciſſum fuiſſet, verbi gratia, ſi pes) vti ipſo conueniens fuiſſet: ſin autem ſint inutiles, aut defoſſas relinquent, aut ex combuſtis cinerem relinquent, aut longius proiicient, nullam earũ rationem habẽtes, tanquã vnguium aut pilorum. Atq; his ſimilia quamplurima dicũt Philoſophi, quę nequaquã auſint facere niſi in Cyclopum aut Læſtrygonũ politia verſentur. Quòd ſi horũ quidẽ nihil agunt, quæ autẽ faciunt, communia ſunt illis cum vulgo: nullum extat peculiare opus illis quos artem quæ circa vitam eſt habere ſuſpicamur, peculiare. Ergo ſi artes ex peculiaribus operibus comprehendi omnino neceſſe eſt, nullum autẽ peculiare opus videmus artis quæ circa vitã eſſe dicitur: ipſa non comprehenditur. Ergo ne de illa quidem, eam eſſe exiſtentem affirmare quiſquam poteſt.

An hominibus indatur ars quæ circa naturam. CAP. 26.

IAM verò ſi inditur hominibus ars quæ circum naturam: aut natura inditur ipſis, aut per diſciplinã & doctrinam. Verùm ſi natura quidem, aut quatenus ſunt homines, ipſis inditur, ars eſt quæ ſecundum naturam, aut quatenus non ſunt homines. Quatenus non ſunt homines, nequaquam: neque enim non ſunt homines. Sin quatenus ſunt homines, in omnibus hominibus ineſſet prudentia, adeò vt omnes prudentes eſſent & virtutis ſtudioſi & ſapientes. Atqui homines magna ex parte dicũt eſſe malos. Ergo ne quatenus quidem ſunt homines, ineſſe queat ipſis ars quæ circa naturam. Ne natura quidẽ igitur. Adde quòd quum artem ex comprehenſionibus coexercitatis conſtare tradant, per experientiam & diſciplinam aliquam, & alias artes & hanc ipſam de qua nunc agitur, potius percipi tradant.

An doceri poſsit ars quæ circum naturam. CAP. 27.

IAM verò ne doctrina quidem & diſciplina percipitur. Antequã enim hæc ſint ſubſiſtẽtia, tria pro cõfeſſis & indubitatis haberi oportet, rem quæ docetur, eum qui docet, & cum qui diſcit modum diſciplinæ. At nihil horum ſubſiſtens eſt. Ergo nec doctrina.

An ſit aliquid quod doceatur. CAP. 28.

NAM quod docetur aut verum eſt aut falſum. Et ſi quidẽ eſt falſum, nequaquam doceri poſſit (inexiſtens enim eſſe aiunt falſum. quę autem non ſunt, illa doceri nullo modo poſſunt.) Sed ne ſi verũ quidem

dem esse dicatur. Nam verum esse inexistẽs in mentione de criterio docuimus. Si ergo nec falsum nec verum docetur: præter hæc autem nihil est quod cadat in doctrinam: (neque enim his in doctrinam non cadẽtibus, dicet quispiam se docere eã de quibus dubitatur) nihil docetur. Adde quòd res quæ docetur, aut apparens est, aut incerta: sed si quidem est apparens, doceri non necesse habebit. nam quæ apparẽt, pariter omnibus apparent. At si incerta, quoniã incerta propter indiiudicabilẽ de iis controuersiam, incomprehensibilia sunt, vt sępe docuimus, nõ poterunt doceri. Nam quod quis non comprehẽdit, quomodo id docere posset aut discere? Quòd si neque id quod apparet, neq; id quod incertum est, docetur: nihil docetur. Præterea, id quod docetur, aut corpus est, aut incorporeũ, vtrunq; autem eorum, siue apparens sit, siue incertum, doceri nõ potest, secundum eam quã modò attulimus rationem. Non docetur ergo quicquam. Insuper verò, aut quod est docetur, aut quod nõ est. Id certè quod non est, non docetur. Nam si docetur id quod non est: quia verorũ existimãtur esse doctrinæ, id quod non est, verum fuerit. Si autẽ verum sit, etiã existens erit. Verũ enim esse dicunt id quod est, & opponitur alicui. Atqui absurdum est dicere existere id quod nõ est. Ergo nec docetur id quod non est. Sed ne ens quidẽ docetur. nam si docetur ens, aut secundum quod ens est, docetur, aut secundũ aliquid aliud. Sed si quidẽ secundũ id quod ens est, doceri posse dicatur, erit ex entibus: & propterea nõ erit docibile. Nã doctrinas ex aliquibus indubitatis & indocibilibus fieri oportet. Nõ ergo ens, secundũ id quod est ens, docibile est. Verùm nec secundũ aliud quidpiã: nam ens nõ habet aliud accidens ipsi quod nõ sit ens. Ergo si ens secundũ id quod ens est, nõ docetur, nec secundũ aliquid aliud docebitur. Illud enim quodcũq; sit accidẽs ipsi, ens est. Deinde, siue apparẽs sit ipsũ ens quod doceri dicẽt, siue incertũ, supradictis dubitationibus subiacẽs, indocibile erit. Quòd si neq; id quod est docetur, neq; id quod non est, nihil est quod doceatur.

An sit docens & discens. CAP. 29.

HOC autem euerso, simul etiã doctor & discipulus euertuntur: nihilominus tamen etiã seorsum de illis dubitandi causæ proponuntur. Nam aut artifex artificẽ docet, aut artis imperitus imperitũ artis: aut artis imperitus artificẽ, aut artifex imperitum artis. Artifex quidẽ certè artificem nõ docet: neuter enim ipsorum, quatenus est artifex, disciplina opus habet. Sed ne artis quidẽ imperitus imperitũ artis docebit, nihilo magis quàm cęco cęcus dux esse potest. Neq; verò imperitus

peritus artis docebit artificẽ. ridiculum enim profectò hoc foret. Supereſt vt artificem docere imperitũ artis dicamus: quod & ipſum fieri nõ poteſt. Nullo enim modo ſubſiſtere artifex poterit, quia neque ſponte naturali quiſquã & ſimulatq; natus eſt, artifex exiſtere cernitur, neq; ex imperito artis fit aliquis artifex. Aut enim vnũ theorema & vna comprehẽſio artificẽ reddere poteſt eum qui alioqui ſit imperitus artis, aut nequaquã. Sed ſi quidem comprehenſio vna artificem facit eum qui imperitus artis erat, primùm quidem dicere poterimus artẽ non conſtare ex comprehenſionibus: (nam qui nihil prorſus nouit, ſi vnum theorema artis doceatur, hoc modo artifex appellari poſſit) deinde ſi dicat aliquis, eũ qui aliqua theoremata artis perceperit, ſed opus habet adhuc vno, & propterea ſit artis imperitus, ſi vnum illud aſſumat, artificẽ ex imperito artis effectum iri per comprehenſionem vnã, ex hoc quod dicet, omnes facultatis percipiendarũ artium exortes reddet, & ab ea excludet. In particularibus enim hominibus oſtendere non poterunt aliquẽ qui artis quidem imperitus ſit adhuc, futurus autẽ ſit artifex ſi vnũ aliquod theorema præterea perceperit. Non enim ſcit quiſquã enumerationem præceptorũ cuiuſq; artis: ita vt enumeratis theorematibus iam cognitis, dicere poſſit quot ad implendũ theorematum artis numerũ deſiderentur. Ergo vnius theorematis cognitio nõ facit artis imperitum artificem. Si autẽ hoc verum eſt, quoniã non omnia theoremata artium percipit quiſquã ſimul & ſemel, ſed ſi percipit, vnumquodq; ſigillatim percipit (vt hoc etiã aliquis per ſuppoſitionem concedat) is qui vnumquodq; theorema artis per ſe & ſeorſum ab aliis percipere dicitur, nequaquã artifex fuerit. Dicebamus enim nõ poſſe cognitionem vnius theorematis, eum qui ſit imperitus artis, facere artificem. Ergo ne artifex quidẽ euadet is qui artis fuerit imperitus. Vnde etiã propter hæc videtur inſubſiſtẽs eſſe artifex: propterea verò & doctor. Verùm ne is quidẽ quem diſcere aiũt, ſi imperitus artis ſit, artis theoremata cuius eſt imperitus, diſcere & comprehẽdere poteſt. Nã vt qui natus eſt cęcus, quatenus eſt talis, nõ poſſit aſſumere colorũ perceptionẽ: nec qui natus eſt ſurdus, percipere vocẽ queat: ita nec is qui ſit imperitus artis, poſſit theoremata artis comprehẽdere cuius eſt imperitus. Nã hoc modo idem fuerit artifex & imperitus artis eorundẽ. imperitus artis, quia ita ſuppoſitum eſt: artifex autẽ, quia comprehenſionem habet artis theorematũ. Ergo ne artifex quidẽ imperitum artis docet. Quòd ſi neque artifex artificẽ docet, neque imperitus artis imperitũ artis, neque im-

peritus artis, artificem, neq; artifex imperitum artis: præter hæc autē nihil eſt: neque docens eſt, neque diſcens. Quum autē non ſit neque docens neque diſcens, etiam ſuperuacaneus eſt doctrinæ modus.

An ſit diſcendi modus. CAP. 30.

NIHILOMINVS tamen de eo huiuſmodi argumentis quæſtio agitatur. Nam modus docendi aut actu fit, aut oratione. At neq; actu fit neq; oratione, vt oſtendemus. Ergo modus etiam docendi eſt imperueſtigabilis. Actu quidē non fit doctrina, quia actus eſt eorū quæ oſtenduntur. quod autē oſtenditur, omnibus eſt apparens. quod autē apparet, quatenus apparet, omnibus eſt comprehenſibile: quod autē eſt omnibus promiſcuè comprehēſibile, in doctrinā non cadit. Nihil eſt ergo actu docibile. Iam verò ne oratione quidem docetur quicquam. hæc enim aut ſignificat aliquid, aut nihil ſignificat. ſed nihil ſignificans, neq; ad docendum quidē quicquam idonea erit. Sin autem aliquid ſignificet, aut natura ſignificat, aut poſitione: & natura quidē non ſignificat, quia cuncti quoſcunq; audiunt, nō intelligunt. vt Græci Barbaros, & Barbari Græcos. Quòd ſi poſitione ſignificat, manifeſtū eſt fore vt ij quidē qui prius comprehenderint ea quibus appellationes ſunt impoſitæ, illa percipiant, nō quòd ex illis *appellationibus* doceantur ea quæ ignorabant, ſed quòd ad recordationē veniant, & memoriā ſibi renouent eorū quæ ſciebant. At ij qui neceſſe habēt ea diſcere quæ ignorāt, nec ea norunt quibus impoſitæ ſunt appellationes, nihil percipient. Itaq; ne diſciplinæ quidem modus ſubſiſtēs eſſe poſſit. Nam is qui eſt doctor, comprehenſionē theorematū artis quę docetur indere debet diſcenti, vt ille demū perceptis theorematis ex quibus ars cōſtat, artifex euadat. At nihil eſt comprehenſio, vt antea docuimus. Ergo ne modus quidē doctrinæ ſubſiſtere poteſt. Quòd ſi neque docetur aliquid, neq; eſt docens, neq; diſcens, neque modus diſciplinæ, nimirū ne diſciplina quidē eſt, aut doctrina. Atq; his quidem generalioribus argumentis diſputationē aduerſus diſciplinā & doctrinam aggreſſi ſumus. ſed & talis quęſtio de arte etiam quæ circa vitam eſſe dicitur, agitari poteſt. Rem quę docetur, videlicet prudentiam, inſubſiſtentē eſſe oſtendimus in ſuperioribus. Inſubſiſtēs eſt autem is etiam qui docet & qui diſcit. Nam aut prudens prudentē docebit artē quæ circa naturā eſt, aut imprudens imprudentem: aut imprudens prudentem: aut prudens imprudētem. At nullus horum vllū docet. Non ergo docetur ars quę circa vitam eſſe dicitur. Et de aliis quidē fortaſſe etiam ſuperuacaneum fuerit dicere: ſed ſi prudens imprudenten-

pruden-

prudentem docet prudentiam: prudẽtia autem ars est bonorũ & malorũ & neutrorum:imprudens,quũ careat prudentia,bona & mala & neutra ignorat. Ignorans autẽ hęc,certè quum prudens eum docebit bona & mala & neutra, audiet tantùm ea quæ dicentur, non item ea cognoscet. Nam si ea percipiat dum in imprudentia versabitur, erit etiam imprudentia, bonorũ & malorum & neutrorũ contemplatiua. Atqui, secundũ eos,imprudentia nõ est horũ contemplatiua(alioqui imprudens esset prudens)ergo imprudẽs ea quę à prudente dicuntur aut fiunt,non percipit,secundum quidẽ disciplinæ formam. Quòd si non percipit, ab ipso doceri nõ possit: quum etiam nec actu nec oratione doceri possit,vt antea diximus. Iam verò si neq; per disciplinã, neque per doctrinam inditur cuiquam ars quæ circa vitã esse dicitur, neq; natura, ea profecto ars quam philosophi circa vitam esse aiunt, illam semper in ore habentes, nullo modo inueniri poterit.

An ars quæ circa vitam, eam habenti sit vtilis. CAP. 31.

IAM verò etiamsi quis valde ex abundanti concesserit,indi alicui eam artẽ quam circa vitã esse somniant, damnosa & perturbationis causa habentibus ipsam potius quàm vtilis esse comperietur. Atque vt statim,exempli gratia,pauca è multis proferamus,posset vtilis esse sapienti ea quæ circa vitam est ars, continentiam ei prębens aduersus malorũ appetentias, & bonorũ inappetentias. Sapiens enim qui secundũ eos dicitur continens, aut secundũ id dicitur continens quatenus in nulla est appetentia ad malũ,& inappetentia ad bonũ: aut quatenus habebat quidẽ prauas appetentias & inappetentias, sed eas ratione superauit. Verùm quatenus quidem non versatur in malis deliberationibus,nequaquã dicatur continens. Non enim se continebit ab eo quod nõ habet: & quemadmodũ nemo dixerit eunuchum esse rerũ venerearum continentẽ,& eum cui vitiatus est stomachus, continentem esse in ciborum fruitione:(nullo enim modo ipsi talia consectantur,ita vt per continentiã consectationem eorũ oppugnare debeant) eodem modo sapientẽ appellare non oportet continentem, eo quòd ipsi non innascatur affectio aduersus quam futurus sit continens. Quòd si versatur quidẽ in malis deliberationibus, vincit tamẽ eas ratione,primùm quidem cõcedent, nihil illi prudentiã profuisse, vtpote qui adhuc in perturbationibus sit,& auxilio egeat:deinde etiã infœlicior esse reperitur iis qui mali esse dicuntur. Nam si appetitione animi ad aliquid ducitur,perturbetur necesse est: si autem ratione superat, continet in seipso malum, & propterea magis perturbatur

quàm ille malus qui non amplius hoc patitur. Nam si appetitu animi agitur, perturbatur: si autẽ cupiditates assequitur, desinit perturbari. Non est ergo continens quantum ad prudentiam, ipse sapiens: aut si est, omniũ hominum est infœlicissimus. Itaque illi nõ vtilitatem sed perturbationẽ maximã præbuit quæ circa vitã esse dicitur ars. Eum porrò qui existimat se habere artem quæ circa vitam est, & per eam cognouisse quæ bona sunt secundum naturã, & quæ mala, valde perturbari & quum bona & quũ mala adsunt, in superioribus docuimus. Dicendum est igitur, si nec bonorum nec malorũ nec indifferentium subsistentia pro confessa & indubitata habetur, & ars quę circa vitam est, fortasse quidem & ipsa insubsistens est: quanuis tamen subsistere concedatur (per suppositionem) nullam vtilitatem habẽtibus ipsam affert, imò verò contrà, perturbationes maximas eorum animis indit: Dogmatici etiam in morali parte eius quæ philosophia vocatur, frustra supercilia attollere videri debent. Et his quidem de morali etiam *philosophiæ* modo disputatis (quibus plura hypotyposeωs mensura admittit) hîc etiam tertium librum & totum Pyrrhoniarum hypotyposeωn tractatum claudimus, si illud addiderimus.

Quare Scepticus interdum ratiocinationes quantum ad probabilitatẽ attinet debiles de industria proponat. CAP. 32.

SCEPTICVS, eò quòd sit humanus, Dogmaticorũ arrogantiam & temerariã insolentiã pro viribus sanare vult ratiocinando. Quemadmodum igitur corporaliũ morborum medici diuersæ potentię habent remedia: & iis quidẽ qui vehementi morbo laborãt, eorum vehementissima quæq; adhibent: iis qui leuiter ægrotant, leuia: ita etiã paris roboris non sunt omnes quas Scepticus proponit ratiocinationes: sed quæ sunt ex illis solidiores, quæ & validè possunt opiniones Dogmaticorũ euertere, erga eos qui grauiter temerariæ insolentiæ morbo laborãt, vtitur: leuioribus autẽ erga eos qui hunc arrogantiæ morbum in superficie tantum, ideoq; facilè sanabilem habent: & huiusmodi qui ratiocinationibus probabilibus, alioqui leuioribus, profligari possit. Hinc ergo fit vt Scepticus aliquando ratiocinationes quæ, quod ad probabilitatem attinet, robustiores, aliquando debiliores videntur, proponere de industria non dubitet, vtpote quę ipsi sæpenumero ad consequẽdum id quod persequitur, sufficiant.

PYRRHONIS ELIENSIS PHILOSOPHI VITA, EX DIOGENE LAERTIO.

Ex vulgata interpretatione, sed multis in locis castigata.

PYRRHO Eliensis Plistarchum habuit patrē: quod etiā Diocles tradit. Is (vt Apollodorus ait in Chronicis) pictor fuit primùm, atque (vt Alexander in Successionibus scribit) Drysonem Stilponis filiū audiuit, deinde Anaxarchum: illi vbiq; adhærens, ita vt Gymnosophistas in Indiam adierit, Magisq; congressus sit. Vnde & nobilissimè philosophiam tractasse videtur, commentus modum quo de omnibus nihil decerneret, neque quicquam comprehendi posse diceret, vt Ascanius Abderites auctor est. Negabat enim quicquā turpe esse aut honestum, iustum vel iniustū: eadem ratione & in omnibus nihil verè esse, cæterùm lege atq; consuetudine cuncta homines facere. Neque enim esse quicquam istud potius quàm illud. Consentanea autem ad hæc illi & vita erat. Nihil enim declinans nihilque deuitans, sustinebat omnia, currus si fortè occurrissent, & prçrupta, & canes, & talia, nihil omnino sensibus permittens. Seruabatur autem, vt Carystius Antigonus refert, à sequentibus se necessariis. Porrò Ænesidemus ipsum de assensu quidē retinendo philosophatum esse tradit, non tamen imprudenter gessisse singula. Vixit autem ad annos ferme nonaginta. Ceterùm Antigonus Carystius in libro quem de Pyrrhone scripsit, hçc de illo memorat, ipsum principio quidem obscurū & pauperem, pictoremq; fuisse, seruariq; in Elide in gymnasio λαμπαδιστὰς, non infœliciter ab eo elaboratos. Quin egredi solitum & solitarium viuere, raroq; apparere domesticis. Hoç autem idcirco facere, quòd audisset Indum quendā Anaxarcho exprobrantem quòd nullum doceret virum bonū fieri, quum ipse regias aulas frequens tereret, & regibus obsequeretur. Semperq; eodem perseuerasse vultu atq; habitu, adeò vt si quispiam illum inter dicendū desereret, ipse tamen quod cœperat perageret: quum alioqui in adolescentia mobilis fuisset. Sæpe (inquit) peregre proficiscebatur, nemini quò pergeret prædicens, & quibus volebat congrediebatur. Et quum aliquando Anaxarchus in scrobem incidisset, ille pertransiit, nullam ei opem ferens. Eumque quum ob id

plerique

pleriq́ue culparent, Anaxarchus ipse laudabat, vt indifferẽter & sine affectu se habentem. Quum secum loqui aliquando deprehensus esset, rogatus cur id faceret, meditor, inquit, bonus vt sim. In quæstionibus à nemine contemnebatur, quòd obiter solumq́ue ad interrogata diceret. Qua ex re factũ est vt Nausiphanes adhuc adolescentulus ab eo captus sit & allectus. Aiebat enim oportere affectus quidem esse Pyrrhonis, suiipsius autem verborum. Dicebátque sæpenumero Epicurum conuersationem institutúmque Pyrrhonis admiratum, ipsum de se percontari assiduè solitum. Tanto autem in honore à patria sua habebatur, vt eum pontificem constituerit, atque illius gratia philosophos publico decreto omnes immunitate donauerit. Complures item habuit *instituti sui, hoc est* rerum negligentiæ & contemptus, æmulos. Vnde & illum complectitur mirificè Timon in Pythone, & in Sillis, quòd liber euaserit omnibus perturbationibus, superstitionéque & vanitate, & captione sophistica, ac Dei instar inter homines regnarit.

Miror quî tandem potuisti euadere Pyrrho
Turgentes frustra, stupidos vanosque sophistas,
Atque imposturæ fallacis soluere vincla:
Nec fuerit curæ scrutari, Græcia quali
Aëre cingatur, neque vbi aut vnde omnia constent.

Et iterum in Indalmis,

Abs te illud miserè optarim cognoscere Pyrrho,
Quî fuerit facilis lætaq; vita tibi,
Solus vt in viuis gereres te numinis instar.

Hunc autem Athenienses etiam ciuitate honorauerunt, vt refert Diocles, quòd Cotyn Thraciũ interemisset. Piè verò & cum sorore sua obstetrice vixit, vt Eratosthenes in libro De diuitiis & paupertate refert, quo tempore ipse publicè auiculas porcellósque venundabat: domíque indifferenti mundicia erat. Fertur ob eiusmodi indifferentiam & scrofam lauare solitus, & quum sorori quandoque succensuisset (Philista autem vocabatur) arguerétque illum quispiam *vt immemorem instituti sui*, nõ, inquit, muliercula documentum erit nostræ indifferentiæ. Rursum quũ se inuadentem canem repulisset, causanti cuidam, Graue, inquit, est & perdifficile hominem penitus exuere. Certandum verò pro viribus, primùm quidem operibus, alioqui vel ratione aduersum res. Aiunt illum & medicamenta putrifica, & sectiones, & vstiones sibi vlceri cuipiam adhibitas tanta tulisse cõstantia,

tia, vt supercilia ne contraxerit quidem. Eius animi magnitudinẽ & Timon In iis quæ scripsit ad Pythonem prosequitur: Philo quoque Atheniensis ipsius necessarius, illum Democriti mentionem facere consueuisse, tum etiam Homeri dixit; mirantem illum eius versicu-lum, assiduéque pronunciare solitum,

Tale quidem genus est hominum quale est foliorum.

Amplectíque quòd homines muscis & auibus comparet. Illos item perlibenter & sæpe proferre,

Quin tu igitur morere, & plora mihi, amice, vicissim.
Nam & periit Patroclus, qui te superabat abundè.

Sicut & cætera illius quibus inconstanria & inania studia atque pueriles hominũ morus indicantur. Posidonius aurem de illo tale quiddam retulit. Naui aliquãdo ferebatur, & quum socij tempestate acti deiectiore animo essent, ipse rranquillo animo porcellũ in naui edentem ostendebat: dicens oportere sapientem hanc illius imitari securitatem. Solus hunc Numenius dogmata etiam edidisse ait. Huius præterea memorabiles fuere discipuli: ex quibus Eurylochus, cuius istud notarur vitium. Aiunt illum aliquando ita furore instigatum vt sumpro veru cum carnibus coquum in forum vsque persequeretur: & in Elide quæstionibus erudirorum fatigatum, abiecto pallio Alphæum tranasse fluuium. Erat autem sophistis infestissimus, sicuti & Timon ait. Philo autem in disputarionibus erat frequentior. Vnde & Timon de illo air,

Et meditandum inter, & strepitu turbaq; remotum,
Litibus haud stolidè addictum famaque Philonem.

Hecatæus præterea Abderites, & Timon Phliasius Poëta, Sillorũ scriptor, de quo dicemus: Nausiphanes quoq; Teius (cuius plerique Epicurum audirorem fuisse rradunt) eius discipuli fuerunt. Hi omnes à magistro quidem Pyrrhonij, cæterum à dogmate ἀπορητικοὶ & σκεπτικοὶ, prætereáque ἐφεκτικοὶ & ζητητικοὶ appellabantur. Est enim ζητητικὴ philosophia sic dicta quòd semper in veritatis inquisitione versetur. Porrò σκεπτικὴ, quia semper σκέπτεται, *id est, secum commentatur*, & nunquam inuenit. ἐφεκτικὴ autem dicitur ab euentu: quòd post inquisitionem ambigatur itidem. ἀπορητικὴ verò, quòd eius sectatores semper addubitent. Atque à Pyrrhone Pyrrhonij, vt diximus, denominati sunt. Enimuero Theodosius in scepticis capitulis scepricam Pyrrhoniam minimè appellari oportere air. Nam si quidẽ motus & agitatio mentis alterius comprehendi à nobis nõ potest, profectò Pyr-

rhonis affectũ ignorabimus. At ſi illum ignoremus, Pyrrhonij haudquaquam dicemur. Præterquam quòd neque Pyrrho primus ſcepticæs inuentor fuerit, neque ea dogma aliquod habeat. Rectius autem diceretur Pyrrhonis moribus ſimilis. Eius ſectæ principem Homerum fuiſſe plerique autumant, quòd is in ſuis ſcriptis de rebus eiſdem præter cæteros aliàs aliter loquitur, neque certò quicquam in rebus pronuntiat, ac certã fert ſententiam. Deniq; & ſeptẽ ſapientes in hoc genere fuiſſe verſatos, quorũ illa ſint, Nihil nimis: &, Sponſioni adiacet damnum. Quo ſignificetur, qui fideiuſſor exiſtat, illum è veſtigio certa compertáque incommoda ſubſequi. Archilochum item & Euripidem id genus exercuiſſe, vbi Archilochus quidem ait,

Ea mens eſt hominibus, Glauce Leptinis fili,
Qualem mortalibus in dies Iuppiter mittit. Item Euripides,
Sentire verò quippiam quid hos ferunt
Homunciones? nam neſcimus id quidem
An rectè agamus, an ſecus quod quis velit.

Sed & Xenophanes & Zeno Eleates ac Democritus ſecundum eos ſceptici ſunt. ex quibus Xenophanes quidem ait,

Nemo aliquid certo nouit, vel nouerit vnquam.

Zeno autem motum tollit, dicens, Omne quod mouetur, neque in quo eſt mouetur loco, neque in quo non eſt. Porrò Democritus excluſis qualitatibus, vbi, ait, lege calidum, ibi lege frigidum. Eſt autem cauſa atomi & vacuum. Ac rurſus, Cauſa quidem nihil nouimus. nam veritas in profundo eſt. Plato item id quidem quod verum ſit Diis Deorumque filiis cõcedit, cæterùm rationem probabilem perquirit. Euripides quoque dubitat an viuere ſit emori, moríque viuere mortales putent. ait enim,

Quis nouit autem an viuere hoc ſit emori,
An emori hoc ſit quod vocamus viuere?

Empedocles item quædam vix dici poſſe, alia neque auditu percipi, neque mente comprehẽdi ait: idque ſolum probari quod quiſq; putarit. Heraclitus itidem de rebus maximis coniectandum aſtruendumque eſſe quippiam temere, negat. Hippocrates itidem ambiguo atque humano more loquitur: atque longe antè Homerus,

Lingua volubilis eſt hominum, verbiſq; referta. &
Verborum hinc atque hinc ingens eſt copia cuiuis. &
Quale prior dixti, reddetur tale viciſſim.

AEquas verborum vires obiectioneſque ſignificans. Itaque huiuſmodi

modi sceptici sectarum omnium dogmata assiduè euertebant, nihil ipsi dogmatis afferentes, atque cæterorum tantùm enuncianda dogmata atque enarranda proponentes nihil definiendo, neque hoc ipsum quidem etiam. Et ipsum quoque nihil definire tollebant, dicentes illud, Nihil definimus. nam profectò definirent. cæterùm sententias aliorum proferimus nostræ infirmitatis indicium. perinde ac si annuentes hoc indicare possibile esset. Ex eo igitur quod dicunt, Nihil definimus, affectio ἀῤῥεψία *dicta, quòd neutrā in partem sententiam propensius inclinet*, insinuatur. Ac per id similiter quod proferunt, Nihilo magis, atque id, Omni rationi ratio opposita reperitur, & similia. Dicitur autem nihilo magis etiam positiuè de quibusdā quasi similia sint, vt Nihilo magis pirata malus est quàm mendax. Verùm ab huiusmodi scepticis non positiuè, sed negando dicitur. sicuti ab improbante quum dicitur, Nihilo magis Scylla fuit quàm Chimæra. Ipsum verò Magis aliquando per comparationem pronunciatur (vt quum dicimus magis dulce mel quàm vuam esse) aliquādo item positiuè, ac per negationē, vt quū dicimus, Magis prodest virtus quàm obest. Significamus enim virtutem prodesse, non obesse. Verùm & ipsam vocem Nihilo magis sceptici tollunt. Sicuti enim non magis est prouidentia quàm non est, ita & ipsum Nihilo magis, nihilo magis est quàm nō est. Significat igitur & ea vox (sicut & Timon in Pythone ait) nihil definire, verùm hęrere ambiguum. Porrò illud dictū, Omni rationi *ratio opposita reperitur*, & ipsum colligit assensus retentionem. Nam si quidem dissidētibus rebus, verba *vel rationes* tantundem valeant, veritatis ignoratio sequitur. Ac ne huic quidem rationi deest ratio quæ aduersetur. Quæ & ipsa quū sustulerit reliquas, à semetipsa sublata peribit. non secus atque medicamenta, quæ vbi epota prius materiam exhauserint, & ipsa egeruntur ac pereunt. Aiunt autem Dogmatici se non modò nō tollere, verùm & asserere & confirmare rationem. Solùm itaque ministris vtebātur rationibus. Neq; enim fieri poterat quin ratio à ratione tolleretur: quemadmodū dicere consueuimus locum nō esse: &, Locum omnino dicere oportet, ac si non dogmatis, at demonstrationis ratione. Nihilque secundum necessitatem fieri, & tamen necessitatem dicere oportet. Tali quodam interpretationis modo vtebantur. Res enim non eiusmodi per naturam esse quales viderentur, sed videri tantùm. Atque ea inquirere se dicebant, non quæ intelligerent (quòd enim intelligitur liquet) sed quæ sensibus perciperent ac communicarent. Est igitur Pyrrhonis

nis ratio recordatio quædam earum rerum quæ vidétur, siue quomodolibet intelliguntur: secundum quam omnia omnibus conferuntur, eaq́ue comparata inutilissima plenaq́ue perturbationis esse cernuntur, sicut ait AEnesidemus in introductione in Pyrrhonia. Porrò ad eas quæ in speculationibus sunt oppositiones, quū prius ostenderint quibus modis res persuadeant, eisdem auctoribus illarum fidem tollunt. Nam persuadere quidem ea quæ secundum sensus concorditer se habent, & quæ nunquam vel certè rarò mutationē accipiunt: consueta item, & quæ legibus visa sunt distincta, atque admirationi habita. Demonstrabant itaque ex iis quæ contraria sunt, persuasiones æquales esse persuadentibus. Porrò dubitationes circa concordiā earum rerum quæ vel aspectu vel intelligentia percipiuntur, decem modis tradebant, quibus subiecta differre videbantur. Ex his primus est, qui cōstat ex animalium differentiis ad voluptatem & dolorem, ad commoda & incommoda. Ex eo autem colligitur non easdem ac eisdem imaginationes incidere, quodq́; eam pugnam necessariò sequitur ambigere. Quippe animalium alia absque coitu gigni (vt sunt quæ in igni viuunt, quę πυρίβια vocantur: phœníxque Arabicus, atque teredines) alia verò ex cōgressu, vt homines & cætera. Atque alia sic, alia sic comparata sunt. Quocirca etiā sensibus differunt: nam aquilæ acutissimè vident, canis sagacissimè olfacit. Est igitur cōsentaneum, quæ differenter oculis incidunt, eorum itidem differre phantasmata. Nam capræ quidem virgulta alimento esse, homini autem amara atque insuauia. Cicutam quoque coturnici nutrimentū, homini inferre perniciem. Suem item stercus edere, quod minimè equus attingat.

Secundus ex hominū ingeniis per gentes comparationesq́ue colligitur. Demophon enim mensis præfectus Alexandri, ad vmbrā calefiebat, Soleq́ue rigebat. Andron item Argiuus, vt ait Aristoteles, per arida Libyæ loca absque potu iter agebat. Alius item mediciuæ, agriculturæ alius, alius mercaturæ studiosus est. Atque ista quidem aliis prosunt, aliis obsunt. quamobrē retinendus assensus est. Tertius ex differentibus sensuum poris accipitur. Namque malum aspectui quidem pallidum, gustui dulce, tactui læue, olfactuiq́ue fragrantia odoris gratissimum incidit. Eadémque forma pro speculorū varietate non eadem cernitur. Consequens igitur est, quod apparet, nō magis id esse quàm aliud. Quartus, circa affectus communiter vicissitudinésque versatur, puta sanitatem, morbum: somnum, euigilationem: gaudium, tristitiam: iuuentam, senectam: audaciam, metum: in-

digentiam, copiam:amicitiam,odium: calorem,frigus:quòd videlicet respiretur,at vicissim spiritus meatus intercludatur. Diuersa itaq; videntur quæ incidunt propter dispositiones quaslibet. Neque enim qui vesani sunt, præter naturam se habẽt. Quid enim illi magis quàm nos? namque & nos Solem veluti stantem intuemur. Theon autem Tithoreus Stoicus dormiẽs in somnis ambulabat, Periclísque seruus in summo tecto. Quintus circa leges atque instituta, fabulosásque probationes, atque artificialia fœdera, dogmaticásq; opiniones versatur. In eo continentur quæ de honestis ac turpibus, verísque & falsis: déque summo bono, de Diis, & generationibus, & corruptione omnium quæ apparẽt, disputãtur. Denique quod apud alios iustum, apud alios iniustum est, idémq; aliis bonũ aliis malum putatur. Nam Persis quidem filiabus misceri legitimum est: id verò Græcis nefariũ existimatur. Atque Massagetæ (vt Eudoxus quidem in primo Periodi refert) vxores habent communes: Græci eam communionem detestantur. Cilices item latrociniis gaudent, Græci non. Sic de Diis quoque alij aliter sentiunt. Quippe illorum prouidentiam alij confitentur, alij negant. AEgyptij quoque condientes sepeliunt corpora, Romani verò incendẽtes: Pæonésque in stagna proiiciunt. Vnde de veri professione retinetur assensio. Sextus in commistionibus com munionibúsque consistit, secundum quem liquidè nihil per se & integrè apparet, sed cum aëre ac lumine: liquido ac solido: calore, frigore: motu, euaporatione, ac potentiis aliis. Constat enim purpuram colorem suum varium præ se ferre ad Solem ac Lunam & lucernam. Color item noster diuersus est. Et Sol alius est sub auroram, alius sub meridiem. Itidẽ lapis qui dum est in aëre, à duobus eleuatur, in aqua facilè transfertur. At enim grauis existens, ab humore alleuatur, siue leuis, ab aëre grauatur. Ignoramus quoque quid seorsum sit, veluti in vnguento oleum. Septimus circa abscessus & positiones quasdã, & loca, & ea quæ in locis sunt, versatur. Per eum, quæ vidẽtur magna esse, parua apparent: quadrata, rotunda: plana, prominentia seu extuberãtia esse: recta, obliqua: pallida, versicoloria. Sol denique pro distantia ex longinquo diuersus apparet, montésque procul aëris speciem referre læuésque esse, prope asperi esse ac prærupti vidẽtur. Sol itidem oriens quidem alius videtur, alius quum medio cœlo se fuderit. Atque idem corpus in nemore aliud, aliud in aperta terra apparet: effigiésque secundum talem vel talem positionem, vt columbæ collum in cõuersione videtur. Quoniam igitur extra loca & positiones

iſta cõſiderari nequeunt, illorũ quoque natura ignoratur. Octauus qui eſt pro ratione quantitatum, ſiue caloris vel frigoris, velocitatis vel tarditatis, ſiue palloris ſiue verſicoloritatis. Namque vinum modicè ſumptum firmat ac roborat: immodicè, ſtatum mentis euertit. Idem de cibo, & ſimilibus. Nonus eſt propter id quod aſſiduum eſt, vel nouum vel rarum cõtingit. Nam terræmotus apud quos crebrò contingunt, admirationi non ſunt. Sol itidem, quia quotidie cernitur. (Nonum autem Phauorinus octauum, Sextus & AEneſidemus decimum *eſſe volũt.* Sed & decimum Sextus octauum ait, Phauorinus nonum.) Decimus ex rerũ collatione inter ſe conſtat, puta graue ad leue, forte ad imbecillum, maius ad minus, ſuperius ad inferius. Dextrum autem non per naturam dextrum eſt, verùm ex ſiniſtri collatione intelligitur: nam ſi tollatur ſiniſtrum, dextrum non erit. Eadẽ ratione & pater & frater velut ad aliquid dicuntur, & dies veluti ad Solem, atque omnia vt ad mentem. Quæ igitur ad aliquid dicuntur, per ſeipſa incognita ſunt. Atq; hi quidẽ decem modi ſunt quos prædiximus. Cæterum Agrippa his alios quinque inuexit, eum videlicet qui ex diſcrepantia colligitur, & qui in infinitum progreditur, & eum qui ad aliquid dicitur, quíque ex ſuppoſitione eſt, & qui per inuicem. Qui igitur ex diſcrepantia eſt, quæſtionem quæcunque fuerit apud philoſophos propoſita quæ ex cõſuetudine, ingentis pugnæ & perturbationis plenam oſtẽdit. Qui verò in infinitum procedit, quod quæſitum fuerit affirmari minimè permittit, quòd aliud ab alio fidem capiat, atque ita in infinitum res procedat. Qui autem ad aliquid, nihil percipi per ſe dicit, ſed cũ altero: quocirca & ignota eſſe *omnia.* Porrò ex hypotheſi, *id eſt ſuppoſitione,* ſumitur modus, quum putãt quidam ex ſeipſis principia rerum oportere admittere, vt certa ac indubitata, neque vltrà debere inquiri. quod ſtultum atque inane eſt. Contrarium enim quiſpiam ſubiiciet. Per inuicem autem modus conſiſtit, quum quod quæſitam rem firmare debuit, ipſum opus habet ab eo quod quæritur fidem capere. Puta ſi poros quiſpiam idcirco eſſe aſſeueret, quòd euaporationes fiant, ipſum ad affirmationẽ ſumit, quod minimè debuit. Tollunt autem iſti omnem demonſtrationem, omnéque criterium, *id eſt iudicandi organum .q.d. indicatorium,* & ſignum, & cauſam, & motum, atque diſcendi facultatem, & generationem, & quòd natura quidpiam aut bonum aut malum ſit. Omnis enim (aiunt) demonſtratio, aut ex demõſtratis rebus conſtat, aut ex non demonſtratis. Si igitur ex dèmõſtratis, & illa demonſtra-

tione

tione aliqua egebunt, atque ita in infinitum pergetur: ſin verò ex nõ demonſtratis, ſiue omnia, ſiue quędam, ſi vnum etiam ſolum dubium & controuerſum ſit, totũ demonſtratione carebit. Quòd ſi videntur (inquiunt) quædam eſſe quæ demonſtratione non egeant, mira illorum eſt mens ſi non intelligunt hoc ipſum, in primis demonſtrari neceſſe habere, illa ex ſeipſis *& abſque demonſtratione* fidem obtinere. Neque enim quatuor eſſe elementa, inde confirmandum eſt, quòd quatuor ſint eleméta. Præterea ſi derogetur fides particularibus demonſtrationibus, generalem quoque demonſtrationem fide carere neceſſe eſt. Vt autem ſciamus demonſtrationem, criterium, *id eſt iudicandi organum*, erit neceſſarium: itidẽ, vt criterium eſſe nouerimus, demõſtratione opus erit. Vnde ſi vtraque, quum ad inuicem referantur, incomprehẽſibilia ſunt, quónam modo percipiantur quæ incerta ſunt, ſi ignoretur demonſtratio? Quæritur autẽ num talia appareant: verùm an ſecundum ſubſiſtentiam ita ſe habeant. Stultos autem Dogmaticos dicebãt: quod enim ex hypotheſi. *q. d. ſuppoſitione*, concluditur, non contemplationis, verùm poſitionis vicẽ obtinet. Porrò eadem ratione etiam de impoſſibilibus argumentari liceret. Cæterum qui arbitrantur minimè oportere ex iis quæ ſecundum circunſtantiá ſunt verum iudicare, neq; ex iis quæ ſecundum naturá ſunt, eos leges ferre dicebant, & modos rerum omnium ſibi definire, nequaquam intuentes quod manifeſtum eſt, omne id ſecundum circunſtãtiam affectúmque apparere. Aut igitur vera omnia eſſe, aut falſa omnia dicendum eſt. Si autem quædã vera ſunt, quónam ea diſcernemus modo? Neque enim ſenſu quæ ſecundum ſenſum ſunt: quum omnia illi videantur æqualia: neque intelligentia, ob eandem cauſam. His autẽ excluſis, nulla iudicandi vis reliqua cernitur. Qui igitur (inquiunt illi) de aliqua ſiue ſenſibili ſiue intelligibili aſſeuerat, prius eas quæ de ea re ſunt opiniones cõſtituere debet. alii enim iſta, alii illa abſtulerunt. Neceſſe eſt autem vel ſenſu vel intelligentia iudicari. at de vtriſque contentio eſt. Non igitur poſsibile eſt opiniones de rebus ſenſibilibus intelligibilibúſque iudicare. Atqui ſi propter eam quæ eſt in intelligentiis pugnam omnibus renuntiandum eſt, tolletur menſura ad quam cuncta diligenter exacta videntur. Omnia igitur æqualia arbitrabuntur. Ad hæc (aiunt) qui nobiſcum diſputat, quod apparet, *ſeu videtur*, fide dignum habẽdum ſit, nec ne: ſi quidem fide dignum, nihil aduerſus illum dicere poterit cui contrà videtur. Sicut enim ipſe fide dignus dum dicit quid ſibi videatur, ita & aduerſarius. Sin autem

non

non fide dignus, neque ipſi credetur quod ſibi appareat dicenti. Iam verò quod perſuadet, verum eſſe arbitrandum non eſt. Neque enim idem omnibus perſuadet, neque eiſdem ſemper. Fit autem perſuaſio etiam per *ſiue propter* id quod extrinſecus eſt, ſiue per celebritatẽ eius qui loquitur, ſiue per longam cogitationem, ſiue per ſuauiloquentiã, ſiue per cõſuetudinem, ſiue per id quod gratum eſt. Tollebant autem & criterium, *id eſt iudicãdi organum .q.d. iudicatorium*, iſta ratione. Aut iudicatum eſt criterium, aut iniudicatum eſt. at ſi quidem iniudicatum eſt, fidem non meretur, excidítque à veri falſíque iudicio. Sin verò iudicatum, vnum erit eorum quæ particulatim iudicantur: adeò vt idem & iudicet & iudicetur. Id quoque quod de criterio iudicium tulit, ab altero iudicabitur, illúdque rurſus ab alio, atque in infinitum procedet: Præterquã quòd de criterio ſententia concors nõ eſt, aliis hominem criterium eſſe dicentibus, aliis ſenſum, aliis rationem, quibuſdam item comprehenſiuam imaginationem. Atqui homo quidẽ & ſecum & cum aliis diſſidet, quod ex legum conſuetudinúmq; differentiis conſtat. Porrò ſenſus falluntur mentiuntúrque, ratio autem in controuerſia poſita eſt, & comprehenſiua phantaſia ab animo iudicatur, animúſq; ipſe variis motibus circumagitur. Hac ergo ratione ignotum eſt criterium, ac per id veritas quoque ignoratur. Signũ item eſſe negant. Nam ſi quidem ſignum eſt (inquiunt) aut ſenſibile eſſe neceſſe eſt, aut intelligibile. At ſenſibile non eſt: nam ſenſibile, commune: ſignum verò, proprium eſt. Ac ſenſibile, ſecundũ quidem differentiam, ſignum verò, eorum quæ ad aliquid dicuntur, eſt. Intelligibile itidem non eſt. Nam ſi intelligibile eſt, aut apparet, & eſt apparentis *ſignum*, aut non apparens nõ apparentis, aut non apparens apparentis, aut apparens non apparentis. Nihil autem horum eſt. nõ eſt igitur ſignum. Apparens quidem certè non eſt apparentis *ſignum*, quia quod apparet, ſigno nihil opus habet. Nõ apparens verò nequaquam eſt non apparẽtis ſignum: quoniam apparere oportet quod pateſit ab aliquo. Non apparens autem apparẽtis eſſe non poteſt, quatenus apparere oportet id cuius auxilio patefieri alterum debet. Sed nec apparens non apparentis fuerit *ſignum*, quia ſignum quum ſit eorum quæ ſunt ad aliquid, cum eo comprehendi debet cuius eſt ſignũ. hoc verò non eſt. Ex eo autem ſequitur nihil incertum comprehendi poſſe. Nã per ſigna dicuntur obſcura ac incerta comprehendi poſſe.

Cauſam itidem hac ratiocinatione tollunt: Cauſa eorum quæ ad aliquid dicuntur, eſt, nimirum ad cauſale. Quę verò ad aliquid dicuntur,

tur, solùm intelliguntur, non autem existunt: causa igitur tantùm intelligitur. Nam si quidē causa est, id habere debet cuius dicitur causa: alioqui causa nō erit. Ac quemadmodum pater, nisi adsit is ad quē pater dicitur, nequaquam pater est, ita & causa. Non autem id adest ad quod causa intelligitur: neque enim generatio, neque corruptio, neque aliud quidpiam. Non ergo causa est. Præterea si quidem causa est, aut corpus corporis est causa, aut certè res incorporea rei incorporeæ. Nullum est autem horum. Non igitur est causa. Corpus quidem certè corporis non est causa. nam vtraque eandem habent naturam: & si alterum dicitur causa, quatenus est corpus, alterum quoq; quū sit corpus, efficietur causa. At si communiter ambo causæ erunt, nihil erit quod patiatur. Porrò nec incorporea res incorporeę rei causa erit, ob eandem rationem. Incorporea item res corporis causa nō erit, quia nihil incorporeum corpus facit. Corpus itidem incorporei causa non est, quia quod fit, ex patiente subiecta materia esse debet. Quum autem nihil patiatur ex eo quod incorporeū sit, ne ab aliquo quidem fieri possit. Nō est igitur causa. Ex hoc autem simul colligitur minimè subsistere principia rerum. Aliquid enim sit necesse est quod faciat atque operetur. Enimuero neque motus est: nā quod mouetur, vel in loco vbi est, vel in eo vbi non est mouetur. Non in loco vbi est: in quo autem non est, neque mouetur: nō est igitur motus. Disciplinas item hoc modo euertebant: Si quid (aiebant) docetur, siue quod est, per id ipsum quod est, siue quod non est, per id ipsum quod non est, docetur. Neque verò quod est, eo ipso quod est docetur: (nam natura omniū quæ sunt, omnibus patet atque cognoscitur) neque id quod nō est, eo quod non est. ei enim quod non est, nihil contingit: ita ne doctrina quidem. Quinetiam ne generatio quidem ipsa, inquiunt, est. Neque enim fit quod est, quū iam sit: neq; quod non est: neque enim subsistit. quod autem non subsistit, neque est, neq; fieri illi obtingit. Addunt etiam, Natura bonum malúmve nihil esse. Si quid enim (aiunt) natura bonum aut malum est, omnibus bonum aut malum esse debet, quemadmodum & nix omnibus *æquè* frigida est: at nullum est bonum aut malum quod sit commune omnibus: non igitur est natura bonum aut malum. Aut enim omne quod à quopiam existimatur bonum, dicendum est *bonum*, aut contrà. At omne dicendum non est: namque idem ab aliquo putatur bonum, sicut voluptas ab Epicuro: ab aliquo è conuerso malum, nimirum ab Antisthene. Vnde continget *(id quod fieri non potest)* idem & bonum

esse & malum. Quòd si non omne quod ab aliquo bonum putatur, *bonū esse* dixerimus, necesse erit nos diiudicare opiniones: quod propter parem rationum vim possibile non est. Ignoratur itaque quod sit natura bonum. Licet autem totum conclusionis illorum modum ex iis quæ reliquere monumentis animaduertere. Quanquam Pyrrho quidem ipse nullum reliquit opus, verùm discipuli & necessarij eius, Timon & AEnesidemus, Numenius ac Nausiphanes, atque alij huiusmodi. Quibus contradicentes Dogmatici aiunt illos comprehendere & dogmata statuere. Nam in eo quod arguere *& cæteros euertere* se putant, profectò comprehendunt: nam in eo ipso & asserunt, & dogmata astruunt. Nam quum se nihil definire aiunt, omniq́; rationi contrariam oppositam esse rationem, hæc ipsa & definiunt & dogmaticè proferunt. Aduersus quos illi respondent, Atqui ea quæ patimur vt homines, fatemur: nam & quòd dies sit, *quòd sit generatio,* quodque viuamus, & alia multa in hunc modum, quæ in vita *nostra* manifesta sunt, dignoscimus: cæterum in iis quę Dogmatici asserunt, ea se ratione comprehendere dicentes, veluti de incertis, neutiquam consentimus, sed solas passiones agnoscimus. Nā & nos videre confitemur, nósque intelligere scimus: verum quo pacto videamus, aut intelligamus, ignoramus. Quin hoc, album videri narrādo dicimus, non asserendo an re vera ita sit. Porrò de ea voce qua nihil nos definire dicimus, atque similibus, dogmata nō esse dicimus. neque enim similia sunt iis quæ illi asserunt, puta quòd globosus sphæræ instar sit mundus. Nam id quidem incertum est. Hæ verò certæ confessiones sunt. In eo itaque quod nihil definire dicimus, neque hoc ipsum definimus. Rursus illos Dogmatici vitam etiam tollere asserūt, dum omnia ex quibus vita constat euertunt. At contrà eos illi mentiri asseuerant: non enim visum se auferre, sed quomodo se habeat vis videndi, ignorare se dicunt. Siquidem quod apparet, *inquiunt*, ponimus non quòd tale, quale cernitur, sit. Nam quòd vrit ignis, sentimus: verùm an habeat vrendi naturam, nō pronunciamus. quódque moueatur quispiam, & quòd pereat, videmus: verùm ista quo pacto fiant, ignoramus. Solùm igitur reluctamur incertis quæ conspicuis rebus proximè assistunt. Namque dum statuam eminentias habere dicimus, quod videtur exponimus: quum verò non habere eminentias asserimus, non iam quod cernitur, sed aliud dicimus. Vnde & Timon in Pythone ait non excessisse consuetudinem: at in Indalmis ita dicit,

Quod verò apparet tota vi vtcunque profectum.

Atque rursus in libro De sensibus, Quòd, inquit, istud dulce sit, nō pronuncio: quòd autem videatur, assentior. Ænesidemus quoque in primo de Pyrrhonis rationibus, nihil ait per modum dogmatis definire Pyrrhonem, propter contradictionem, verùm quæ sunt conspicua sequi. Eadem ferme ait in libro contra philosophiam, & in libro De quæstione. Zeuxis itidem AEnesidemi necessarius in libro De duplicibus rationibus, Antiochus item Laodicenus, & Apellas in Agrippa ea solùm ponunt quæ apparent. Est igitur criterium secundum Scepticos quod apparet, sicuti & AEnesidemus ait: qua in sententia & Epicurus fuit. Porrò Democritus nihil se nosse ait eorum quæ apparent: quędam verò ex his ne esse quidem. Aduersus hoc autem, videlicet criterium, esse vnùm ex iis quæ apparent, Dogmatici aiunt, quum ab iisdem varię imaginationes obuersantur, quemadmodum à turre vel rotunda, vel quadrata: Scepticum, si neutram præferat, sine effectu fore: sin verò alterā sequatur, non iam inquiunt æquas vires iis quæ apparent attributurum. Quibus respondent Sceptici, quòd quando variæ obuersabuntur imaginationes, vtrasque apparere dicemus, atque ideo apparentia ponere quia apparent. *Postremò* autem Sceptici finem aiunt, assensus retentionem, quam rem sequatur, vmbræ in morem, animi imperturbatus status, vt ait & Timon & AEnesidemus. Neque enim ista aut fugiamus, aut eligamus quæ circa nos sunt: quæ verò circa nos non sunt, sed per necessitatem, vitare non possumus, vt est esurire, & sitire, & dolere. Neque enim ista ratione auferri possunt. Dicentibus verò Dogmaticis, pòsse viuere Scepticos, non detrectādo, si iubeatur etiam patrem excarnificare, respondēt illi de Dogmaticis, quomodo viuere poterit & abstinere quæstionibus, non de rebus vitæ cōmunis & obseruandis. Itaque & eligimus aliquid secundum consuetudinem, & fugimus, & legibus vtimur. Sunt etiam qui dicant Scepticos finem dixisse statum animi passionibus carentem: sunt qui mansuetudinem.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE OPTIMO DOCENDI GENERE LIBER,

In quo aduersus veteres Academicos Pyrrhoniosque disputat:

D. Erasmo Roterodamo interprete.

FAVORINVS censet optimum doctrinæ genus, per quod vtranque in partẽ præparamur. Sic enim appellabãt Academici, propter aduersam partem quam asseuerabant. Itaque vetustiores existimabant hanc doctrinam desinere in epochen. Epochen autem appellabant, quasi dicas suspensam sententiam, nihilque definientem. quod est, nulla de re pronunciare nec asseuerare certò. Recentiores autem (non enim solus fecit hoc Fauotinus) nonnunquam eò proferunt epochen, vt negent vel illud intellectu posse comprehendi, Solem esse. Rursus aliàs eò proferunt cognitionem, vt discipulis suis permittant, antequam didicerint, de scientiis iudicare. Nec enim aliud est quod dixit Fauorinus libro de affectione Academica, cui titulus inditus est Plutarchus. Dicit autem idem in libro ad Epictetum, in quo inducitur Onesimus Plutarchi seruus cum Epicteto disputãs. Quin & in libro quẽ postea scripsit ad Alcibiadem, laudat alios etiam Academicos, qui in partes ambas sibi pugnantes & contrarias disserebant: cæterùm discipulis permittebant vt quod verius videretur eligerent. In hoc sanè ait libro sibi videri probabile, nihil certò sciri posse. Contrà in Plutarcho concedere videtur, esse certam alicuius rei cognitionem. Præstat autẽ sic appellari γνωστὸν .i. *cognoscibile*, quod aliis dicitur καταληπτὸν .i. *comprehensibile*, relicto vocabulo Stoico. Ego sanè mirabar, ita me Dij bene ament, quòd Fauorinus qui consueuit omnia nomina ad Atticam linguam vsurpare, non cesset dicere τὸ καταληπτὸν .i. *comprehensibile*, neque τὴν κατάληψιν, *id est comprehẽsionem*, neque τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, *id est comprehensiuam imaginationem*: neque his contraria, quæ videlicet per priuationem dicuntur, vt ἀκατάληπτον φαντασίαν, *id est incomprehensiuam imaginationem*, vel ἀκαταληψίαν αὐτὴν, *id est incomprehensibilitatem ipsam.* adeò vt quum libros tres scripserit, primũ ad Adrianum,

num, alterum ad Dysonem, tertium ad Aristarchum, omnibus titulũ indiderit περὶ καταληπτικῆς φαντασίας, *id est, De comprehensiua imaginatione*, ac per omnes hos libros strenuè contendit, dum conatur demõstrare nullam esse posse comprehensiuam imaginationem. Ego verò nihil aliud arbitror sonare comprehẽsibile, quàm cognoscibile: nec aliud comprehendere, quàm certò cognoscere: cæterùm inter se respondere comprehensionem & comprehensiuam imaginationem. Quoniam enim nonnulla videmur nobis videre, audire, aut alioqui sensu percipere (quod accidit in somnis, aut per insaniam) nonnulla verò nõ tantùm putamus nos videre, sed re vera videmus, aut alioqui sensu percipimus: hæc quidẽ posteriora omnes homines, exceptis Academicis & Pyrrhoniis, ad certam cognitionem pertingere credunt: cæterùm quæ per somnum aut mentis errorem apparent animo, ea falsa esse. Quòd si porrò cõcedunt hoc ita se habere, deleant è libris suis quod inibi scriptum est, In rerum iudicio, nec sano magis esse fidem habẽdam quàm insano, neque rectè valenti magis quàm ægroto, neq; vigilanti magis quàm dormienti. Sin istis nihil est cognoscibilius quàm iis qui sunt diuerso modo affecti, nimirum confusa sunt veritatis iudicia: nec ipse præceptor Academicus, nec discipulus poterit iudicare rationes quæ in ambas partes inter se pugnantes disseruntur. Imò ne opus quidem omnino fuerit talibus doctoribus, quũ possimus ipsi, quę à sectarum auctoribus hinc atque hinc differta sunt, legere, nihiloque minus quàm Academici scire: & si quid apud hos fuerit obscurum, quod erit apud Chrysippũ, Stoici magistri possunt appellare certius: quod apud Theophrastum & Aristotelem, Peripatetici: itemq; de cæteris, vt iam nihil omnino reliquum sit quod doceant Academici, iuxta Fauorini quidem disputationem. Siquidem hoc sanè docuerunt illi veteres, nullum esse datum homini iudicium à natura, quo collatis inter se rebus omnibus, exactè possit dignoscere: Eoque nulla de re pronunciandum esse censebant, sed semper de omnibus suspendẽdam esse sententiam. Verùm si nobis physicis concedant (vt oportet) sensum, iam nihil opus habebimus in vtramque partem exerceri: sed alia quadam re fuerit opus, videlicet repetitione: vt artifices nõ statim artem præbent discipulis, sed aliud exigunt, nimirum considerationem eorum quæ tradita sunt. quod à plerisque dicitur ad calculum vocare. hoc autem est instare ei qui exercetur, & in hoc animaduertere vbi labatur, eaque sola corrigere. Consimili modo, qui pueros exercent ad palæstram, corrigunt luctantium erra-

ta. Sic & grammaticus, & rhetor, & geometres, & muſicus, docent non labefactantes neque conuellentes in diſcipulis fidem quam habent naturæ iudicio, ſed inſtantes iis quos exercent, donec in ſingulis actionibus eò prouexerint vt iam non errent: tantum abeſt vt inducant ſentẽtiæ ſuſpenſionem. Perinde enim faciunt qui ſuſpendunt ſententiam ne credant euidentiæ rerum vnà cum ſenſibus, atque qui contemnunt ea quæ certò ab aliquo cognoſcuntur. Itaque Carneades ne illud quidem quod eſt omnium euidentiſſimum, concedit eſſe credendum, quòd magnitudines vni cuipiam æquales, ſint etiam inter ſeſe æquales. Rationes igitur quibus conatur deſtruere & hæc & alia permulta, quæ tibi euidenter apparent creduntúrque eſſe vera, adhuc in hunc vſque diem ſeruatas habemus, proditas ſcriptis, ab illius diſcipulis collectas. Solutiones autem nec ab illis, neç ab alio quopiam Academicorum qui poſt Carneadem fuerunt, datę ſunt. Ea res ſola declarat, iſtius rationes omnes eſſe ſophiſmata: nobiſque quærendæ ſunt, ô diſcipuli, iſtarum ſolutiones. Improbum eſt enim hoc: attamen nihilo minus improbũ fecerunt illi qui ſcripſerunt quidem has, cæterùm vobis non indicarunt quales eſſent. Lubens autẽ perconter, ſi vel Fauorinus adeſſet, vtrum me iubeat credere omnibus iſtis rationibus, an conſiderare veræne ſint an falſæ. Vnum hoc ſanè conceſſit, conſiderare. Rogarem autem poſt hęc in vniuerſum, num homini natura vis inſit iudicandi, quæ ſermones veros diſcernat à falſis, an potius ars quædam & ratio ſit vtrunque cognoſcendi. Si natura, quî fit vt non omnes inter nos conſentiamus, neque ſimiliter iiſdem de rebus pronunciemus? Sin ars eſt ac ratio, hęc omnium primùm erat diſcẽda. deinde conueniebat doctores ludo præfectos variis modis exercere diſcipulos, multis propoſitis exemplis: quemadmodum inſtituuntur qui diſcunt artem luctandi, aut coriariam, aut fabricandi domos naueſque, aut rhetoricè dicendi, aut legendi, aut ſcribendi, aut (vt ſummatim dicam) quidlibet aliud operari iuxta artem. Proinde ſi quis Academicorum ſcripſit quæ tandem res ſit demonſtratio, quod ſophiſma, & quomodo oporteat alterum horum ab altero diſcernere, & quemadmodũ Fauorinus admittit iudicium diſcipulorum, in vtramque partem exercitatorum, niſi quod ſupervacaneum eſt, nimirum docuit Academicus omnia quæ dicta ſunt, haberemúsque nos præceptores qui propria decreta doceãt. Quòd ſi nullus iſtorum ſcripſit quomodo iſta differunt, nec exercuit quenquam, perinde facere videtur ac ſi faber pręcipiat diſcipulo vt & metiatur,

tiatur, vt æquet, vt dirigat, & circulum deſcribat, nec interim det illi cubitum quo metiatur, nec xyſton quo poliat, neque regulam ad quã dirigat, neque circinum quem circunducat. Atqui forſitan dicet tale nihil eſſe in philoſophia ac dogmatibus. Ne igitur poſthac aſſimules te aliquid ſcire, neque pronuncia, neque deſciſce à veterum Academicorum decreto, qui prodiderunt ſuſpendendam eſſe ſententiam: neque te iacta, dum facis quod ſolet grammaticus, qui ſemet in iis exercuit quę dicta ſunt à prioribus. Proinde nihil apud illos eſſe pręclari, perſpicuum eſt conſideranti. Neque enim hoc eſt eius qui docendi munus profitetur, ſed nugacitas potius quædam eſt & ineptia. Vnde igitur cognoſcendi veri ſpes reliqua eſt? Etenim cui non adeſt iudicium veri aut falſi, huic nulla ſpes eſt cognitionis. Tantũ hoc ſtude, vt ſophiſtas doceas nullam nobis à natura inſitam vim iudicandi. Deinde fortaſſis impudenter nobis, inquir, & ſenſum & intellectum, quibus euidenter iudicamus de vero, concedet aliquis, cupiens nos in logicis fruſtranea ſpe volutari. Quicunque verò ſuſtulerunt totam ſpem, quod fecit ille, fruſtra nugantur. Perſpicuum igitur eſt quòd Fauorinus pudore ſubuertit omnia, & quòd inde fateatur nihil ſciri, vnde veteres Academici Pyrrhoniique dicebant: cęterùm ficte diſcipulis permittere iudicium, quod priores ne ſibi quidem ipſis permittebant. Ergo quòd eiuſmodi doctrina & inſtitutio diſcipulorum artem quamcunque diſcentium, qualem ſentit Fauorinus, non ſolùm cæteris præſtantior non ſit, verùm ne doctrina quidem omnino dicenda ſit, opinor à nobis dilucidè demonſtratum. Iam de reliquis, quæ doctrinę quidem ſunt omnes, an optimę ſint, conſideremus, rurſus ab iiſdem ordientes. Apparet enim hoc nobis euidẽter, quòd ſophiſtæ maximè ſtudẽt ſibi reddere incredibile, nullum eſſe iudicium naturæ. Etenim circinus pingit circulũ, cubitus autem diſcernit longitudinem, quemadmodum lances grauitatem. Hæc autem ipſe fabricatus eſt homo, ex naturæ inſtrumentis ac iudicio impulſus, quibus nullum vltra iudicium nec antiquius habemus, neque pręclarius. Hinc igitur incipiendum eſt. Dicit enim rurſus ipſa mens, quòd poſſibile nobis eſt naturali iudicio credere ſiue non credere: ipſum autẽ iudicium per aliquid aliud iudicare poſſibile non eſt. Quî fiet enim vt id quo iudicantur reliqua omnia, ab alio quopiam iudicetur? Credere vis oculis clarè cernẽtibus, & linguæ guſtanti, hoc quidem eſſe malum, hoc verò ficum, an non credere? Concedam quod voles facere in nobis, ſi quidem ſtudes mecum diſputare. Quòd ſi non credis,

dis, diſcedam abs te, velut ab eo qui præter naturam affectus eſt. Ponamus primùm te non credere, neque ſperare futurum vt quicquam ex me diſcas. Hoc enim modo cœperam dicere. Ponamus rurſus te credere, ac ſpem eſſe futurum vt ex me diſcas iudicare. Cæterùm ego ſentio iudicare, ſenſibilia quidem ex iis quæ euidenter apparent ſenſibus: intelligibilia verò, ex iis quæ dilucidè intelliguntur.

Quoniam autem ex naturæ iudicio artes omnes parant & inſtrumenta & iudicandi ſecundum artem organa, per quæ alia quidem ipſi ſibi componunt, alia rurſus ab aliis compoſita iudicant: & ego docebo in vniuerſum, & inſtrumenta, & iudicia, tum ea per quæ tibi parabis veros ſermones, tum ea per quæ iudicabis ab aliis dictos. ſic enim habes totum. Etenim ſi quid ex ſeſe euidenter apparet ſenſibus aut intellectui, ad id nihil opus eſt inquiſitione. Quòd ſi nihil eſt tale, neceſſe eſt vt accedat cognitio, quæ aliunde paratur. At ego polliceor me traditurum tibi quædam quæ reſpondeant inſtrumentis quę fiunt ab arte, ex quibus inuenies quod quæris: alia verò reſpondentia iudiciis, ex quibus iudicabis an verè tibi videaris inueniſſe. Hæc autem vbi didiceris, multis exemplis exercebo te vt & celeriter & exactè inuenias iudicesque quod quæris, vt poſthac nec vllo libro futurum ſit opus ad inuentionem veri, nec alia doctrina. Mox & aliis dicentibus aliquid eorum quæ cupis inuenire, facilè poteris cognoſcere. Etenim qui cognouit rectam viam rectam eſſe, non eget alia doctrina ad redarguendum eos qui aberrant. Ita qui rectam demonſtrationis viam perdidicerit, protinus cum hac nouit vias erroneas. Fauorinus autem mihi vidètur ſimile quiddam facere, quaſi ſi quis dicat te cæcum eſſe, nihilominus tamen iudicare poſſe vter noſtrum ſit ſordidior aut candidior: haud reputans ſecum quòd ei qui talia ſit iudicaturus, opus eſt adeſſe viſum. Atqui nihil refert, quod ad iudicandum attinet, vtrum omnino viſu careas, an quùm habeas, illi non credas. Ad eundem autem modum, quòd id quo iudicamus eſt tale quiddam, quodque quæ huic paria ſunt, ſunt & inter ſe paria: quemadmodum aſinis nemo permitteret iudicare, quoniam omnino mente carent: ita nec hominibus, ſi ne hi quidem mentem habeant, cui credi poſſit. Nihil enim intereſt, quod attinet ad incertitudinem eorum quę iudicanda ſunt, an omnino nullum habeas iudicium, an non credas illi. Ridiculus eſt igitur Fauorinus, permittens iudicium diſcipulis, quum organis iudicandi detrahat fidem. Etenim ſi nihil eſt euidens intellectui, aut certum ex ſeſe, periit

omne

omne rerum iudicium. Contrà si est quidem, velut oculus in corpore, sic intellectus in animo, non tamen omnibus pariter acutus, consentaneum est vt quemadmodum qui cernit acutius, adducat ad id quod videtur eum cui visus est hebetior: ita quibus contigit in rebus intelligibilibus perspicere clarè quod offertur intellectui, adducant ad contemplationem eandem, maximè cæcutientem. Atque hoc est præceptoris officium, vt inquit Plato, & ego assentior. Et his de rebus scripsimus copiosius in tractatione demonstrationis, quòd doctrina talis quædam sit euidens ad intelligentiam. Scripsimus autem & illud, quomodo quis exorsus in vnoquoque ab elementis ac principiis, maximè demonstrare possit quidquid est demonstrabile: non quemadmodum admirandus ille Fauorinus facit per totum librum, in quo demonstrat, ne id quidem comprehendi posse, Solem esse: ac nobis obliuiosis in vtramque disputat partem, conceditque esse aliquid quod certò cognosci possit, cuius iudicium & electionem permittit discipulis.

FINIS.



IN SEXTI PHILOSOPHI PYRRHON. HYPOTYP. LIBROS TRES, ANNOTATIONES HENRICI STEPHANI:

In quibus etiam de quarundam philosophicarum vocum interpretatione agit.

Pagina 405. Versu 2. Pyrrhon. hypot.) De hoc titulo consule annotat. septimam, vbi de aduerbio ὑποτυπωτικῶς agitur.

V. gatione) Obseruaui Græcos plerisque in locis adhibere aduerbium ἴσως (id est fortasse) item verbum οἶμαι (id est arbitror) in quibus alioqui ea minimè necessaria sunt: sed extenuādæ duntaxat, vel potius quandam modestiæ speciem præ se ferunt. Eodem autē officio & verbum δοκῶ fungi comperi. Huiusmodi est etiā Fabianum, ferè. Sed Sextum, qui τὴν ἀπερίληπτον ἀγωγὴν profitetur, hîc, sicut & alibi, vti aduerbio ἴσως tanquā ἀπερισπάστως, consentaneū est. Vide caput 21. vbi τάχα (quod idem valet) inter scepticas voces recensetur.

V. comprehendi) Pro comprehendi, potuissem etiam vti infinitiuo percipi, vertens καταληφθῆναι. Cicero enim vtroque sine discrimine vtitur, aliquando tamen ad maiorem expressionē ea copulans. Sextus, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς νέας ἀκαδημίας ἀκατάληπτα εἶναι πάντα φασί. Cicero in Lucullo. Quoniam enim id haberent Academici decretum, nihil posse percipi. Et paulo pòst, Certè hoc ipsum ex quo omne veri falsique iudiciū esset, percipere eos debuisse. Sic & κατάληψιν vertit tam perceptionem quàm comprehēsionem, atque adeò cognitionem: ita tamē vt κατάληψιν ad verbum sonare cumprehensionem fateatur. Sic enim in eodem libro scribit, Nec definiri aiebant necesse esse quid esset cognitio, aut perceptio, aut (si verbum è verbo volumus) comprehensio, quā κατάληψιν illi vocant. eosque qui persuadere vellent esse aliquid quod comprehendi & percipi posset, inscienter facere dicebāt. Vbi animaduerte exemplū eius quod modo dixi, videlicet duo hæc verba comprehendi & percipi, interdum cōiungi. Sed hîc verbū percipi sequitur, quod alibi præcedere potius solet. Rursum Cicero in eodē libro, Ad rerum igitur scientiam vitæque constantiam aptissima quum sit mens hominis, amplectitur maximè cognitionem, & κατάληψιν, quam (vt dixi) verbum è verbo exprimentes, comprehensionem dicemus. Iam verò & καταληπτὸν alicubi quidem per periphrasin, Quod comprehendi possit, item, Quod percipi possit: interdū verò & vno verbo comprehensibile reddit, sed petita tamen antè venia. At ἀκατάληπτον itidem vna voce incomprehensibile nusquā ab eo dictum comperio. quo tamen, analogiam sequens, vti minimè dubitaui. At verò ἀκαταληψίαν non item incomprehensibilitatē interpretari ausus sum, quòd nullas nisi agrestes aures id posse ferre iudicarē. Ideoque quod initio huius libri dicit Sextus ἀκαταληψίας ὁμολογίαν, interpretatus sum, A se comprehendi non posse fateantur. Sciendū est autem reperiri etiam ἀκαταληπτῶ cum apud alios, tum apud hunc nostrum Sextum, idem valēs quod οὐ καταλαμβάνω, i. Non comprehendo, Non percipio. Porrò Ciceronianis hisce interpretationibus licebit fortasse aliquam addere, vt videlicet καταληπτὸν non solùm comprehensibile, sed etiam perceptibile, & ἀκατάληπτον non tantùm incomprehensibile, verumetiam imperceptibile vertamus. Quæ cur aspernemur nihil video (vtar enim Fabij verbis) nisi quòd iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. Ego certe in huius libri interpretatione hanc in partem ne peccarem operam dedi, qui non tantùm ens & essentiā, sed alia multo duriora vocabula, ei, cogente necessitate, adhibui: quibus donec meliora in lucē prolata fuerint, neminem, qui iudex æquus esse voluerit, offensum iri confido. Sed vt ad κατάληψιν reuertar, eius originem declarat idem Cicero, ita scribens in eodem Lucullo, Hoc quidem Zeno gestu faciebat. nam quum extensis digitis aduersam manū ostenderat, Visum, inquiebat, huiusmodi est. Deinde quum paulum digitos constrinxerat, Assensus huiusmodi. Tum quū planè compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod antè non fuerat, κατάληψιν imposuit. Hactenus ille. ex cuius tot verbis, abunde discimus κατάληψιν comprehēsionem siue perceptionem debere reddi. Verùm animaduertendum est verti etiam cognitionem in vno ex illis quos attulimus locis. Cui

connexis hic De finib. lib. 3. Cognitiones autẽ, vel (si hæc verba minus placent, aut minus intelliguntur, καταλήψεις appellemus licet) eas igitur ipsas propter se asciscendas arbitramur, quòd habeant quiddam in se quasi complexum & continens veritatem. Sed in multis exemplaribus pro cognitiones deprauatè legitur cogitationes. Quinetiam, vt idem in quodam loco Luculli paulo antè citato κατάληψιν vult esse aut cognitionem, aut perceptionem, aut comprehensionem, ita alibi tres hos infinitiuos coniungit, nosci, percipi, comprehendi. Itidem verò & quatuor hæc participia congerit, comprehensi, percepti, cogniti, constituti. Ita enim in Lucullo (vnde & proximè præcedẽtes infinitiui petiti sunt) scribit: Quæro etiam, ille vir bonus qui statuit omnẽ cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius quàm aut officium prodat aut fidẽ, cur has sibi tam graues leges imposuerit, quum, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehensi, percepti, cogniti, constituti. De his autem locis quid dicemus, in quorũ vno Cicero nosci, percipi, comprehendi: in altero, comprehẽsi, percepti, cogniti, distinctè ponit, quũ alibi ea ἰσοδυνάμα esse voluerit, & nobis κατάληψιν, vel cognitionem, vel perceptionẽ, vel comprehensionem interpretari permiserit? Quid aliud huic obiectioni responderi debeat nõ video quàm hoc, Ciceronem, quum nobis liberũ facit, κατάληψιν, aut cognitionem, aut perceptionem, aut comprehensionem vertere, horum trium optionem nobis dare, tanquam quæ sensum eundem efficiant, accipiendo verbum Stoicum latius & generalius, non autem eius etymologiæ insistendo. Itidẽ verò quũ coniungit hæc participia, comprehensi, percepti, cogniti, licet non vtatur disiunctiua vel, nec aut, perinde tamẽ esse ac si posito genitiuo Græco καταληπτοῦ, subiunxisset, Siue comprehẽsi, siue percepti siue cogniti, id interpretari velis. Pro me autẽ, vel potius pro Cicerone facit Galenus, qui καταληπτὸν nihil aliud esse vult quàm γνωστόν. Verùm & alia rursus oboritur quæstio, cur Galenus καταληπτὸν quidẽ simpliciter γνωστὸν exposuerit, at καταλαμβάνεσθαι non simpliciter γιγνώσκειν, sed βεβαίως γιγνώσκειν. Hæc enim ipsissima sunt illius verba, ἐγὼ δ' οὔτ' ἄλλο τι καταληπτὸν ἡγοῦμαι σημαίνειν παρὰ τὸ γνωστόν, οὔτ' ἄλλο τι τὸ καταλαμβάνεσθαι τοῦ βεβαίως γιγνώσκειν· ἀνάλογον δ' αὐτοῖς λέγεσθαι τήν τε κατάληψιν ἔτι τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν. Quinetiam paulo pòst εἰς βεβαίαν γνῶσιν pro εἰς κατάληψιν dixit. Hanc quæstionẽ mouenti (quisquis fuerit) aptè, vt opinor, responderi queat, quemadmodum Galenus καταληπτὸν simpliciter γνωστὸν exposuit, quũ tamẽ nõ simpliciter γνωστὸν sed βεβαίως γνωστὸν intelligeret (vt ex sequentibus explicationibus patet) ita Ciceronem simpliciter quidem cogniti dixisse, nec tamẽ ad quamlibet cognitionem hoc retulisse, sed firmam ac stabilem intellexisse. nam hæc demum appellari debet cognitio, licet per abusum latius eius significatio extẽdatur. Quanquam nec ei qui contendere volet omissum in hoc Galeni loco aduerbium βεβαίως ante γνωστόν, valde repugnabo, quum præcesserit apud eundẽ βεβαίως γνωστόν. vbi etiam dicit satius esse nos ita vocare τὸ καταληπτόν, ab appellatione Stoica discedentes. Sed, vt hanc quæstionem missam faciamus, Gellius, Ciceronẽ imitatus, ad verbi καταλαμβάνεσθαι interpretationẽ duos hosce infinitiuos adhibuit, nosci & percipi. Porrò elegantissimè Lucianus ludit ἐν βίων πράσει in significatione huius verbi. Introducit enim Scepticum philosophum mercatori respondentem se omnia præstare posse præterquã δραπέτην μεταδιώκειν, & causam reddentẽ ὅτι οὐ καταλαμβάνω. Sic ludit alibi & in voce κριτήριον. Animaduertendũ est autem præterea nonnè dixisse Galenum in loco modò citato καταλαμβάνεσθαι pro καταλαμβάνειν, quũ alioqui nos dicamur καταλαμβάνειν, at ipsæ res καταλαμβάνεσθαι.

V. inuenisse) εὑρηκέναι δοκοῦσι *non verè inuenisse videntur, sed inuenisse sibi videntur. id est, inuenisse se arbitrantur. quia dixerat modò, εὑρηκέναι ἔφασαν. Inuenerunt enim, vt quidẽ ipsi, non vt aliarũ sectarum philosophi indicant.*

Ibid.) Cicero δόγμα *decretũ interpretatur. Possumus autẽ, non sine exemplo quorundam Latinorum scriptorum,* δόγματα *interpretari etiã placita. Eadem autem ratione vocarunt illi placita philosophorum, quæ Græci dicunt* τὰ ἀρέσκοντα τοῖς φιλοσόφοις, *id est, ad verbum, Placentia philosophis. Illo autem nomine inscriptus est quidam Plutarchi libellus. Nec desunt qui existiment hodieque placita curiæ à nostratibus vocari Arrests pro Arests, id est* ἀρεστά. *In quo tamen longè falli eos, facilè cognoscet quisquis vim & vsum verbi à quo illud nomen deductum est, considerauerit. Quinetiam vocem* δόξας *interdum eadem significatione poni; & ab eadem esse origine scimus. Porrò* δόγμα *quomodo interpretari debeamus docet nos Cicero, vti dixi: at quomodo* δογματικούς *(vno quidem certè verbo) non item. Ego dogmaticos (vocem Græcam, vtpote vsitatam, retinendo) quàm decretarios, ad*

appellare malui. Quòd si ad periphrasin confugiendum sic, liceat fortasse δογματικοὺς interpretari Decretorum auctores, vel assertores, aut professores, aut Decreta statuentes, vel Decretis adhærẽtes. Quid si verò Decretis certis addictos, ex ipso Cicerone interpretemur? Hinc autem & δογματικὴ φιλοσοφία paulo pòst, & alicubi aduerbiũ δογματικῶς, de quibus paulo pòst. Itẽ verbũ δογματίζειν, id est, Dogma vel dogmata statuere, Decretũ aliquod vel decreta aliqua asserere, vel profiteri. Vel, Aliquid tanquã dogma (vel decretũ) proferre, aut asserere. Dicitur enim interdum δογματίζειν absolutè, interdum δογματίζειν τι, vel περί τινος. Id est, Aliquid vel de aliquo dogmaticè pronũtiare, Aliquid dogmaticorum more asserere, vel Aliquid dogmatica assertione approbare, Vel, Aliquid, tanquã certum dogma, assertione approbare. Vtroque modo vsus est Sextus eodem in loco, ita scribens, ὁ μὲν γὰρ δογματίζων, ὡς ὑπάρχον τίθεται τὸ πρᾶγμα ἐκεῖνο ὃ λέγεται δογματίζειν. Vsus est & tertio alibi, ὁ δὲ περὶ ἑνὸς δογματίζων, ἢ προηγουμένων φαντασίαν, &c. vbi ὁ δογματίζων interpretatus sum, Qui dogmaticè pronuntiat. Apud Ciceronem alicubi decretum habere videtur esse δογματίζειν. Gell. vno verbo Decernere pro eodem dixit, lib. 11. cap. 5. sed addẽs statuere. nam de Pyrrhoniis loquẽs, scribit, Nihil enim decernunt, nihil constituunt. Cæterùm δογματίζειν & δογματικῶς ἀποφαίνεσθαι eodem sensu dicuntur.

V. compreh.) Hi duo tertiæ Academiæ auctores fuerunt. Vide infrà, pag. 441. & 443. Vide & Ciceronem in Lucullo.

V. At) Verti αἱ ἀνωτάτω φιλοσοφίαι generalissimæ philosophandi rationes. quoniã alibi apertè dicit ea significatione δύο τὰ ἀνωτάτω κεφάλαια. Eodem sensu Galenus artis medicinæ esse dicit δύο τὰ ἀνωτάτω μέρη. Idem ad Glauconem, τὰ ἀνώτατα γένη dixit. q.d. suprema, id est summa, scribens, ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν μένουσιν, ἀρκούμενοι τοῖς ἀπὸ τούτων ἐνδείξεσιν. Idem, ἀπὸ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν ἀρξάμενος. Laërtius in Zenone, τῶν δὲ παθῶν τὰ ἀνωτάτω εἶναι γένη τέτταρα. Ideo autem exempla huius significationis proferenda existimaui, ne quis τὰ ἀνωτάτω intelligat antiquissimas, quasi quæ τοῖς ἀνωτάτω χρόνοις (id est ad verbum, non superioribus temporibus sed supremis) in vsu fuerint. Eodem quoque modo dicuntur & τὰ ἐπαναβεβηκότα γένη, vt τὰ ἀνωτάτω. atque adeò ipse Sextus in sequentibus ἐπαναβεβηκότας τόπους ea significatione ponit, illis opponens τοὺς ὑποβεβηκότας. vocans ἐπαναβεβηκότας quasi dicas supergressos. id est superiores, aut eminentes supra alios. quod nihil aliud est quàm generalissimos. Iidem ὑποβεβηκότας, perinde ac si quis dicat subtergressos. id est, sub aliis constitutos, & illis subiacentes, tanquam inferiores. Galenus certè τὰς γενικωτάτας eodẽ sensu quo τὰς ἀνωτάτω dixit.

V. philosoph) Hic tria philosophiæ genera, siue tres philosophandi rationes (aut quocunque modo quis φιλοσοφίας interpretari volet) à Sexto constituuntur, Dogmatica, Academica, Sceptica. At verò Diogenes philosophos diuidit duntaxat in Dogmaticos & Ephecticos. Galenus autem (si eius est liber qui περὶ φιλοσόφου ἱστορίας inscribitur) αἱρέσεις appellans quas Sextus hic nominat φιλοσοφίας, eas esse dicit γενικωτάτας quatuor, δογματικὴν, σκεπτικὴν, ἐριστικὴν, μικτήν. addens esse ἐριστικὴν (q.d. contentiosam, aut litigiosam, vel potius altercatricem) eam quæ sophismatibus nititur. μικτὴν (id est mixtam) quæ nonnullis quidẽ dogmatibus assentitur, de multis tamen dubitat. Sed longè meliorẽ esse nostri Sexti diuisionem manifestum est. Diogenes enim vnam speciem necessariam omisit, Galenus autem eandem ipse quoque prætermisit, & duas minimè necessarias adiecit. Omisit enim vterque Academicam philosophiam, quòd eandem cum sceptica esse existimaret. Quod falsum esse probat Sextus huius libri cap. 33. discrimẽ quod inter vtramque est clarè exponens. Gellius quoque differentiam aliquam inter illas annotat, lib. 11. cap. 5. Quod autẽ ad ἐριστικὴν & μικτὴν attinet, ἐριστικὴ quidem, quatenus sophismatibus nititur, vera philosophia esse non potest. At μικτὴν, id est partim dogmaticam, partim ephecticam, nullam esse posse hinc patet, quòd ex quo semel quis aliquid ἐδογμάτισε, à sceptica secta planè cœpit desciscere, nec Scepticus amplius appellari potest, etiamsi alioqui in multis sit ζητητικὸς, siue ἀπορητικός. At certè pro me facere videtur quæ de Platone dicũtur à Sexto eodẽ ca. 33.

Ib.) Pro Dogmatica dicere poteram Decretoria, quũ δόγμα sit decretum, vt antea dictũ est. Sed haud multo minus durum videtur δογματικὴ φιλοσοφία, Decretoria philosophia vertere, quàm δογματικοὶ φιλόσοφοι, Decretorij philosophi, de quo paulo antè mentionem feci. Sed nec aduerbium δογματικῶς ausus sum reddere Decretoriè, sed alicubi Dogmaticorũ more,

alicubi

alicubi Dogmaticè interpretatus sum. vt capite 23. τιθέναι δογματικῶς ἢ ἀναιρεῖν. sed & alius modo verti pro re nata, vt in hoc loco cap. 25. τῶν δογματικῶν ζητουμένων, verti, Ex iis quæ dogmaticorum quæstionibus agitantur.

V. autem) Non sine causa ad interpretationẽ τοῦ ὑποτυπωτικῶς adhibui aduerbium breuiter, sed quia idem alibi dicit συντόμως καὶ ὑποτυπωτικῶς, & varius in locu suam claudere de re aliqua disputationem volens, dicit, Hæc sufficere possunt ὡς ἐν ὑποτυπώσει. vt initio cap. 28. περὶ τοσούτων ἀρκέσει τῶν φωνῶν ὡς ἐν ὑποτυπώσει διεξελθεῖν. Et circa finẽ huius libri primi, καὶ ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον λέγων ἐκβαίνω τὸν ὑποτυπωτικὸν τρόπον τῆς συγγραφῆς. Præterea etiam respexi ad illa, ὡς ἐν τύπῳ, & τύπῳ λέγειν, λαμβάνειν, ἀποδιδόναι. Scio interim, potuisse ὑποτυπωτικῶς aliter quoque exprimi, videlicet hoc modo, Breuẽ quandam informationem vel summariã ob oculos ponentes. Varro de lingua Latina, Quæ videretur analogia in oratione vt breuiter potui informaui. Id est ὑποτυπωτικῶς διεξῆλθον, aut vno verbo ὑποτυπωσάμην. Quamuis enim alicubi ad ὑποτυπωτικῶς adiungat alterũ aduerbium συντόμως, non dubium est tamen quin συντόμως in ὑποτυπωτικῶς inclusum etiã censeri possit. Sciendum est autem ὑποτυπωτικῶς dicere habita ratione inscriptionis huius opusculi (appellatur enim πυῤῥώνειοι ὑποτυπώσεις) & hunc titulum mutuatum esse ab AEnesidemo Sextum crediderim. nam illũ ita inscripsisse quosdam suos libros constat. Sed Diog. Laertius vno in loco citat AEnesidemũ ἐν τῷ εἰς τὰ πυῤῥώνεια ὑποτυπώσει, in altero ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πυῤῥωνείων λόγων. Porrò vocem Græcam in titulo huius libri retinui, quòd alioqui lõgis periphraseωs ambagibus vtendum fuisset. nam Pyrrhonias hypotyposes interpretãs Pyrrhonias informationes, nequaquam mihi satisfaciebam: & potius ita vertissem, Præcipuorũ sectæ Pyrrhoniæ capitum summaria & dilucida informatio. Capitum autem dicere voluissem, non dogmatũ, nec præceptorum, ne in ipso limine impingerem, & titulo ipsius operis aliquid eius professioni nõ consentaneum affingerem. Sed nec doctrinæ Pyrrhoniæ, eandem ob causam, dicere ausus fuissem. Nã & institutionis appellatione inuitus ob idipsum alicubi vsus sum. At vocem hanc capitum reprehendere non possit, qui eam in eodem sensu apud Ciceronem legerit cũ alibi, tum hic, Quatuor sunt capita quæ concludunt nihil esse quod nosci, percipi, comprehendi possit. Sed ne hoc quidem silentio prætereundum est, quum dicitur πυῤῥώνειοι ὑποτυπώσεις, perinde esse ac si diceretur, ὑποτυπώσεις τῶν πυῤῥωνείων, vt hic genitiuus sit neutrius generis. Imò in hoc ipso titulo πυῤῥωνείων ὑποτυπώσεων βιβλίον πρῶτον, sic accipiendum censerem πυῤῥωνείων, (vt videlicet perinde foret ac si dixisset βιβλίον πρῶτον ἐν ᾧ Σέξτος τὰ πυῤῥώνεια ὑποτυποῦται, vel ὑποτυπωτικῶς διεξέρχεται) nisi alibi legissem πυῤῥώνειοι ὑποτυπώσεις.

Iam verò quod ad auctorem huius operis attinet, eius mentionem Suidas facit, facit & Diog. Laërtius in Pyrrhone: sed neuter ἐμπειρικὸν eũ cognominat. Nec dubito quin vulgare ἐμπειρικοῦ cognomen ex errore ortum fuerit, quòd ἐμπειρικὰ ὑπομνήματα scripserit, quorũ ipsemet cum alibi tum in disputatione aduersus grammaticos meminit.

V. nunc) Aduerbium ἱστορικῶς interpretatus sum Historico more. Hoc autem ita intellige, eum historicos imitari in eo quòd historici res simpliciter, vt audiuerunt, aut viderunt, narrare contenti esse possint, nec suum de illis iudicium interponere necesse habeant: imò pleraque commemorent quæ fando audiuerunt, quum alioqui rem ita se habere nequaquam affirment, neque certò sibiipsis persuadeant. Vnde & in fine capitis 23. dicit de Sceptico, οὐκ ἀπαγγελτικῶς μετὰ πεποιθήσεως ἀποφαινόμενοι, ἀλλ' ὃ πάσχει διηγούμενος. & in fine 25. de eodem, ἀλλὰ τὸ ἑαυτοῦ πάθος ἀπαγγέλλοντες. adeò vt ἱστορικῶς idem sit propemodũ quod διηγηματικῶς. Ideo autem admoneo, ne quis ἱστορικῶς accipiat eo sensu vt veritatem in historiographis non requiri dicat Sextus. Contrà enim, veritatem à nonnullis historiæ animam vocitatam esse scimus: vnde & historicam fidem dixit Naso, tertij Am. eleg. 11.

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

V. scepseos) Nomẽ ἔννοια quod à me redditur mens (eo sensũ quo accipitur pro ea quam vulgò intentionem appellamus) verti etiã potest, me non repugnante, notio, vt Cicero alicubi interpretatur. Sed & λόγους, quod verti orationes, scio potuisse aliter etiam transferri. Verùm rationes interpretari, cõsentaneum huic sectæ non fuisse: & postquam diligenter expendi argumẽtum cap. 7. 8. 9. 10. in quibus hosce λόγους exponit, nihil aliud his λόγοις mihi significare visus est, quàm ea quæ de sua secta Pyrrhonij profitentur, videlicet se non δογματίζειν, se ἀίρεσιν non habere. (si

haut in vulgari significatione accipiamus) physiologiam à se tractari consentaneo suæ sectæ modo. item se apparentia non euertere.

Pag. 406. V. Scepticorũ.) Vocat hic τὰς σκεπτικὰς ἀφασίας quas alibi τὰς σκεπτικὰς φωνὰς nuncupat: ideóque ἀφασίας dicta, aut voces simpliciter hîc interpretari possumus: at secus cap. 20. vbi ἀπόφασις opponitur τῇ καταφάσει.

V. SCEPT.) Institutio mihi est ἀγωγὴ, sicut iam in aliis duobus præcedentibus locis, nõ quòd mihi satisfaciat planè hæc interpretatio, sed quòd aptiorem inuenire nõ possim. Quoties enim institutionem audimus, statim docentem & discentẽ imaginamur, quos hæc secta euertit. Ideóque fortasse rectius institutum interpretaremur. nã & Cicero Platonis institutum eo sensu dixisse videtur. Idem verò sectam & institutionem alicubi copulat. vnde videndum est an nõ ἀγωγὴν sectã vertere possimus. Porrò Aristoteles nõ simpliciter ἀγωγὴν, sed ἀγωγὴν λόγων hanc nuncupat, ita scribens, οἷς μὲν οὖν τὴν τοιαύτην εἴτε αἵρεσιν, εἴτε ἀγωγὴν λόγων, εἴτε ὅπῃ καὶ ὅπως ἐθέλοι τις καλεῖν αὐτὴν, οὐδεὶς ἂν οὐδὲ φρονῶν ὀρθὴν εἶναι φαίη, δῆλον. Scimus autẽ Sextum antea, cap. 1. inter φιλοσοφίας eam recensuisse: quod Aristocles pati recusat, vtpote subiungens, ἐγὼ μὲν οὐδὲ φιλοσοφίαν οἴομαι δεῖν ὀνομάζειν αὐτὴν, ἀναιροῦσάν γε δὴ τὰς τῶν φιλοσοφιῶν ἀρχάς. Et ipse quoque Sextus cap. 1. dicit quidẽ τὴν διάκρισιν τῆς σκέψεως ἀπὸ τῶν παρακειμένων αὐτῇ φιλοσοφιῶν, sed tamen alio quoque modo φιλοσοφίας nomen accipiens, subiungit, εἰδικὸς δὲ (λόγος) ἐν ᾧ πρὸς ἕκαστον μέρος τῆς καλουμένης φιλοσοφίας ἀντιλέγομεν. Cæterum capite sequenti σκεπτικὴν δύναμιν appellabit. Alicubi etiam σκέψιν ponit ἀντὶ τῆς σκεπτικῆς ἀγωγῆς.

V. ab ipsa) Verti σκέπτεσθαι vti scepsi, quòd à vocabulo recepto discedere non auderem. Sed hic latius quid sit σκέπτεσθαι explicabo, si prius Gellij expositionẽ attulero. Ita enim caput quintũ libri 11. exorditur: Quos Pyrrhonios philosophos vocamus, ij Græco cognomento σκεπτικοὶ appellãtur. Id ferme significat quasi quæsitores & cõsideratores. nihil enim decernũt, nihil constituũt: sed in quærẽdo semper cõsiderandóque sunt quidnam sit omnium rerum de quo decerni cõstituíque possit. Ac ne videre quoque planè quicquam nec audire sese putãt, sed ita pati afficíque quasi videant vel audiãt: eáque ipsa quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cuiusmodi sint, cunctantur atque insistunt. Hæc Gellius. Sed hoc addendum videtur, σκέπτεσθαι, quũ ad Scepticorum sectam refertur, nõ dici latè dẽ qualibet consideratione, seu commentatione: sed ad illam restringi quæ est hominis respõsionem ad quæstionẽ de qua interrogatus fuerit meditãtis, eamque aut affirmatiuam, aut negatiuam. Huiusmodi autem respõsionem nemo vnquam à Scepticis extorserit, eò quòd dum σκέπτονται, dicunt sibi contraria circa idem apparere, ideóque omnia talia apparere, vt æquum pondus πρὸς πίστιν habeant & πρὸς ἀπιστίαν. vnde fit vt nunquã vltra σκέψιν egrediantur, sed in ea perpetuò defixi maneant. Sic autẽ apud Xenophontem dicitur σκέπτεσθαι, qui aliquid considerat de quo interrogatus est, responsionem ad id meditans. Pro eodem dicitur & διασκέπτεσθαι, quo vtitur quidam Scepticus apud Lucianum ἐν βίων πράσει, dicẽs, ἐπέχω περὶ τούτου καὶ διασκέπτομαι. Cur autem Gellius σκεπτικοὺς dixerit appellatos quasi quæsitores, nihil causæ video.

V. Scepsi) Vide annotationem in pag. seq. vbi ἐποχὴ explicatur.

V. repugnand.) Aduerbium σωματικώτερον verte Solidius: fortasse autem nõ malè etiam redderetur Plenius. Sed nec vtrunque perperam, vt opinor, cõiungeretur ad maiorem aduerbij Græci expressionem, quod ad verbũ sonat corporalius. Cæterùm Galenus quoque idem de Pyrrhone testatur, scribens, καὶ τὴν ἄγαν ἠκριβωκέναι τὴν ἀχρηστικὴν ἐμπολυφθέντα Πύῤῥωνα. Ne cui tamẽ errandi occasionem præbeat mea interpretatio, quia προσεληλυθέναι τῇ σκέψει verti scepsin tractauisse, malim reddere, Ad scepsin se contulisse. vel (minus quidem ad verbum, sed magis significanter) Ad scepsin se applicuisse. Dico autem errandi occasionem, quia ex illa interpretatione colligere posset aliquis scriptis persequutum esse Pyrrhonem sectam scepticam, quũ contrà nihil eum literarũ monumentis mandasse testentur cum alij, tum Aristocles & Diogenes Laërtius.

V. deuen.) Repone rationibus pro orationibus. Ex Cicerone autem sumpsi hæc verba, Paria momenta. nam quod hic dicit τὴν ἐν ἀντικειμένοις λόγοις ἰσοσθένειαν, ille reddit Contrariarum rationum paria momenta. Ita enim in Lucullo, id est in 1. Acad. scribit, Nam in vtranque partẽ multa dicuntur. Horum aliquid vestro sapienti certũ videtur, nostro ne quid maximè quidem probabile sit occurrit. Ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta. Repono autem hic In

vtranque

Vtranque partem pro In vtraque parte (quod in vulg. edit. habetur) ex aliis Ciceronis locis. Idē in fine libri eiusdem Acad. Huic rationi quod erat eē contraneum faciebat, vt cōtra omnium sententias dies iam plerosque deduceret, vt quū in eadē re paria cōtrariis in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab vtraque parte assertio sustineretur. In quo posteriore loco animaduerte expressum idipsum quod à Sexto additur, Scepticos videlicet ob illam ἰσοσθένειαν deuenire ad ἐποχήν. Idem verò alibi ἰσοσθενῆ appellat paria in vtrāque partē. Quòd si ἰσοσθένειαν ad verbum exprimere velimus, vertemus æqualē potentiam quam vno quidem verbo, sed nō satis Latino, æquipollentiam, seu æquiualentiā vocare possemus. Sed pro eo quod Cicero paria momēta dicit, poterimus etiā par pondus vel æquale pondus dicere. vt Cōtrariæ rationes paris ponderis, idem valeat quod Cōtrariarum rationū paria momenta. Nam apud Lucianū ἰσοβαρεῖς λόγους quidā Scepticus appellat quos hic Sextus ἰσοσθενεῖς. Interrogatus enim quid sibi vellent lances quas circunferebat, respōdet, ζυγοστατῶ ἐν αὐταῖς τοὺς λόγους, καὶ πρὸς τὸ ἴσον ἀπευθύνω· καὶ ἐπειδὰν ἀκριβῶς ὁμοίους τε καὶ ἰσοβαρεῖς ἴδω, τότε δὴ ἀγνοῶ τὸν ἀληθέστερον. *Porrò ἰσοσθένειαν hanc ipsemet Sextus in fine huius cap. exponit* τὴν κατὰ πίστιν καὶ ἀπιστίαν ἰσότητα. *Idem cap. 22 ait* ἐπέχω *proferri ab eo qui declarare velit res sibi videri æquales* πρὸς πίστιν καὶ ἀπιστίαν. *Quinetiam cap. 24. ait, quū dicitur à Sceptico* πάντα ἐστὶν ἀόριστα, *intelligi* ἀόριστα *debere* μὴ προὔχοντα τῶν ἀντικειμένων κατὰ πίστιν ἢ ἀπιστίαν. *Existimo autē Aristoclem* ἀδιάφορα *eode sensu dicere, id est,* μηδὲν διαφέροντα πρὸς πίστιν ἢ ἀπιστίαν, *vel* πρὸς ἀλήθειαν ἢ ψεῦδος. *Longè enim fallitur qui* ἀδιάφορα *apud eū (vbi hanc vocem Scepticis attribuit) in recepta vulgò significatione accipiet. Ad illa autem Aristoclis* ἀδιάφορα *pertinent hæc Ciceronis in Lucullo, Veri enim & falsi nō modò cognitio, sed & natura tolletur, si nihil erit quod intersit. Et paulo pòst, Primùm qui potestis non impediri quum à veris falsa non distent?*

V. ta prim.) Timon, vt testatur Aristocles, dixit τοῖς ἀδοξάστοις καὶ ἀκλινέσι καὶ ἀκραδάντοις περιέσεσθαι πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δ' ἀταραξίαν: *Aenesidemus autem, voluptatem. Vbi animaduertendū est* ἀφασίαν *dici quam* ἐποχὴν *appellauit Sextus. Porrò & Galenus* τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν *ait (ex veterum Academicorū iudicio)* τελευτᾶν εἰς ἐποχήν. *appellās, vt opinor,* τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν *argumentationem in vtranque partem, non autem præparationē, vt Erasmus vertit. Est enim* ἐπιχείρησις *(meo quidē iudicio) quasi aggressio per argumentationem, seu ratiocinationē. Vnde &* ἐπιχειρήματα *dici puto argumētationes quibus velut aggredimur aduersariū. Quoniam autem ex huiusmodi argumentatione & propositione rationum in vtramque partem tandem illa* ἰσοσθένεια τῶν λόγων *emergit, ideo illā in epochen desinere tradunt.*

V. ἀταραξ.) *Hanc* ἀταραξίαν *exprimere voluit Cicero, ita scribens in Lucullo, Sed quæro quādo ista fuerint ab Academia vetere decreta, vt animum sapientis commoueri & conturbari negarēt. Id est,* ἀτάραχον εἶναι. *vel, vno verbo,* ἀταρακτεῖν. *Ego* ἀταραξίαν *alicubi reddidi imperturbatum animi statum. Alicubi, Vacuū à perturbatione animum. Est etiam vbi verterim Vacuitatem à perturbatione, sicut & hic. Sed nihil impedit quin etiam aliquis tranquillitatē animi interpretetur. Is enim demum tranquillus est animus, qui omni perturbatione caret. Ipse autem paulo pòst* ἀταραξίαν *definiet* ψυχῆς ἀοχλησίαν καὶ γαληνότητα, *id est vacuitatē perturbationis in animo, & trāquillitatem. Sed vertere etiam potui, animū minimè turbulentum, & serenum. Nam animum turbulētum dixit Cicero, animum serenū (id est* γαληνὸν *ad verbū) Ouidius. Potui etiam reddere, minimè turbidum, & tranquillum. Nam hæc duo (quæ mari frequenter tribuūtur) Cicero quoque inter se opponit. Quin etiam* γαληνότητα ψυχῆς *animum placidū interpretari licet, quia quod* γαλήνην θάλασσαν *dicunt Græci, Latini vel tranquillum, vel placidum mare vocant, & ab eo petitam esse metaphoram constat.*

V. lamus) Sexti verba sunt, οὐ κατὰ τὸ περίεργον, ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὸ δυνατόν. *Id est, Nō curiosius. Vel, Nō anxia quadam obseruatione vsus huius verbi, sed simpliciter, quatenus potest. Sic alibi* δογματικὴν περιεργίαν *dicit. Præterea in fine huius libri itidem de vsu vocabulorum loquens,* οὕτως καὶ ὁ μεθοδικὸς κοινότητα λέγει, καὶ διήκειν, καὶ τὰ παραπλήσια ἀπεριέργως. *Præcesserat autem paulo antè,* πρὸς τῷ καὶ τὸ ἀδόξαστόν τε καὶ ἀδιάφορον περὶ χρήσεως τῶν ὀνομάτων κοινὸν εἶναι τῶν ἀγωγῶν. *Vt autē Sextus dicit* οὐ κατὰ τὸ περίεργον ἀλλ' ἁπλῶς, *ita Aeschines cōtra Ctesiphontem scribit* ὅταν δ' ἐξ ὀνομάτων συγκειμένους ἀνθρώπους, καὶ τούτων πικρῶν καὶ περιέργων, ἔπειτα ἐπὶ τὴν ἁπλό-

τητα

ταῦτα καὶ τὰ ἔργα καταφθόγγη.

V. permutatim) Aduerbiū ἐναλλὰξ verti hic permutatim, alibi autē aliter, prout mihi alia interpretatio in mentem venit: vbique tamen eodē sensu. Intelligit autem, Aut phænumena noumenis, aut noemena phænomenis.

P. 407. V. petrandam) Cicero ἐποχὴν interpretatur assensionis retentionem. Idem vim verbi exprimens, ita scribit in Lucullo, Contineo igitur me ne incognito assentiar. Nā Cōtineo me ne assentiar, nihil aliud est quàm ἐπέχω. Alibi autem dicit Se ab assensu sustinere, item Assensum sustinere, vel assensionem. Quinctiam alicubi Assertionem sustinere eodem sensu punit. Idē quum ita scribit, Quum se à respondendo vt aut approbet quid aut improbet sustineat, vt neque neget aliquid, neque aiat, nihil aliud dicit tot verbis quàm ὅτι ἐπέχει. Inuenitur etiam apud eum A certo cohibere assensum pro ἐπέχειν περὶ τῶν ἀδήλων. Gellius autem ἐπέχειν videtur interpretari voluisse cunctari & insistere, ita scribens de Scepticis lib. 11. cap. 5. Ac ne videre quoque planè quicquā, neque audire sese putant: sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. Eaque ipsa quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cuiusmodi sint, cunctantur atque insistunt. id est, ἐπέχουσι περὶ τοῦ ποῖα ἐστι κατὰ φύσιν. Nam editiones in quibus legitur cunctantur, sequor potius quàm quæ habent contantur, id est percōtantur. Accipio autem cunctantur pro hæsitāt. Nam & Cicero alicubi cunctari & hæsitare copulat. Fateor tamen duriusculum esse hoc loquendi genus, Cunctantur atque insistunt qualia sint, pro Cunctantur respondere de hoc, qualia sint. id est, Hæsitant de responsione ad hoc, qualia sint, &c. &, vt dixi, ἐπέχουσι περὶ τοῦ ποῖα, etc. Quanquam si verbum verbo exprimere velimus, exponemus potius ἐφίστανται. à quo verbo deductū nomen ἐπίστασις vsurpatur à Luciano de quodā Sceptico: & quidem facetissimè, suo more, in hoc verbo ludit ἐν βίων πράσει. Cuius tamen loci sensum interpres nō assequutus est, imò ab eo lōgè recessit, quippe qui ἐπίστασιν, qua Lucianus significare vult restitationē, siue insistentiam, (si à verbo insistere hoc nomen formare fas est) interpretatus est sapientiam, absurdissimum sensum efficiens, quia videlicet ἐπιστασίαν (quod ab ἐφίστασθαι deductum est) ab ἐπίσταμαι, vnde & ἐπιστήμη, ortum esse credidit. Hic autem error in interpretatione τοῦ ἐπίστασις commissus reuocat mihi in memoriā locum Xenophontis ἐν ἀναβάσει, in quo itidē vocem ἐπίστασιν quidam nō intelligētes in ἐπίστασιν perperam mutauerunt: & hanc tamen lectionem interpretes nōnulli sequuti sunt. Qua de re admonui in annotat. Xenophontis editionis meæ adiunctis. Sed vt ad ἐποχὴν reuertamur, Sextus infrà tradit eam dictā ἀπὸ τοῦ ἐπέχεσθαι τὴν διάνοιαν ὡς μήτε τιθέναι τι, μήτε ἀναιρεῖν. Hic eodem sensu dicit esse στάσιν διανοίας, nimirum στάσιν ponens ἀντὶ τῆς ἐπιστάσεως, cuius modò meminimus. Galenus autem latè ἐποχὴν accipiens, eam ἀοριστίαν esse dicit.

QVINET.) Dixit & pagina præced. sectā Scepticam à Pyrrhone Pyrrhoniam denominatā. sed hoc improbat Theodosius apud Diog. Laertium, vt videbis pag. 545. Sic autē loquutur hic Sextus, καὶ ὁ Πυῤῥώνειος δὲ φιλόσοφος δυνάμει τῇ τῆς σκεπτικῆς ἀγωγῆς ἐννοίᾳ συναποδέδοται. ἔστι δὲ ὁ μετέχων ταύτης τῆς δυνάμεως. Vbi δύναμις diuersè accipitur nam quū dicit δυνάμει συναποδέδοται τῇ ἐννοίᾳ τῆς σκεπτ. ἀγωγ. eodē modo accipit δυνάμει quo in his locis, τὸ φαινόμενον δυνάμει τὴν φαντασίαν καλοῦντες. Item, ὅταν λέγωμεν πλατεῖαν, δυνάμει λέγομεν πλατεῖαι ὁδόν. Item, ὁ γὰρ λέγων τάχα ἐστὶν, δυνάμει τίθησι καὶ τὸ μάχεσθαι δοκοῦν αὐτῷ, τὸ τάχα μὴ εἶναι. Ac ne tam procul exempla petamus, quod legis in principio pag. proximè seq. in mea interpretatione, At Scepticus voces suas profert ita vt quæ possint à seipsis circūscribi, ita legitur apud ipsum Sextum, ὁ δὲ σκεπτικὸς τὰς φωνὰς αὐτοῦ προφέρεται ὡς δυνάμει ὑφ' ἑαυτῶν περιγράφεσθαι. perinde ac si diceret ὡς δύνασθαι ὑφ' ἑαυτῶν περιγράφεσθαι. vt apparet ex hoc capitis 28. loco, vbi de iisdem φωναῖς scribit, ὅτι γε καὶ ὑφ' ἑαυτῶν αὐτὰς ἀναιρεῖσθαι λέγομεν δύνασθαι, ἐμπεριγραφομένας ἐκείνοις περὶ ὧν λέγονται. Id est (permutandu genera loquendi) ἀναιρεῖσθαι λέγομεν δυνάμει. Sic igitur & in eo de quo nūc agitur loco δυνάμει συναποδέδοται, perinde est ac si dixisset δύναται συναποδεδόσθαι. vt sit sensus, Pyrrhonij quoque philosophi notio cum notione Scepticæ sectæ tradita esse potest. Vel, Ad Pyrrhonij quoque philosophi notionem valet Scepticæ institutionis notio, quā tradidimus, aut exhibuimus, seu assignauimus. Fateor interim non vbique posse datiuum δυνάμει ita resolui. nam si pro ὅταν λέγωμεν πλατεῖαν, δυνάμει λέγομεν πλατεῖαν ὁδόν, dixeris, ὅταν λέγωμεν πλατεῖαν, δυνάμεθα λέγειν πλατεῖαν ὁδόν, aliud quiddam significare videberis. Quare δυνάμει λέγομεν πλατεῖαν

τείαν

τεῖαν ὁδὸν, interpretor, Id est valet, vel Tantundem valet ac si diceremus πλατεῖαν ὁδόν. vel, Perinde est ac si diceremus πλατ. ὁδ. Eadem est & sequentis exempli ratio. Similis autem est vsus huius vocabuli in isto Aristoclis loco, vbi de Aristippo ita loquitur, ἀλλ' οὐδὲν μὲν οὖν εἰς τὸ φανερὸν περὶ τέλους διελέξατο, δυνάμει δὲ τῆς εὐδαιμονίας τὴν ὑπόστασιν ἔλεγεν ἐν ἡδοναῖς κεῖσθαι. Subiungit enim, ἀεὶ γὰρ λόγους περὶ ἡδονῆς ποιούμενος, εἰς ὑποψίαν ἦγε τοὺς προσιόντας αὐτῷ τοῦ λέγειν τέλος εἶναι τὸ ἡδέως ζῆν. Aliter etiam accipitur δυνάμει apud philosophos, videlicet quum ἀντιδιαστέλλεται τῇ ἐνεργείᾳ. nam δυνάμει & ἐνεργείᾳ, item κατὰ δύναμιν & κατ' ἐνέργειαν opposita esse scimus. Iam verò quod ad δυνάμεως attinet, quo vtitur idem Sextus in eo loco quem initio huius annotationis protuli, aliter accipi debet, videlicet vt initio capitis praecedentis.

.V. cimus) In vertendo μεγαλοφυεῖς periphrasi Ciceroniana vsus sum, Abundantia quadam ingenij praestantes. Sed rectius viri hoc quidem loco dixissem, quàm homines. quod tamen discrimen leue est.

V. ptica) Possis etiam interpretari, & quidem melius fortasse, Omni rationi rationem, &c. Vide Ciceronem.

V. sionem) Graecam vocem phantasiam retinui, non quòd nescirem quomodo eam vertat Cicero, sed ne quis in ambiguitate vocis Latinae falleretur. Nam visum, quod Cicero φαντασίαν reddit, alia quoque significare scimus. Quum autem variis in locis interpretetur visum, alicubi tamen visionem etiam vertit in Lucullo. Et ibidem ita scribit, De sensibus ipsis quaedam dixit noua, quos iunctos esse censuit è quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet. At Quintilianus vno in loco φαντασίας interpretans, per quas (inquit) imagines rerum absentium ita repraesentantur animo vt eas cernere oculis ac praesentes habere videamur. Alibi autem scribit, Quare capiendae sunt illae, de quibus dixi, rerum imagines, quas vocari φαντασίας indicauimus. Sed rursus alio in loco, Theonem Samium pictorem concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant) dicit fuisse praestantissimum. Vt autem pictoribus sic & poetis scimus peculiares quasdam esse φαντασίας, quas quo Latino vocabulo aptè exprimere possimus, alij viderint. nobis de primaria & generali huius nominis significatione agere propositum est. Addo igitur, nos ex Cicerone non tantùm visa seu visiones simpliciter appellare posse, sed etiam significantius, visa in animos impressa.

Ita enim in eodem Lucullo scribit, Vt etiam illud absurdum sit quod interdum soletis dicere, quum visa in animos imprimantur, non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species & quasdam formas eorum. Quasi verò non specie visa iudicentur, quae fidem nullam habebunt sublata veri & falsi nota. Quinetiam visis pellendi vim tribuit idem. nam ita in eodem libro scribit, Sed id disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primùm animal omne, deinde hominem maximè. quae vis esset in sensibus, quemadmodum prima visa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulsa sequeretur. Idem in eodem libro, Visa enim ista quum acriter mentem sensúmve pepulerunt, &c. De quibus locis postea dicetur. Gellius huic Ciceronis interpretationi acquiescens, ita scribit, de Pyrrhoniis & Academicis philosophis loquens, Sed ex omnibus rebus perinde visa fieri dicunt, quas φαντασίας appellant: non vt rerum ipsarum natura est, sed affectio animi corporisve est eorum ad quos ea visa perueniunt. Haec Gellius. Sed pro his, Ad quos ea visa perueniunt, dixisset, vt opinor, Cicero, Quorum animis haec visa imprimuntur. Porrò vt φαντασίας interpretatur Cicero visa, ita φαντάζεσθαι videri, in hoc Timaei Platonici loco, Δεξιὰ δὲ φαντάζεται τὰ ἀριστερά. Nam pro Graecis hisce verbis eius versio habet, Dextra autem videntur quae laeua sunt. Idem hunc eiusdem Platonis Polit. lib. 9. locum, καὶ ἥκιστα παράνομοι τότε αἱ ὄψεις φαντάζονται τῶν ἐνυπνίων, ita reddit, Tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. At ego φαντάζεσθαι his in locis exponere malim apparere quàm videri: sicut & in isto, qui in eodem Timaeo legitur, διὰ ταῦτά τι ἰδεῖν λαμπρὸν καὶ στίλβον λιπαρόν τι φανταζόμενον. Vt autem φαντάζεσθαι vertit videri, sic & φαίνεσθαι cerni in eodem Timaeo. Hoc tamen nemo negare possit, φαίνομαι (si verbum verbo exprimendum sit) potius esse appareo quàm cernor, seu videor. Quum autem φαντασία ab eo deriuatum sit, atque adeò ipse Sextus tradat nos τὸ φαινόμενον δυνάμει τὴν φαντασίαν καλεῖν (quod loquendi genus paulo antè exposui) videndum est an non melius φαντασίας aliquo ab Appareo deducto nomine exprimeremus. Apparentiam scio Latinè non dici, apparitionem autem Latinos alio sensu vsurpare: sed quid si, cogente necessitate, eidem significationi, cui & ipsum verbum appareo seruit, accommodemus? At quae necessitas aliam vocem quàm visum quaerere nos cogit? obiiciet aliquis. Dicam quod sentio. Quum dico me videre aut cernere equum

album, perinde est ac si dicerem, Equus quem video, vel cerno, est albus. At hoc nunquam Scepticus, quatenus est Scepticus, dixerit. hoc enim esset ab ipsa scepticae professione desciscere, quae est οὐδενὶ συγκατατίθεσθαι, & περὶ οὐδενὸς διαβεβαιοῦσθαι .i. nihil assertione approbare, sed περὶ παντὸς ἐπέχειν. adeò vt quo quidque colore aut quo sono sit, se nescire dicturus sit, sed tantùm sentire affici se velut ab hoc vel illo colore, & tanquam ab hoc vel illo sono. Qua etiam de causa inducit Lucianus quendam huius sectae philosophum se μήτε ἀκούειν μήτε ὁρᾶν profitentem. Et hoc alij quoque passim illis exprobrant, quòd videlicet sensus eripiant, vt loquitur Cicero. Atque adeò Gellium paulo antè audiuimus ita loquentem de illis, Ac ne videre quoque planè quicquam nec audire sese putant, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. Quod tamen mera calūnia erat. sed huius ansam praebuit Sceptica loquendi forma, talis qualem modò proposui. Denique si verum est quod Sextus dicit, φαντασίαν tantundem valere quod φαινόμενον, qui φαντασίαν interpretabitur visum, eodem modo & φαινόμενον interpretari queat. At consideremus in vno quopiā Sexti loco, exempli gratia, quàm incommoda sit (nequid grauius dicam) illa interpretatio. Quum ita scribit, ὅταν δὲ ζητῶμεν εἰ τοιοῦτόν ἐστι τὸ ὑποκείμενον ὁποῖον φαίνεται, τὸ μὲν ὅτι φαίνεται δίδομεν, ζητοῦμεν δ' οὐ περὶ τοῦ φαινομένου, ἀλλὰ περὶ ἐκείνου ὃ λέγεται περὶ τοῦ φαινομένου. si hic φαίνεται vertas videtur, id est cernitur, planè à mente auctoris discedis, eiusque sententiam peruertis. Quare quòd verbum videtur ambiguum sit, malui φαίνεται vbique vertere Apparet. Et quum dico, Hoc apparet album, non intelligo, Manifestū est hoc esse album, sed perinde est ac si dicam, Hoc speciem albedinis meis oculis obiicit. Accipio antē speciem sicut Cicero, quū dicit, Eadē est in somnis species eorum quae vigilātes videmus. Animaduerte enim eum non dixisse visio, sed species: & ita distinxisse ac si Graecè dixisset, ἡ αὐτή ἐστι φαντασία καθ' ὕπνους, vel ὄναρ, ὧν ὁρῶμεν ὕπαρ. vel ἡ αὐτή ἐστι φαντασία καθεύδουσιν ἐκείνων ὧν ἐγρηγορότες ὁρῶμεν. At Sceptici discrimen hoc tollunt, dicētes se nescire vtri assentiendum sit. Clarum autē erit quod docere volo, ex hoc loco Galeni, ἐπειδὴ τὰ ἔνια μὲν οἰόμεθα ἢ βλέπειν, ἢ ἀκούειν, ἢ ὅλως αἰσθάνεσθαι, καθάπερ ἐν ὀνείροις καὶ μανίαις· ἔνια δ' οὐκ οἰόμεθα μόνον, ἀλλὰ καὶ κατ' ἀλήθειαν ὁρῶμεν ἢ ὅλως αἰσθανόμεθα· ταυτὶ μὲν τὰ δεύτερα πάντες ἄνθρωποι, πλὴν Ἀκαδημιακῶν τε καὶ Πυρρωνείων, εἰς βεβαίαν γνῶσιν ἥκειν νομίζουσιν, ἃ δ' ὄναρ ἢ παρακινούντων ψυχὴ φαντάζεται, ψευδῆ ταῦθ' ὑπάρχειν. εἰ μὴ δὴ συγχωροῦσιν αὐτὸ τοῦθ' οὕτως ἔχειν, ἐξαλειψάτωσαν ἐν οἷς γράφουσι μήτε τὸν μαινόμενον τὸν σωφρονοῦντα, μήτε τὸν νοσοῦντα τὸν ὑγιαίνοντα, μήτε τὸν κοιμώμενον τὸν ἐγρηγορότα πιστότερον ὑπάρχειν εἰς τὴν τῶν πραγμάτων γνῶσιν. Obseruandum hic est desipientibus non ὁράματα sed φαντάσματα tribui. secundum vulgò receptam opinionem, at secundū Scepticos vtrisque pariter φαντάσματα seu φαντασίας tribui, vtpote non discernentibus quod ad sensum attinet, eum qui sanae sit mentis, ab eo qui mente alienatus sit. Qua de re ipse quoque Cicero in eo loco, vnde verba quae paulo antè citaui deprompta sunt, disputat. Sed iam satis superque meam sententiam explicuisse mihi videor de interpretatione nominis φαντασία. Addo etiam hoc, Si quis respondeat φαντασίας apud Scepticos posse verti Visa vel Visiones, modò visa accipiamus pro iis quae nobis videre visi sumus, is nequaquam nodum planè soluerit. nam quum φαντασίαι non appellentur solùm quae nobis videre visi sumus, sed etiam quae audire, denique generaliter quae aliquo nostrorum sensuum percipere nobis visi sumus, dura nimium foret haec κατάχρησις appellationis visorum ad reliquos omnes sensus accommodatorum. Sed quoniam non is sum qui aduersus tantum virum, quantum scimus fuisse Marcum Tullium, certamen instituere vel ausim, vel possim, haec περὶ τῆς φαντασίας, id est, δυνάμει περὶ τοῦ φαινομένου, dicta existimentur κατὰ τὸ φαινόμενον. Ego certè nusquam apparentiam aut apparitionem interpretatus sum, ne audaculus iudicarer, sed potius imaginationem. Ita enim malui quàm cum Quintiliano imaginem vertere. quem miror, quum vno in loco dixisset φαντασίας esse per quas imagines rerum absentium repraesentantur, postea ipsasmet imagines φαντασίας vocari dixisse. Nam quo alio nomine hunc actum repraesentandi imagines quàm imaginationem appellare possis? Et fateor quidem diuersas esse à Scepticorum phantasiis eas quas ibi Fabius describit, sed quin tamen interpretationem inde mutuemur & cum illis communicemus, nihil obstat. Certè tum praesertim quum καταληπτικὴν ad φαντασίαν addunt, imaginationis nomen valde mihi conuenire videtur, vt καταληπτικὴ φαντασία dicatur comprehensiua

imaginatio potius quàm visum comprehensiuum. Porrò quod imaginē vocat Quintilianus, id φάντασμα esse videtur potius quàm φαντασία. Et quoniā sæpe istud nomen occurrit in hoc libro, de toto eius comitatu (vt ita loquar) dicendū mihi arbitror, vt melius eius vis cognosci à nobis ac percipi possit. Primum autem admoneo, φαντασίαν planè mihi videri à πέφανται tertia persona verbi φαίνομαι esse deriuatū: vel potius verbū φαντάζομαι à πέφανται originem habere, à cuius prima præteriti persona πεφάντασμαι fit φάντασμα, à secūda πεφάντασαι fit φαντασία, à tertia autē πεφάνταστ fit φανταστόν. ideóque miror cur Plutarchus in Placitis philosophorum φαντασίαν appellatā ἀπὸ τοῦ φωτὸς dixerit. nisi fortè huc respexerit quòd verbū φαίνομαι, à quo deriuatum est φαντασία, ἀπὸ τοῦ φωτὸς deductum sit. Sed quid vetat primùm ex eodem Plutarcho nominis φαντασίας & cognatorum definitionē sumere? Istud verò operæpretium, vt opinor, fuerit. Audi igitur illum, sed Latinè, Budæo interprete, loquentem: Chrysippus differre inter se ait quatuor hæc. φαντασία quidem igitur affectio est in anima facta, quæ sui quoque efficiēs præfert: veluti quum oculis perspicimus album, affectio est in anima per visum facta, huicque affectioni dicere possumus subesse album quod ciet. perindéque erit si per tactum aut odoratū huiusmodi affectio fiat. Dicta est igitur Græcè φαντασία à lumine. vt enim lumē & se & ea quæ collustrat demōstrat, ita phantasia ipsa se demonstrat, & sui quoque conficiens. φανταστὸν est phantasiæ efficiens, vt album, vt frigidū, & omnino quicquid animam ciere potest, id est φαντασίαν. φανταστικὸν inanis est attractus, affectus, inquam, in animo à nullo phātasto factus, veluti accidit in vmbratilem pugnam exercentibus, manusque inaniter intentantibus. Proinde viso subiacet visi quiddam cōficiens, inani autem viso non item. At φάντασμα est ad quod rapimur phantastico & inani attractu, cuiusmodi in mente captis furoréque percitis fiunt. Hæc Plutarchus. Vide & Damascenū de iisdem. Verba autem sunt φαντάζομαι & φαντασιοῦμαι. De verbi φαντάζομαι passiua significatione dictum fuit iam antea. sed & φαντάζω voce actiua reperitur pro Imaginem seu speciem præbeo, Repræsento, Apparere facio, vt ὁ ὕπνος φαντάζοντα ὡς κατ᾽ ἀλήθειαν. Sed & compositum ἀναφαντάζω, in eadem significatione. itē pro Phantasia seu phantasiis afficio, vt apud Basilium, τὰς οἰνοβαρεῖς κεφαλὰς ἃς ὁ ἐκ τῆς κραιπάλης ἀναφερόμενος ἀτμὸς ἐγκυμαίνων ἀναφαντάζει. At verò à φαντασία fit φαντασιοῦμαι, idem significans cū verbo φαντάζομαι, in actiua siue neutra significatione sumpto. (passiuæ autem huius verbi significationis exempla iam protuli) Alex. Aphrod. in 1. De anima, ἡ δὲ αἰσθητικὴ διαιρεῖται εἰς τὸ αἰσθάνεσθαι καὶ φαντασιοῦσθαι, καὶ τὸ μνημονεύειν καὶ τὸ συγκατατίθεσθαι. Hîc quidem absolutè, pro Phātasias seu imagines animo cōcipere, Imaginari. At cum accusatiuo, vt apud Plutarchum, φαντασιωθεὶς δαιμόνιόν τι. Sic & φαντάζεσθαι cum accusatiuo, vt φαντάζονται τὴν χρῆσιν, apud Alex. Aphrodisiē. Sed à φαντασία fiunt etiam φαντασιώδης, φαντασιαστής, & δυσφαντασίωτοι. Plutarchus, φαντασιαστικοὺς καὶ κατόχους ποιεῖ τοὺς προφήτας. Quintilianus lib. 6. cap. 3. has (φαντασίας) quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. hunc quidam dicūt εὐφαντασίωτον, qui sibi res, voces, actus secundū verum optimè finget. Habet autem & alias significationes φαντασία, sed quæ huius loci non sunt. At hoc prætereundū non est, nostrates omnia ferè quæ enumerauimus verba in vulgarem linguam transtulisse, Phantasie, Phātasier, Phātausme, Phantastique, vsu tamen aliquantum diuerso: præsertim quum dicunt aliquem esse magis phantasticum quàm malam Papæ.

V. dogma) Συγκατάθεσιν Cicero assensum, item assensionem, necnō approbationem interpretatur. Alibi autem hæc duo posteriora copulat, vt in Lucullo, Nunc de assensione atque approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus. Nec multo pòst, Cuius (virtutis) omnis constantia & firmitas ex iis rebus constat quibus assensa est, quas approbauit. id est, αἷς συγκατέθετο. Idem in eodem libro, paulo antè præcedentem locum, Sed de inconstantia totius illorum sententiæ (si vlla sententia cuiusquam esse potest nihil approbantis) &c. id est, οὐδενὶ συγκατατιθεμένου. Alicubi etiam Assertione approbare dicit. Et paulo pòst assertionem & approbationem copulat. Cæterùm vt assentiri & approbare illis in locis eadem vult esse, sic alibi opinari & assentiri: Vt quum scribit sapientem nihil opinari, id est nunquā assentiri rei vel falsæ vel incognitæ. Idē, Assensurum autem non percepto, id est opinaturū sapientem existimem. Idem, Credóque Clitomacho ita scribenti, Herculis quendam laborē exanclatum à Carneade, quòd vt feram & immanem belluam, sic ex animis nostris assensionē, id est opinationem & temeritatem) extraxisset Ideo antē

Cicero hæc confundit & ex duobus vnum facit, quòd vnum ex altero consequatur, vnde alibi dicit, Opinatione & perceptione sublata, sequitur omnium assensionum retentio. Ideo & Aristocles aduersus eos disputans, dicit. εἰ μὲν ὦν αὐτῷ συγκατατίθενται, δῆλον ὅτι δοξάζουσιν. Vbi animaduerte συγκατατίθενται esse Ciceronianum assentiuntur: δοξάζουσιν autem, opinantur. Hinc etiã Sceptici se ἀσυγκαταθέτους & ἀδοξάστους profitebantur, eodem teste, sicut ἀπαθεῖς & ἀταράχους. Sed idem ὑπολαμβάνειν pro δοξάζειν, & ὑπόληψιν ἀντὶ τῆς δόξης vsurpat. Verùm hoc quoque obseruandum est in loco quem paulo antè citaui, Ciceronem dicere opinationem & temeritatem, pro quo alibi dicit opinandi temeritatem. Videtur enim Cicero temeritatem vocare quam Sextus passim προπέτειαν appellat, eam δογματικοῖς exprobrans. Apud eundem Ciceronem vt temeritatem opinãdi, sic & temere opinari legimus. Quinetiã alicubi scribit, Ex animis nostris assensionem (id est opinationẽ & temeritatem) extraxisset. Porrò vt δοξάζειν opinari, & δόξαν opinationẽ, sic τὰ κατὰ δόξαν & τὰ δοξαστὰ ex Cicerone opinabilia interpretari possumus, & ἀδοξάστως citra opinationem.

V. ad rem) Dicimus quidem Assentiri alicui rem, sed quum vtimur nomine Assensus, cogimur hanc constructionem mutare, & aut Assensum ad rem aliquam, aut Assensum alicui rei dicere. Quin etiam Assensum de re aliqua non sine exemplo vsurparemus.

V. voces) Aduerbiũ πάντως verti Protinus, accipiens pro Necessariò, & quasi ex necessaria consequutione. Quo sensu dicit Cicero interdum Non continuò. qua in significatione non insolens est apud alios quoque scriptores τὸ πάντως.

P. 408. V. vt hæc) Hic ὑπολαμβάνω simpliciter pro Arbitrator, seu putat. non pro δοξάζει. in qua tamen significatione accipi ab Aristocle, modò dixi. Quinetiam alibi Sextus vtitur eodem modo quo hîc. Verùm extat etiam locus in quo τὸ ὑπολαμβάνω planè sumẽdum videtur pro τὸ δοξάζω, nisi fortè (quod suspicor) reponendum est τὸ καταλαμβάνω. Cæterùm ad hunc locũ pertinet quod scribit Cicero in Lucullo, Sed Antipatro hoc idem postulãti, quum diceret, ei qui affirmaret nihil posse percipi, cõsentaneum esse vnum tamen illud dicere percipi posse vt alia nõ possent, Carneades acutius resistebat. nam tantũ abesse dicebat vt id cõsentaneum esset, vt maxime etiam repugnaret. Qui enim negaret quidquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere. ita necesse esse ne idipsum quidẽ quod exceptum nõ esset comprehendi & percipi vllo modo posse.

V. aliis) Verti ὅλως τοῖς ἄλλοις ἑαυτοὺς συμπεριγράφειν, vnà cum aliis se circunscribere, ad verbũ accipiens tamen συμπεριγράφειν pro συναναιρεῖν. nam apud Latinos Circunscribere, sicut apud Græcos περιγράφειν, ita accipi ex Cicer. patet. Sic & paulo post hæc verba, ita vt quæ possint à seipsis circunscribi, respondent his Græcis, ὡς δυνάμενα ὑφ' ἑαυτῶν περιγράφεσθαι. Nihil autẽ aliud esse hîc περιγράφεσθαι quàm ἀναιρεῖσθαι, patet ex collatione loci eiusdẽ qui est cap. 28. vbi de iisdem vocibus agens, & idem exprimere volẽs, dicit, ὅπου γε καὶ ὑφ' ἑαυτῶν αὐτὰς ἀναιρεῖσθαι λέγομεν δύνασθαι, ἐμπεριγραφομένας ἐκείνοις περὶ ὧν λέγονται.

V. gant) πρόσκλισιν δόγμασι πολλοῖς verti inclinationem ad dogmata multa. Sed propensionẽ quoque, vt opinor, interpretari potuissem, ex Cicerone. Legitur autẽ hîc πρόσκλησιν posito η pro ι in penult. sed reponi debere πρόσκλισιν cum ι vtrobique, manifestũ est. præterquam quod alibi legimus apud eũ, τό, τε μὴ ἀντιλέγειν, ἀλλ' ἁπλῶς ἕπεσθαι, ἄνευ σφοδρᾶς προσκλίσεως καὶ προσπαθείας. Huc verò pertinet quòd apud Aristoclem habemus de nostris Scepticis, ἀλλ' ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι. Cæterùm vtranque αἱρέσεως definitionem habes apud Diog. Laërtium in proœmii fine (vbi & πρόσκλισιν inuenies) nisi quòd non dicit tantùm ἀκολουθοῦσαν, sed addit etiam ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν, omittens δόγμασιν. Item post ἀκολουθίαν ἔχουσι omittit πρὸς ἄλληλά τε καὶ φαινόμενα. vbi & ipse docet nonnullos censuisse Pyrrhoniam sectam vno quidem respectu αἵρεσιν esse, altero autem minimè.

V. fert) Hoc & alibi sæpe profitetur Sextus de Scepticis, quod tamen Aristocles negat, scribẽs, ἐπεὶ τὰν μὲν ὦν φασι τὸν σοφὸν δεῖν ζῆν, ὅτι δέοι κατακολουθοῦντα φύσει καὶ τοῖς ἔθεσι ζῆν, μηδενὶ μέντοι συγκατατίθεσθαι, πάνυ τινὲς εἰσὶν εὐήθεις. εἰ γὰρ μηδενὶ ἄλλῳ, τούτῳ γοῦν αὐτῷ δέοι ἂν συγκατατίθεσθαι. καὶ ὑπολαμβάνειν οὕτως ἔχειν αὐτό. Sed Aristocli dicẽtiam Scepticis ob illud dictum exprobranti pro illis respõdebo, aliud esse quod dicunt se ita viuere, quã si dicerẽt se ita debere viuere. At cur ita viuũt? Quia τοῖς οἰκείοις πάθεσιν ad id impelluntur.

V. tinet) Quod hîc dicit Sextus βέβαιον πεῖσμα (quod ad verbum interpretatus sum firmã persuasionem) id propemodum esse videtur quod Cicero appellat firmam & cõstantem assensionẽ,

ita

ita scribens in Lucullo, Et vno nomine omnia quæ essent aliena firmæ & cõstantis assensionis, à virtute sapientiaque remouebat. Idem in eodem libro, Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere vt moueri non possint, abhorrere à sapientia plurimum. Porrò Sextus quod hic πεῖσμα, alibi προσπάθειαν appellat, vbi scribit, οὐκ ἀπαραγγελτικῶς μετὰ προσπαθείας ἀποφαινόμενος.

V. QVI) Cic. in Lucullo, ex Clitomacho refert, Vehementer errare eos qui dicant ab Academia sensus eripi, à quibus nunquam dictum sit aut colorem, aut saporem, aut sonum vllum esse: illud sit disputatum, non inesse in his propriã, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam. Sed turpiter deprauatus hic Ciceronis locus, & pro accusatiuo vllum, reponendus mihi videtur cõtrarius nullum. Vnde verò vix vllum dubitationi superesse locum existimo, cum ex hoc Sexti loco, tum ex aliis multis. siquidem hac in re planè conueniebant Academici cum Pyrrhoniis. Quum enim dicerẽt, sibi intuentibus niuẽ, phantasiam albedinis obiici, se gustantes mel, affici dulcedine, nescire tamen an nix verè & natura esset alba, & an mel verè esset dulce: minimè colorem aut saporem tollebant. Idem autem de sono aliisque sensilibus dici potest. Huc pertinet quod à Sexto dicitur cap. 14. circa finem, ὁποῖον μὲν ἡμῖν θεωρεῖται τὸ ὑποκείμενον ἕξομεν λέγειν, ὁποῖον δὲ ἐστὶ πρὸς τὴν φύσιν, ἐφέξομεν.

V. ea) Verba Sexti sunt, τὰ γὰρ κατὰ φαντασίαν παθητικὴν ἀβουλήτως ἡμᾶς ἄγοντα εἰς συγκατάθεσιν οὐκ ἀναιρέπομεν. Et cap. 7. eodem sensu dixerat, τοῖς γὰρ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένοις πάθεσι συγκατατίθεται ὁ σκεπτικός. Quinetiam caput 20. his claudit verbis, τοῖς γὰρ κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς καὶ ἀναγκαστικῶς ἄγουσιν εἰς συγκατάθεσιν εἴκομεν. Quibus locis hic Ciceronianus respondet in Lucullo, Visa enim ista quum acriter mentẽ sensúmve pepulerũt, accipio, hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen. Nihil enim arbitror posse percipi. Non sum sapiens, itaque visis cedo, neque possum resistere. Sciendum est autẽ esse & aliam lectionẽ in hoc Sexti loco, videlicet παθητικὰ pro παθητικήν. Essent autẽ τὰ κατὰ φαντασίαν παθητικά, ea quæ patimur, vel ea quibus afficimur per phantasiam acriter (vt Ciceronianis vtar verbis) mẽtem sensúmve pellentem. At si παθητικὴν legamus, ipsam phantasiã (quam Cicero visum appellat) pati seu affici dicemus, contrà quàm ipse Cicero scribit. Neque enim dicit visa pelli (quod esset πάσχειν, seu παθητικὰ εἶναι) sed ea mẽtem sive sensũm pellere. Et pro lectione hac παθητικά facere etiã videtur secundus ille locus in quo τοῖς κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένοις πάθεσι, non autẽ ἐπὶ τῇ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένῃ πάθει habemus. Existimo autem τὰ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένα πάθη (sicut alibi dicit ἀνάγκην παθῶν) nihil aliud esse quã τὰ κατὰ φαντασίαν παθητικά. Solebant enim dicere non ipsam phantasiam pati seu affici, sed per phantasiam αἰσθητικῶς affici. Cicero de Cyrenaicis, Neque se quo quid colore, aut quo sono sit scire, sed tantùm sentire affici se quodammodo. At Gellius de his ipsis Scepticis, Ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putant, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. eaque ipsa quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cuiusmodi sint, cunctãtur atque insistunt. Hîc autẽ obiter animaduerte Ciceronem verbũ πάσχειν vertere affici, Gellium autem pati & affici copulare, & πάθος affectionẽ vocare. Nã Aristocles de iisdem Cyrenaicis philosophis loquens idem testatur, καιόμενοι γὰρ ἔλεγον καὶ τεμνόμενοι γνωρίζειν ὅτι πάσχοιέν τι, πότερον δὲ τὸ καῖον εἴη πῦρ, ἢ τὸ τέμνον σίδηρος, οὐκ ἔχειν εἰπεῖν. Hîc autem obserua exemplum eius quod dicit Gellius, Eaque ipsa quæ affectiones, &c. nã ille qui vritur, ab igni afficitur seu patitur, qui autem secatur, à ferro. At illi dicebant, dum quidẽ vrerentur & secarẽtur, agnoscere se aliquid pati, vel se ab aliquo affici: an autem esset ignis qui affectionem illam in ipsis efficeret dum vrebantur, & ferrum quod item aliam efficeret dum secabantur, se ignorare.

P. 409. V. percip.) Verti ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ, quod ad rationem & intelligentiam attinet: sed datiuum λόγῳ alia significatione hîc accipi posse, & quidẽ rectius, ingenuè fateor. Ita enim scribit Sextus, εἰ δὲ καὶ γλυκύ ἐστιν ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ, ζητοῦμεν. Vbi si ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ dicamus significare ὅσον ἐπὶ τῷ λεγομένῳ (vt alibi loquitur) pro hac interpretatione faciet, vt opinor, quod post ζητοῦμεν subiungitur à Sexto, ὃ οὐκ ἔστι τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ περὶ τοῦ φαινομένου λεγόμενον. Dixerat autem paulo antè, ζητοῦμεν δὲ οὐ περὶ τοῦ φαινομένου, ἀλλὰ περὶ ἐκείνου ὃ λέγεται περὶ τοῦ φαινομένου.

V. mouecamus) Sextus ita, ἐὰν δὲ καὶ ἀπλῶς κατὰ τὸ φαινόμενον ἐρωτῶμεν λόγους. In quo genere loquendi interpretando mihi non satisfeci, nec quum ἐρωτᾶν λόγον Mouere quæstionem, nec quum Proponere quæstionem verti.

Nam λόγον quæstionem quidem aptè vertimus, respectu verbi ἐρωτᾷν, sed non dubium est tamē quin in hac loqutione ratiocinationem potius significet. vt quū dicitur ἀργὸς λόγος, λόγος ἐγκεκαλυμμένος, λόγος θερίζων, λόγος ψευδόμενος. Cicero tamē ἀργὸν λόγον vertit ignauam rationem in lib. De fato: item ignauā interrogationem. Sed quomodo tandē λόγον ἐρωτᾷν interpretabimur? Certè apud eundem ibidē legitur, sic enim interrogant. In quo Cicero Græcam phrasin imitatus videtur, perinde ac si dixisset, τοιοῦτον ἐρωτῶσι λόγον. Sed locum illius afferre satius fuerit, in quo ita scribit, Nec nos impediet ignaua illa ratio quæ dicitur. appellatur enim quidam à philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. sic enim interrogant, Si fatum tibi est ex hoc morbo conualescere: siue medicū adhibueris, siue non adhibueris, conualesces. Item, Si fatum tibi est ex hoc morbo nō conualescere: siue tu medicum adhibueris, siue non, nō conualesces. Et alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet. Subiungit autem, Rectè genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum est, quòd eadem ratione omnis è vita tolletur actio. Hæc Cicero. Animaduerte autē in postremis hisce verbis λόγον (quod interpretatus erat rationem) verti interrogationem. Sed cur qui ita ratiocinatur, ἐρωτᾷν, id est interrogare, dicitur, quū interrogatiuam formam nō habeat eius oratio? Hoc certè existimo dici respectu eius aduersus quem disputantes, ita ratiocinamur, responsum videlicet ad illam exigentes ab eo. responsionem enim præcedat interrogatio necesse est. Certè, quæcunque sit huius dicti ratio, ἐρωτᾷν λόγον, in ea significatione passim Sextus adhibet, etiam συνερωτᾷν λόγον pro eodem vsurpans. vt cap. 13. lib. 2, ἔθος ἐστὶ τοῖς συνερωτῶσι λόγον, εἰ ἔστιν ἀπόδειξις, ἔστιν ἀπόδειξις, εἰ οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις, ἔστιν ἀπόδειξις. ἤτοι δὲ ἔστιν ἀπόδειξις, ἢ οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις. ἔστιν ἄρα ἀπόδειξις. Subiungit autem, ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς δυνάμεως καὶ τοῦτον ἐρωτῶσι τὸν λόγον, ὁ τῆς ἀντικ. &c. Certè τοῦτον ἐρωτῶσι τὸν λόγον, vel συνερωτῶσι, aliud nihil est quam, ita ratiocinantur. Vel, argumentantur. Vel, hanc ratiocinatione seu argumentationem proponunt. Sic & paulo antè dixerat, ὅτι ἤδη ἀποδεδειγμένοι εἰσὶν οἱ κατὰ τῆς ἀποδείξεως ἠρωτημένοι λόγοι. Id est, argumenta proposita aduersus demonstrationem.

V. tales) Hîc λόγον verti rationē, sed orationem fortasse potuissem etiam vertere.

V. terio) Κριτήριον perinde est ac si dicas indicatorium. A quibusdam exponitur Vis indicandi. Ego malim apud hunc auctorem indicatorium organum siue instrumentum, aut Indicandi instrumētum interpretari. Cicero vocat Id quo omnia indicantur. Item, Id ex quo omne veri falsique iudicium sit. Quintiliā iudicium simpliciter ea significatione alicubi vsurpasse videtur. Vsus est autē frequens huius vocis κριτήριον apud alios quoque philosophos.

V. natione) Verti ἀνενέργητοι omnis actionis expertes, imitatus hunc Ciceronis locū in Lucullo, Quare qui aut visum aut assensum tollit, is omnem actionem tollit è vita. Idē, sublata enim assensione, omnem & motum animorum & actionem rerum sustulerunt. Eodem sensu dicit in lib. De fato, Nihil omnino agamus in vita. id est, ἀνενέργητοι ἂν ὦμεν. Alibi autem breuius vitam euertere dicit, vt rursus in Lucullo, Vel potius etiam totam vitam euertunt funditus, ipsumque animal orbāt animo. Ibidem, Sequitur omnis vitæ ea quam tu Luculle commemorasti, euersio. Vt autem Cicero vitam, sic & Sextus βίον pro vitæ actionibus vsurpat. Sed & vitam communem obseruaui à Cicerone ita poni pro τὰ κατὰ τὸν βίον, vel τὰ περὶ τὸν βίον, ea quæ cōmuniter ad omnes homines in vita degenda pertinent. Cæterùm pro eo quod verti paulo pòst, piè agere in vita cōmuni, legitur apud Sextum, θεοσεβεῖν βιωτικῶς. vbi βιωτικῶς malit fortasse quispiā interpretari, Secundum vitam, vel κατὰ τὴν βιωτικὴν τήρησιν, vt paulo ante loquutus erat. Præterea quum dicat, καθ᾽ ἣν τὸ μὲν θεοσεβεῖν παραλαμβάνομεν βιωτικῶς ὡς ἀγαθὸν, aduerbium βιωτικῶς ad vtrumlibet verbum referri posse videtur.

P. 410. V. Est) Pro Aut considerantur, potuissem etiam dicere, aut in cōtemplatione versantur. Habet enim Sextus, ἢ θεωρεῖται. Cicero considerationē contemplationemque naturæ dicit. Rectè verò additur, Ipsum autem nullius rei causa, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα. Ita enim Cicero quoque De fin. lib. 2. Nam hunc ipsum siue finem, siue extremum, siue vltimum definiebas id esse, quò omnia quæ rectè fierent referrentur, neque id ipsum vsquam referretur. Quod autem subiungitur à Sexto, ἢ τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν, idem Acad. quæst. lib. 1. interpretatur Extremum rerum expetendarum. Et in 2. Extremum expetendi. At De fin. lib. 2. Vt is qui finem rerum expetendarū voluptatem esse dicat.

V. ea) Cicero vocem hanc μετριοπαθεῖν exprimere

primere volens, scribit, de veteribus Academicis loquens, Mediocritates illi probant, & in omni permotione naturalem volebant esse quendā modum. Dicitur & μετριοπαθής. q. d. μέτριος, vel μετριάζων ἐν τοῖς πάθεσι, id est, Qui mediocriter afficitur, Qui mediocritatem seruat in affectibus, Qui modum non excedit in affectibus.

V. sa) Hic τὴν ἰσοσθένειαν διαφωνίας appellat quod suprà τὴν ἐν ἀντικειμένοις λόγοις ἰσοσθένειαν dixerat, ideoque vertere possumus ex Cicerone, Contrariarū rationū paria momenta. Vel, Paria contrariis in partibus momenta rationum.

P. 411. V. fert) Sextus dicit μετριώτερον ἀπαλλάσσει. q. d. Cum moderatiore perturbatione euadit. Vel, Moderatius affectus seu perturbatus discedit. Vel, Facilius perturbatione defungitur. Perinde ac si dixisset μετριοπαθεῖ. quod Græcum verbum eleganter expreßit Ouidius hoc versu,

Sed te, quæcunque est, moderatè iniuria turbet.

Perinde enim est ac si dixisset vno verbo μετριοπαθεῖ. Cæterùm quod hic dicit Sextus, ὁ δὲ σκεπτικὸς τὸ προσδοξάζειν ὅτι ἐστὶ κακὸν τούτων ἕκαστον ὡς πρὸς τὴν φύσιν, περιαιρῶν, μετριώτερον καὶ ἐν τούτοις ἀπαλλάσσει, huiusmodi est in quo vno nemo non Scepticis tantam fœlicitatem inuidere, & ad eam omni conatu aspirare debeat. Ac sanè si quis eos hac in re à me laudari miretur, audiat celeberrimos comicos hac de re, Menandrum & Philemonem: ac prius quidē Menandrum ita in scena loquentem,

Ἅπαντα τὰ ζῷ᾽ ἐστὶ μακαριώτατα,
Καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ·
Τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεστι πρῶτα τουτονί·
Οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως.
Τούτῳ κακὸν δι᾽ αὑτὸν οὐδὲν γίγνεται,
Ἃ δ᾽ ἡ φύσις δέδωκεν αὐτῷ, ταῦτ᾽ ἔχει.
Ἡμεῖς δὲ χωρὶς τῶν ἀναγκαίων κακῶν,
Αὐτοὶ παρ᾽ αὑτῶν ἕτερα προσπορίζομεν,
Λυπούμεθ᾽ ἂν πτάρῃ τις, ἂν εἴπῃ κακῶς,
Ὀργιζόμεθ᾽· ἂν ἴδῃ τις ἐνύπνιον, σφόδρα
Φοβούμεθ᾽· ἂν γλαὺξ ἀνακράγῃ, δεδοίκαμεν,
Ἀγωνίαι, δόξαι, φιλοτιμίαι, νόμοι,
Ἅπαντα ταῦτ᾽ ἐπίθετα τῇ φύσει κακά.

Deinde hosce Philemonis,

Ὦ τρισμακάρια πάντα καὶ τρισόλβια
Τὰ θηρί᾽, οἷς οὐκ ἔστι περὶ τούτων λόγος·
Οὔτ᾽ εἰς ἔλεγχον αὐτῶν οὐδὲν ἔρχεται,
Οὔτ᾽ ἄλλο τοιοῦτ᾽ οὐδέν ἐστ᾽ αὐτοῖς κακὸν
Ἐπακτόν, ὃν δ᾽ ἂν εἰσενέγκηται φύσιν
Ἕκαστον, εὐθὺς καὶ νόμον ταύτην ἔχει.
Ἡμεῖς δ᾽ ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον.
Δουλεύομεν δόξαισιν, εὑρόντες νόμους,
Προγόνοισιν, ἐγγόνοισιν, οὐκ ἔστ᾽ ἀποτυχεῖν
Κακοῦ, πρόφασιν δ᾽ ἀεί τιν᾽ ἐξευρίσκομεν.

Animaduerte autem nominatim apud vtrunque δόξας. Eodem pertinent & hæc eiusdem Philemonis,

Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοί, Δέσποτα,
Αὐτοὶ δι᾽ αὑτούς, ὃ πέφυκε τῇ φύσει.
Οἷον, τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινί,
Ἢ νὴ Δί᾽ ἄλλων τῶν ἀναγκαίων γέ τις,
Εἰ μὲν λάβοι τοῦτ᾽, ἀπέθανεν, ἄνθρωπος ἦν·
Τοσοῦτον γέγονε τὸ κακὸν ἡλίκον περ ἦν.
Ἐὰν δ᾽ ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκέτ᾽ ἔσομαι,
Ἀπόλωλα· ἐν γ᾽ ἑαυτῷ τοῦτ᾽ ἐὰν σκοπῇ,
Πρὸς τοῖς κακοῖς οὗτος ἕτερα συλλέγει κακά.
Ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ᾽ ἑαυτῷ σκοπῶν,
Τὸ κακὸν ἀφαιρεῖται, ἀγαθὸν δὲ λαμβάνει.

V. TRADI) Hos modos Cicero locos communes appellat. Aristocles quoque horum epoches modorum ab Aenesidemo tractatorum mentionē facit, sed nouem duntaxat enumerans. Ait enim Aenesidemus (vt ille refert) differre inter se animalia & nosipsos, ciuitates, & victus, (seu viuendi genera) & cōsuetudines, & leges: nosque sensibus imbecillis præditos esse, multaque præterea esse quæ extrinsecus corrumpant cognitionem, videlicet distantias & magnitudines, & motus. Præterea ex eo quòd aliter affecti sint iuuenes quàm senes, & vigilantes quàm dormientes, & sani quàm ægroti, & quòd nihil sub sensus nostros simplex & purum cadat: quoniam omnia confusa sunt & ad aliquid dicuntur.

V. tibus,) Sextus dicit ἐπαναβεβηκότας, ξέοντας & ἀποβεβηκότας. de quarum vocū significationibus tractatum est suprà.

P. 413. V. videntur) Ὑπόσφαγμα ita definit Gal. Ὑπόσφαγμα δὲ λέγουσιν ὅταν ἀπὸ πληγῆς ῥαγέντων τῶν ἐν τῷ πρώτῳ χιτῶνι ἀγγείων μεταξὺ τοῦ [illegible] τοῦ λευκοῦ καὶ τοῦ ἐκτὸς χιτῶνος αἷμα ὑπέλθῃ, καὶ παραχρῆμα μὲν ἔναιμον ᾖ τὸ χρῶμα τοῦ ὀφθαλμοῦ, ὕστερον δὲ πελιδνόν. Sunt qui putent τοὺς ὑπόσφαγμα ἔχοντας esse quibus Plinius tribuit oculos rubore suffusos. Ego Græcam vocē retinere tutius esse existimaui, præsertim quum illa ruboris in oculis suffusio latius patere videatur. Dixissem tamē melius Qui hyposphagmate laborāt, quàm Qui hyposphagma habēt. Sed hoc quoque sciendum, in hoc quidem loco habere Sexti exemplaria ὑπόσφασμα, sed in alio simili loco qui extat in sexti modi expositione, rectè ὑπόσφαγμα. Vbi ὕφαιμα appellātur quæ hic αἱμωπά.

Vide

vide eum locum pag. 426. Quinetiam pag. 422. eundem vocem inuenies.

V. tafias) Huc pertinet quod dicit Aristocles, ἀκριβέστερον τῶν ἄλλων ἰδεῖν ἀποψήσαντα τὼ ὀφθαλμώ, ἢ προσιόντα ἐγγύτερον, ἢ ἐπιλαβόντα. Item quod Cicero in Lucullo, Itaque Timagoras Epicureus negat sibi vnquam, quum oculũ torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas. opinionis enim esse mendacium, non oculorum.

P. 419. V. leduntur) Reperio quidem quandã πόλιν κροκοδείλων appellatam, sed nihil vnde hunc locum suæ integritati restituere possim.

P. 422. V. versæ) Cicero in Lucullo, Itaque simul experrecti sumus, visa illa cõtemnimus, neque ita habemus vt ea quæ in foro gessimus. At enim dum videntur, eadem est somnus species eorũ quæ vigilantes videmus. Plurimum interest. Sed id omittamus. illud enim dicimus, non eandem esse vim neque integritatem dormientium & vigilantium, nec mente nec sensu.

P. 423. V. habitib.) Διὰ τὸ μὴ ὁμοίως διακεῖσθαι ἐγρηγορότας καὶ κοιμωμένους, καὶ ὑγιαίνοντας ἢ νοσοῦντας, vt refert Aristocles ex Aenesidemo.

P. 424. V. prius) Sexti verba sunt, καὶ ὅτε εἰς ἐμπίπτουσιν εἰς τὸν διάλληλον τρόπον τό, τι κριτήριον καὶ ἡ ἀπόδειξις. Sciendum est autem, quod attinet ad hoc loquendi genus (cuius frequentissimus erit in sequentibus vsus) id bifariam scribi, interdum τὸν διάλληλον τρόπον, vt hic: interdum τὸν δι' ἀλλήλων τρόπον. sed illo modo frequentius quàm hoc. Apud Diogenem Laërtium tamen legitur ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, non ὁ διάλληλος. Id autẽ συνίσταται, vt ait, ὅταν τὸ ὀφεῖλον τοῦ ζητουμένου πράγματος εἶναι βεβαιωτικὸν, χρείαν ἔχῃ τῆς ἐκ τοῦ ζητουμένου πίστεως. οἷον εἰ τὸ εἶναι πόρους τις βεβαιοῖ διὰ τὸ ἀποῤῥοίας γίνεσθαι, αὐτὸ παραλαμβάνει πρὸς βεβαίωσιν τὸ ἀποῤῥοίας γίνεσθαι. Hunc autem Diogenis locum protuli qualis in vet. cod. extat. quũ in vulg. edi. planè sit mutilus. Sed quid significare velit Sextus hoc loquendi genere, ipsi loci in quibus eo vtitur, satis superque indicant: & ipsemet cap. 15 huius primi libri explicat. Vnum ergo superest, vt videamus quomodo aptã ei possimus apud Latinos appellationem inuenire. Certè quod vulgò dici solet, incertũ per incertius, huic simile est, nisi quòd quum dicitur ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, intelligitur mutua quædam incertitudo, & mutua probatione indigens. id est, quũ dicunt philosophi nos incidere εἰς τὸν δι' ἀλλήλων τρόπον siue διάλληλον, intelligunt nos incidere in quandam mutuam probãdi necessitatem. id est, probandi prius id cuius alioqui adminiculo vti volebamus ad probandum aliud. Pag. 431. & 432. & alibi διάλληλον alternatorium verti, non quòd planè mihi satisfaceret mea hæc interpretatio, sed quòd aptior nulla mihi occurreret. Quòd si quis obiiciat, vocem illã alternatorium, nisi quid aliud addatur, id quod significare ea volo, non comprehendere: ille ipsi Sexto vtenti nomine διάλληλος obiicere idem eadẽ ratione possit. Quis enim διάλληλος τρόπος ad varia posse accommodari non videt? Respondeo igitur, vt quum dicitur διάλληλος τρόπος, subauditur genitiuus ἀπορίας, aut aliquis ei similis, ita quum verto alternatorium modum, subaudire me genitiuum Latinũ dubitationis. vt sit διάλληλος τρόπος, alternatorius dubitationis modus. vel, alternãs, si quis nomen alternatorius refugit. Tunc enim verè alternat dubitatio, quum vnũ dubium ad alterius dubij probationem affertur. Fortasse etiam εἰς τὸν διάλληλον ἀπορίας ἐμπίπτομεν τρόπον non malè interpretaremur, In dubitationis vicissitudinẽ incidimus. Porrò hunc genitiuum ἀπορίας subaudiendũ censui potius quàm alium, quia reperio alicubi apud hunc nostrum Sextum, κἀνταῦθα ὁ διάλληλος τρόπος τῆς ἀπορίας ἀνατρέπει τὴν ὑπόστασιν τοῦ λόγου. Sed hoc quoque annotandum est, non solùm διάλληλον τρόπον, sed & λόγον appellari: vt libri 2. cap. 8. ἀληθῆ δὲ τὴν ἀπόδειξιν εἶναι λέγων, εἰς τὸν διάλληλόν τε ἐμπίπτει λόγον, καὶ ἀπόδειξιν αἰτηθήσεται ἀληθῆ αὐτὴν ὑπάρχειν, καὶ ἐκείνης ἄλλην, καὶ μέχρις ἀπείρου. Nec hoc silentio prætereundum est, cum alicubi dicere ὁ διάλληλος εἰσάγεται τρόπος, alicubi verò εἰς τὸν διάλληλον ἐκβάλλειν seu ἐμβάλλειν τρόπον. alibi autem (& quidem frequentissimè) ἐκπίπτειν seu ἐμπίπτειν εἰς τὸν διάλληλον τρόπον. Iam verò si quis roget vtra potius sequenda sit scriptura ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, an ὁ διάλληλος, ego id ἀδιάφορον esse, &, si compositione vti velimus, τῷ διάλληλος, sin ea vti recusemus, τῷ δι' ἀλλήλων vtendum esse respondebo. Sed τρόπον potius quàm λόγον appellandum censeo.

V. cus) Quod dicit ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἀρχῆς (id est, ad verbum, ab altero principio) interpretor, ab altero ingressu, vt melius intelligatur. Fortasse autem possim etiam vertere, ab alterutro ingressu. id est, ab alterutra parte qua ingredimur.

V. media) Cic. in Lucullo, Vidésne nauem illã

stare

stare nobis videtur: at iis qui in naui sunt, moueri hæc villa. Huc autē pertinet & quod dicit Aristocles, ἄλλαι μὲν γάρ εἰσιν αἰσθήσεις ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν. Cicero quoque in Lucullo scribit, Itaque & lumen mutari sæpe volumus, & situs earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahimus aut diducimus.

V. splendidum) Hic locus valde cōfert ad intelligendū Ciceronē ita in Lucullo scribentē, Neque verò hoc loco expectādum est dū de remo inflexo aut de collo columbæ respōdeam. Idē ibid. aliquot paginis pòst, Tu autē te negas infracto remo neque columbæ collo cōmoueri. Primùm, cur? Nam & in remo sentio non esse id quod videatur, & in columba plures videri colores, nec esse plus vno. Aristocles, ἔτι δὲ τὸ ἐρετμὸν τὸ ἐν τῷ ὕδατι, καὶ τὴν περιστερὰν γραφῶν, καὶ μυρίων ἄλλων ἡ αἴσθησίς ἐστιν ἡ ἀπατῶσα. διὸ καὶ μεμφόμεθα πάντες ἐπὶ τῶν τοιούτων οὐ τὸν νοῦν ἡμῶν, ἀλλὰ τὴν φαντασίαν. Quod autē attinet ad diuersitatē illā, inflexo remo, & infracto remo, vtranque certè lectionē suo in loco retinendā censeo. Nā licet Sextus κώπην κεκλασμένην, i. remū infractum, dicat, nō inflexū, scimus tamē pro phātasiæ diuersitate, modò infractum, modò inflexum duntaxat apparere posse.

V. rectus) De lyncurio & coralio hoc idem testatur & Ouidius. De coralio Metamorph. 4.

Nunc quoque coraliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant vt ab aëre: quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

De lyncurio & coralio eiusdem operis lib. 15.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E quibus (vt memorant) quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.
Sic & coralium quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Plinius, Baccæ eius candidæ sub aqua ac molles, exemptæ cōfestim durantur & rubescunt, quasi corna satiua specie atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si viuat. Itaque, etc. Idē de lyncurio, Lyncū humor ita redditus vbi gignuntur, glaciatur arescitve in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgētes, lyncuriū vocatas.

V. in tuba) Cicero dicit positiones, nō situs: sed situs in datiuo vix dici posse existimo: at pagina sequenti pro In aliqua positione, reponere potes, In aliquo situ. item Secundum hunc situm, pro Secundum hanc positionem. Cicero, Et situs earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahimus aut diducimus. Cæterū ad id quod Sextus dicit de imagine, videri queat respexisse [illegible] des, quum scribit, ἔτι δὲ τὸ ἐρετ[illegible]

δᾶτι, καὶ τὴν γραφῶν καὶ μυρίων ἄλλων ἡ αἴσθησίς ἐστιν ἡ ἀπατῶσα.

P. 425. V. autem) Sexti verba sunt, εἰσοχὰς καὶ ἐξοχὰς ἔχειν δοκεῖ. Ausim autē propemodū dicere εἰσοχὰς & ἐξοχὰς ab illo vocari in imagine, quas Cicero in pictura vmbras & eminentiā appellauerit, ita scribens in Lucullo, Quàm multa vident pictores in vmbris & in eminentiā quæ nos nō videmus. Idē Sextus lib. 1. cap. 7. hæc duo nomina τυπώσει accōmodat, ἀπὸ τῆς σφραγῖδος ea mutuatus. hæc enim sunt eius verba, ἐπεὶ οὖν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ ἡγεμονικὸν πνεῦμά ἐστιν, ἢ λεπτομερέστερόν τι πνεύματος, ὥς φασιν, οὐ δυνήσεταί τις τύπωσιν ἐπινοεῖν ἐν αὐτῷ, οὔτε κατ᾽ εἰσοχὴν καὶ ἐξοχὴν, ὡς ἐπὶ τῶν σφραγίδων ὁρῶμεν, οὔτε, &c. Vbi nihil aliud esse videtur εἰσοχὴ quàm depressio & quasi incauatio eius quod impressum est, ἐξοχὴ contrà, prominentia, vel potius, cum Cicerone, eminentia eius quod impressum est. Ego tamē ibi εἰσοχὴν depressionē in profundū verti. sed in concauū aptius dixissem quàm in profundum. vel, depressionē & quasi incauationem. Imò ne hæc quidem mihi planè satisfaciunt. sed nihil melius nunc in mentem venit.

P. 426. V. lida) Rectius, Hyposphagmate autem laborantibus. Quid verò sit hyposphagma, expositum fuit ex Galeno paulo antè.

V. quia) Ad hoc quod dicit Sextus, eandem vocem apparere aliam in patentibus locis & planis, aliam in angustis & tortuosis, pertinet quod Cicero lib. De natura Deorum 2. scribit, Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu, & ex tortuosis locis aut inclusis referuntur ampliores (soni.)

V. nos) Ita Sextus, τὰ γὰρ ὦτα σκολιόπορά ἐστι. Cicero ibidem, de auditu loquens, Flexuosum iter habet: ne quid intrare possit, si simplex & directum pateret. Subiungit Sextus, καὶ στενόπορα, καὶ ἀτμώδεσιν ἀποφοραῖς, ἃς δὴ ἀπὸ τῶν περὶ τὴν κεφαλὴν φέρεσθαι λέγουσι τόπων, πεπολωμένα. Sunt autem hæ ἀτμώδεις ἀποφοραὶ, quas aurium sordes idem Cicero nominat, subiungens & ipse, Prouisum etiam vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium tanquam in visco inhæresceret. Porrò quod attinet ad vocem ἀποφορὰ quid significet, dubium est quin idem quod ἀναφορὰ exhalationem, ἀποφορὰν autem scimus interdum exhalationem, [illegible] interdum odorem verti. sed quia ἀτμὸς quoque [illegible] ἀποφορὰ si est exhalatio, malo fortasse [illegible] odores interpretari. sed ne hæc quidem interpretatio mihi planè satisfacit.

V. tionibus) Sexti verba sunt, ἕβδομον τρόπον ἐλέγομεν εἶναι τὸν παρὰ τὰς ποσότητας καὶ σκευασίας τῶν ὑποκειμένων. deinde se explicans subiungit, σκευασίας λέγοντες κοινῶς τὰς συνθέσεις. Quū autē vocē σκευασίας hac in significatione accipiat, satius fortasse fuisset eā retinere quàm constitutiones vertere. Quod si vertenda necessariò fuisset ad verbū, melius eam interpretaturus fuisse mihi videor structuras aut cōstructiones, quàm constitutiones. A σκευάζω certè deductum σκευασία constat, ipsum autem σκευάζω à σκεῦος. Cæterū quod ad παρὰ attinet (quod hîc annotatū, non huic tantùm loco sed & præcedētibus & sequentibus seruiet) non dubiū est quin aliter quàm per præpositionē Ex verti queat: videlicet per Propter, vel per Pro. vt dicamus, Pro quantitatibus .i. Prout sunt quantitates. Itē reddi potest, Pro diuersitate quantitatum.

P. 431. V. qui) Hic dicit, ὁ δὲ ἀπὸ τοῦ εἰς ἄπειρον ἐκπτώσεως, &c. At paulo pòst, definiens τὸν ἐξ ὑποθέσεως τρόπον, dicit, ὅταν εἰς ἄπειρον ἐκβαλλόμενοι οἱ δογματικοὶ, &c. Itidē verò dixerat initio secundū modum esse τὸν εἰς ἄπειρον ἐκβάλλοντα. Vnde colligimus eum τὴν εἰς ἄπειρον ἔκπτωσιν appellare τὴν εἰς ἄπειρον ἐκβολήν, accipiendo nomen hoc paßiuè. vt ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβαλλόμενος dicatur εἰς ἄπειρον ἐκπίπτειν. Sic alibi εἰς τὸν διάλληλον τρόπον ἐκπίπτειν legimus apud eum. Sed ne hoc quidem prætermittendum est, interdum εἰς ἄπειρον simpliciter, interdum verò εἰς ἄπειρον τρόπον ab eo poni. vt cap. 16. εἰ μὲν γὰρ τὸ ἐξ οὗ τι καταλαμβάνεται, ἀεὶ ἐξ ἑτέρου καταλαμβάνεσθαι δεήσει, εἰς τὸν διάλληλον ἢ τὸν ἄπειρον ἐμβάλλουσι τρόπον. Quo in loco alia quoque duo obseruanda sunt, videlicet ἐμβάλλουσι eodem sensu quo alibi ἐκβάλλουσι. Item, posse nos aliquando indifferenter duos illos τρόπους, nimirum τὸν διάλληλον & τὸν ἄπειρον, vsurpare. Porrò in illo proximè citato Sexti loco præpositionem εἰς ante ἄπειρον omissam esse suspicor, vt videlicet legatur ἢ τὸν εἰς ἄπειρον. Dixit enim initio, τὸν εἰς ἄπειρον ἐκβάλλοντα. & ita nun vocabitur ὁ ἄπειρος τρόπος (sicut dicitur ὁ διάλληλος) sed ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβάλλων. Sic autem & apud Diog. Laërtium habetur, ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβάλλων, nō ἐμβάλλων. Vide infrà, pag. 550.

V. quid) Dicit Sextus simpliciter, ὁ δὲ ἀπὸ τοῦ πρός τι. Gellius de huius sectæ philosophis loquens, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominum mouent, τῶν πρός τι esse dicunt. Id verbum significat nihil esse quicquam quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam & naturam: sed omnia prorsum ad aliquid referri, taliaque videri qualis sit eorum species dum videntur, qualiaque apud sensus nostros, quò peruenerunt, creantur: non apud sese, vnde profecta sunt. Aristocles, οὐδετέρως τε ἡμᾶς ἁπλῶς τὸ ἀκραιφνὲς ἀντιλαμβάνεσθαι· πάντα δ' εἶναι συγκεχυμένα καὶ πρός τι λεγόμενα. Idem Gellius dixerat paulo antè, Indicia enim rei cuiusque & synceras proprietates negant posse nosci & percipi.

V. volunt) De voce hac diallelus dictum paulo antè fuit.

P. 433. V. gmaticis,) Sequutus quidē sum Græcū meum exemplar, in quo Ονησίδημος scriptū est, sed hanc scripturam refellunt alij eiusdē exemplaru loci, in quibus Αἰνησίδημος legitur. quæ lectio Aristoclis, Diogenis Laërtij, aliorumque testimonio cōprobatur. Cæterùm præter huius Aenesidemi libros, quos ὑποτυπώσεις εἰς τὰ Πυῤῥώνεια & Πυῤῥωνείους λόγους à Laërtio appellari videmus, ab Aristocle autē simpliciter ὑποτυπώσεις, etiam eius στοιχειώσεις ab eodē Aristocle memorantur. qui & hæc de eo scribit, ἐχθὲς καὶ πρώην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ κατ' Αἴγυπτον Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον. Porrò sciendum est pag. quoque 441. Onesidemum pro Aenesidemo legi.

P. 434. V. dum) Cicero οὐδὲν μᾶλλον vertit Nihilo magis, ita scribēs in Lucullo, Nō eorum qui clamēs nihilo magis vera illa esse quàm falsa. Gellius libri 11. capite 5. Omniumque rerum fidem veritatemque mistis cōfusisque signis veri atque falsi ita incomprehensibilem videri aiūt, vt quisquis homo est non præceps, neque iudicij sui prodigus, his vti verbis debeat, quibus auctorē philosophiæ istius Pyrrhonem vsum esse tradunt, οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε, ἢ ἐκείνως, ἢ οὐδετέρως. Aristocles ex Timone, ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους δεῖν εἶναι, περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας ὅτι οὐ μᾶλλον ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ καὶ ἔστι καὶ οὐκ ἔστιν, ἢ οὔτ' οὐκ ἔστιν.

P. 435. V. ta) ἀῤῥεψία est propriè quū neutram in partem vergimus seu inclinamus. Nā ῥέπω est vergo. Cicero ea quæ Zeno ὅλως ἀῤῥεπῆ vocabat, videtur interpretari voluisse ea in quibus nihil est omnino momenti.

V. DE) Aristocles ἀφασίαν ponere ἀντὶ τῆς ἐποχῆς videtur, quū ex Timone refert τοῖς ἀδοξάστοις καὶ ἀκλινέσι καὶ ἀκραδάντοις περιέσεσθαι πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δ' ἀταραξίαν.

P.436.V.à quib.) Sexti verba sunt, τοῖς δὲ κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς καὶ ἀναγκαστικῶς ἄγουσιν ὡς συγκατάθεσιν εἴκομεν. Potes autē pro Patimur (si videatur) reponere Afficimur, vt ex iis quæ de verbi πάσχειν interpretatione antea diximus, apparet. At si verbū verbo reddens verterē, Mouentibus nos paßibiliter, & obscurè & barbarè loquerer. Sed fortaße verborū Græcorū vim aßequeretur simulq́; Latinitatē retineret qui ita verteret, Iis enim quæ sensus nostros ita mouent vt afficiantur. Nam & Gellius sensus moueri dicit, sicut Cicero pelli. Ita enim ille in loco paulò antè citato, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominū mouēt, τῶν πρός τι esse dicūt, id est, πάντα δὲ πάντα ὅσα τὰς ἀνθρωπίνας αἰσθήσεις κινεῖ. vel, ὅσα τοὺς ἀνθρώπους αἰσθητικῶς κινεῖ. Hic autem significantius dicitur τοῖς κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς, id est, τοῖς κινοῦσι τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν παθητικῶς.

V. De vocib.) Τάχα reddidi fortaße, de quo dictum est in principio harum annotat.

V. DE hac) Ὁρίζω vertere poßumus definio, ad verbum, modò accipiamus definio in ea significatione qua M. Tullius definitum & certum, itē definitum & constitutum copulat.

V. ἈΟΡΙΣΤ.) Galenus initio libelli qui περὶ ἀρίστης διδασκαλίας inscribitur, idē valere censet ἐποχὴν & ἀοριστίαν. ita enim scribit, ἐποχὴν καλοῦντες τὴν ὡς ἂν εἴποι τις ἀοριστίαν, ὅπερ ἐστὶ περὶ μηδενὸς πράγματος ὁρίζεσθαι, μηδὲ ἀποφήνασθαι βεβαίως.

P.437.V. QVVM) Si quis malit interpretari, Omni rationi ratio æqualis opponitur (vel potius, opposita est) ei non magnopere repugnabo. Sed ferri etiam altera interpretatio potest, dummodo oratio intelligatur quæ rationem continet.

P.438.V. nō.) Deceptus exemplaris scriptura, ita verti, pro Quū eas dicamus à seipsis colli poße. Sic & suprà, ὁ δὲ σκεπτικὸς τὰς φωνὰς αὐτοῦ προφέρει ὡς δυναμένας ὑφ' ἑαυτοῦ περιγράφεσθαι.

V. gantia) Celeberrimū est hoc exemplum, quo & alibi vtitur, ita scribens, δύνανται δὲ οἱ λόγοι καὶ καθάπερ τὰ καθαρτικὰ φάρμακα ταῖς ἐν τῷ σώματι ὑποκειμέναις ὕλαις ἑαυτὰ συνεξάγει, οὕτω καὶ αὐτοὶ τοῖς ἄλλοις λόγοις τοῖς ἀποδεικτικοῖς εἶναι λεγομένοις καὶ ἑαυτοὺς συμπεριγράφειν. Ab Aristocle quoque affertur, sed id minimè probāte, imò aptum esse negāte. ἐκεῖνο μὲν δὴ καὶ παντάπασιν ἐστὶν ἠλίθιον. ἐπειδὰν λέγωσιν ὅτι καθάπερ τὰ καθαρτικὰ φάρμακα συνεκκρίνει μετὰ τῶν περιττωμάτων καὶ ἑαυτά, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ πάντα ἀξιῶν εἶναι λόγος ἄδηλος, μετὰ τῶν ἄλλων ἀναιρεῖ καὶ ἑαυτόν. εἰ δὲ αὐτὸς αὑτὸν ἐλέγχοι, ληροῖεν ἂν οἱ χρώμενοι τούτῳ. Addit præterea, nullā similitudinē esse medicamēto purganti cū eorum oratione. Illud enim excerni, nec in corpore manere, at orationē in animo hærere absque vlla immutatione, & cū perpetua persuasione debere. Sed non defuerīs Scepticus quod Aristocli respondeant. Plutarchum certè eodē respexiße videmus, quū loquens de Socrate, qui se nihil scire profitebatur, de omnibus rebus dubitabat, & nullam iis de quibus differendo affirmationē adhibebat, dicit habere solū ἐλεγκτικὸν λόγον tanquā καθαρτικὸν φάρμακον. Vbi animaduerte ἐλεγκτικὸν λόγον optimè cōuenire cū eo quod dicit Aristocl. εἰ δὲ αὐτὸς αὑτὸν ἐλέγχοι. sub. ὁ λόγος.

V. ferenter) Verba Sexti sunt, οὔτε γὰρ πρέπει τῷ σκεπτικῷ φωνομαχεῖν. sed pro φωνομαχεῖν mendosè legitur in exemplaribus φαινομαχεῖν. Sic & suprà, πάλιν δὲ ἐνταῦθα οὐ φωνομαχοῦμεν, pro οὐ φωνομαχοῦμεν.

V. vocibus) Duplex est lectio hoc loco, vna, μηδὲ ταύτας τὰς φωνὰς ἁπλῶς σημαίνειν λέγεσθαι, ἀλλὰ πρός τι, &c. Altera quæ habet εἰλικρινῶς pro ἁπλῶς. Vtra autem alteri præferenda sit haud facilè dixerim, quū Aristoclēs eadē de re loquens ἁπλοῦν cum ἀκραιφνὲς (quod synonymū est τῷ εἰλικρινὲς) copulet. Ita enim scribit, οὐδὲν γάρ τι ἡμᾶς ἁπλοῦν καὶ ἀκραιφνὲς ἀντιλαμβάνεσθαι. πάντα δὲ εἶναι συγκεχυμένα καὶ πρός τι λεγόμενα. At Gellius idem tractans, ad εἰλικρινὲς seu ἀκραιφνὲς dūtaxat respexit, vbi ait de Scepticis, Indicia enim rei cuiusque & synceras proprietates negant poße nosci & percipi. Et aliquanto pòst, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominum mouent, τῶν πρός τι esse dicunt. Id verbum significat nihil esse quicquam quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam & naturam, sed omnia prorsum ad aliquid referri, taliaque, &c. Qui igitur ἁπλῶς legere volet in hoc Sexti loco, aduerbium simpliciter retineat: at qui εἰλικρινῶς (vt ego malim) leget, pro simpliciter, syncerè in mea interpretatione reponat.

V. Quum) Genitiuus epoches malè in hunc locū irrepsit, quū ante vel post accusatiuum modos poni debeat. Sed quis genitiuus accusatiuo mentem iungetur? Nimirū genitiuus σκέψεως, ex sequētibus petitus. vt apparet etiā ex cap. 2. huius lib. Vbi vide & quod annotaui de nomine ἔννοια. Nam hîc quoque ἔννοιαν mallem interpretatus esse notionem, sicut & alibi verti.

P.439.V.quemad) Reponendum esse Aenesidemus admonuimus antea.

V. parere:) Cic. in Lucullo, Nam quum dicunt hoc se vnum tollere, vt quicquā possit ita videri vt non eodē modo falsum etiam possit ita videri. Quod Sextus τὰ ἐναντία περὶ τοῦ αὐτοῦ φαίνεσθαι. Idem de Arcesila, Incubuit autē in eas disputationes, vt doceret nullum tale esse visum à vero, vt non eiusdem modi etiā à falso possit esse. Gellius, Omniumque rerum fidem veritatemque mistis confusisque signis veri atque falsi ita incomprehensibilem videri aiunt vt quisquis, &c.

P.440.V. PROTAG.) Idem testatur & Aristocles, & Diog. Laërtius.

V. sunt) Sexti verba sunt, καὶ διὰ τοῦτο τίθησι τὰ φαινόμενα ἑκάστῳ μόνα. Pro quo Aristocles dicit, Protagoræ itidē opinionem referens, ὁποῖα γὰρ ἑκάστῳ φαίνεται τὰ πράγματα, τοιαῦτα καὶ εἶναι. Cicero autem, Aliud iudicium Protagoræ est, qui putet id cuique verū esse quod cuique videatur: aliud Cyrenaicorum qui, &c.

P. 441.V.Quo) Hac de re lege Gellium lib. 11. cap. 5. in fine.

V. rum) Hic quoque repono Aenesidemum.

P.442.V.ne dic.) Timonis versus ob nimiam depravationem omittere coacti fuimus in nostra interpretatione: nunc autem paulo quidem emendatiores eos habemus, tales tamē qui multum adhuc negotij facessere doctis aliquī lectoribus possint. Sed quales quales sunt, eos hic proferam. Dicit igitur Sextus, ὁ γὰρ περὶ ἑνὸς δογματίζων, ἢ προκρίνων φαντασίαν φαντασίας ὅλως κατὰ πίστιν ἢ ἀπιστίαν περί τινος τῶν ἀδήλων, τοῦ δογματικοῦ γίνεται χαρακτῆρος. ὡς δηλοῖ καὶ ὁ Τίμων διὰ τῶν περὶ Ξενοφάνους αὐτῷ λεγομένων. ἐν πολλοῖς δὲ αὐτὸν ἐπαινέσας τὸν Ξενοφάνην, ὡς καὶ τοὺς σίλλους αὐτῷ ἀναθεῖναι, ἐποίησεν αὐτὸν ὀδυρόμενον, καὶ λέγοντα,

Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
Ἀμφότερα βλεπτάς, δολίῃ δ' ὁδῷ ἐξηπατήθην,
Πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐὼν, καὶ ἀπενθήριστος ἁπάσης
Σκεπτοσύνης. ὅππῃ γὰρ ἐμὸν νόον εἰρύσαιμι,
Εἰς ἓν ταὐτό τε πᾶν ἀνελύετο. πᾶν δὲ ὂν αἰεὶ
Πάντῃ ἀνελκόμενον μίαν εἰς φύσιν ἵσταθ' ὁμοίην.

Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ ὑπάτυφον αὐτὸν λέγει, καὶ οὐ τέλειον ἄτυφον. δι' ὧν φησὶ,

Ξεινοφάνης ὑπάτυφος ὁ μηρεπάτης ἐπισκώπτης
Κατὸν ἀπάνθρωπον, θεὸν ἐπλάσατ' ἶσον ἁπάντῃ
Ἀσκηθῆ νοερώτερον ἠὲ νόημα.

Ὑπάτυφον μὲν εἶπε τὸν κατά τι ἄτυφον, ὁμηρεπάτην δὲ ἐπισκώπτην, ἐπεὶ τὴν παρ' Ὁμήρῳ ἀπάτην διέσκωψε. Hactenus Sextus, cuius exēplar cum ob alios plerosque locos, tum maximè ob hunc, nancisci emendatius cupio: Hæc enim adeò mēdosa proferre me puduit. Quod autem ad ὑπάτυφον attinet, sciendum est citari & à Diogene Laërtio primum illum versum Ξενοφ. &c. eumque ita legi apud illum,

Ξεινοφάνην ὑπάτυφον ὁμηρεπάτην ἐπικόπτην.

Sed nihil iuuare nos potest Diogenis exemplar, nisi ad emendandum Ξενοφάνης, & reponendū Ξεινοφάνης (sicut dicitur Ξεινοφόων.) reliqua enim verba melius leguntur apud Sextum quàm apud illum. Nā ὑπάτυφον non ὑπέτυφον legi debere ostendit ea expositio quam Sextus subiungit, τὸν κατά τι ἄτυφον. Item legendum esse ἐπισκώπτην non solùm ex Sexti explicatione patet, sed & ex iis quæ ab ipso Diogene paulo pòst scribūtur, γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι, καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπισκόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. Nam hic fateor quidem in vulg. edit. haberi ἐπικόπτων, sed in omnibus quæ consului vet. exempl. vidi scriptum ἐπισκώπτων. Eundemque errorem in aliis quoque Diogenis obseruaui locis. Vtrùm autem melius legantur apud Diogenem per accusatiuum illa nomina quàm apud Sextum per nominatiuū, vix pronunciare ausim. Cæterùm quod ad ἄτυφον attinet, sciendum est etiam Stoicū sapientem apud Diogenem in Zenone eo epitheto insigniri, vbi scribit, φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφὸν, διὰ τὸ ἀνέμπτωτον εἶναι. At Timon varijs alioqui in locis philosophis τῦφον exprobrās, solum Pyrrhonem hoc epitheto ornat in his qui apud Aristoclem habentur versibus,

Ἀλλ' οἷον τὸν ἄτυφον ἐγὼ ἴδον, ἢ ἀδάμαστον
Πᾶσιν ὅσοις δαμνᾶται ἅμ' ἀρρήτοις τε φατοῖς τε
Λαῶν ἔθνεα κοῦφα, βαρυνόμεν' ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἐκ παθέων, δόξης τε καὶ εἰκαίης νομοθήκης.

Dico autem solum Pyrrhonem hoc epitheto cohonestari à Timone, legens, ἀλλ' οἷον pro ἀλλοῖον. Pyrrhonem autem ipsum sibi hunc titulum vendicasse testatur Aristocles, qui tamen contrà eum τῦφον περιβαλέσθαι dicit, ita scribens, αὐτὸς δ' ὕστερον τοῦτον τὸν τῦφον περιβαλόμενος, καὶ καλῶν ἄτυφον ἑαυτὸν, οὐδὲν οὐ γεγράφηκε καταλέλοιπεν. Cæterùm hic τῦφος ab eodē Timone alibi vocatur κενεὴ οἴησις, vt in hoc versu,

Ἄνθρω-

Ἄνθρωποι κενῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.

Alloquitur autē ibi philosophus, sicut & in his, Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,

Τοίων ἐκ τ' ἐρίδων, ἔκ τε στοναχῶν πέπλασθε.

V. num) Vel, Quantum ad id quod dicitur. De hoc autem genere loquendi ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ vide quod annotaui suprà.

V. verisim) Verti πιθανὰς verisimiles. quod reddi etiam potest probabiles, vel (si dici posset) persuasibiles. Sextus tamen etiā pressius huius nominis significationem, quā sequi vult, pag. sequēte vrget. Quod autem ad participium διεξοδευμένας attinet, sine περιωδευμένας (videtur enim vnū pro altero ponere) quomodo reddi Latinè possit apto satis vocabulo, perspicere nequeo. Nam paulo pòst quidem τῷ διεξοδεύσαντι τὰ περὶ αὐτὸ, verti, Illi qui percurrerit quæ sunt circa ipsum, sed διεξοδευμένας itidem interpretari percursas non satis commodum visum est. Imò & pro percurrerit, libēter alio vsus verbo fuissem: ac fortasse perlustraueris aptius fuisset. Quòd si cui placuerit itidē διεξοδευμένας perlustratas interpretari, per me licet. Sed hoc sciendum est, huiusmodi perlustrationem ad mentem potius quàm ad oculos referri. Sic autem & apud Latinos Mente peragrare legimus, pro eo ferè quod nostrates dicunt discourir. Certè διεξοδεύειν illi Gallico discourir planè respondet.

V. phantasiam) Hîc quoque hæreo. nā ἀπερισπάστους possum quidē interpretari indistractas, sicut & in fine huius pag. περισπωμένης reddidi distrahebatur, sed mihi non satisfacit huiusmodi interpretatio. Veruntamē hæc retineri debet, donec melior aliquam in mentem venerit.

Ibid.) Post ἀπερίσπαστος asterisci notam ponēdam censui, quòd hunc locum planè mutilū esse suspicer. Quomodo enim hæc phantasia Herculis ἀπερίσπαστος dicetur, sicius mens περισπᾶται (vt Sexti verbis vtar) ἀπὸ τῆς συγκαταθέσεως? Talis est autem mea de hoc loco coniectura, scripsisse sextum phātasiam illam de fune, esse πιθανὴν καὶ περιωδευμένην καὶ ἀπερίσπαστον: deinde exemplū proponere voluisse alterius phantasiæ, quæ esset quidem & ipsa πιθανὴ καὶ περιωδευμένη, sed non item ἀπερίσπαστος.

P. 443. V. Quanq.) Verbum Græcum πείθεσθαι (quod parere significat) retinui, quia ipse paulo pòst suo modo id explicat.

V. pugnare,) Sextus dicit, ἀνὰ σφοδρᾶς προσκλίσεως ἢ προσπαθείας. Fortasse autem malit quispiā προσπάθειαν affectum erga aliquid hærentem aut animo infixum interpretari, quòd προσπάσχω sit Hæreo siue Adhæreo alicui rei magno affectu, & quasi πάσχω τι πρὸς αὐτοῖς. eo sensu quo dicunt τὸ μὲν ἐρῶσιν πάσχειν ὑπὸ τῶν ἐρωμένης, quū eam intuetur, aut eius recordatur. Cicero certè Græcū verbum retinuit, quòd (vt opinor) Latino vocabulo ad exprimendam Græci vocabuli vim idoneo destitueretur. Ita enim scribit ad Att. lib. I, Ego fortasse τυφλώττω, nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα.

V. de) Lege, Sumptuosè ipsum viuere vult. Pro vult reponi etiam potest iubet.

P. 456. V. tellect.) Ante hæc verba, Aliquibus autem non, deesse quædā videntur. Cæterùm hoc, Id de quo quæritur arripiunt, est quod dicit Sextus τὸ ζητούμενον συναρπάζουσι. Hoc autē quid valeat, cum ex aliis plerisque locis, in quibus vtitur, manifestum est, tum ex sequentis pag. vigentibus. Nam & ibi verti, Id de quo quæritur arripient, pro eo quod Sextus habet, τὸ ζητούμενον συναρπάζουσι. nisi fortè legendum est συναρπάσουσι. Sic Lucianus in Ione tragœdo, Αὐτό σου τὸ ζητούμενον ὦ Τιμόκρατες συναρπάζεις. Quod malè vertit interpres, Tu quæstionē discerpis. Dicitur enim τὸ ζητούμενον συναρπάζειν, qui arripit & quasi per vim aufert alicui quod concedere non vult, & eo tanquam confesso vtitur, de quo alioqui quæstio est.

P. 457. V. in ipso) Repone & per depr. pro, nec per depr. de quo hac interpretatione vide annot. in pag. 425.

P. 458. V. dam) Post Habendam esse, pluscula verba deesse suspicor.

V. bat,) Hæc verba, vt dicat non omnes phantasias fidem mereri, non bene cum præcedentibus cohærent, nec dubium est quin depravatus sit hic locus. Nam ita legitur in Græco exemplari, καὶ περιτρεπόμενος ὁ λόγος εἰς τὸ μὴ εἶναι πάσας τὰς φαντασίας, ὥστε καὶ κατ' αὐτάς, &c. Vbi manifestum est deesse adiectiuum quod iungatur cum substātiuo φαντασίας, videlicet πιστὰς, aut aliud huiusmodi. Porrò quod attinet ad hoc loquendi genus περιτρέπεται ὁ λόγος, sciendum est dici περιτρέπειν τὸν λόγον quando aduersarij dictum in ipsum retorquemus, & suo veluti gladio eum iugulamus. Dicitur etiam ἐκ περιτροπῆς τοῦ λόγου, item ἐκ περιτροπῆς. Vt quum ita scribit, Ἤτοι ἀποδεικτικοί εἰσιν οἱ περὶ τῆς ἀποδείξεως ἠρωτημένοι λόγοι, ἢ οὐκ ἀποδεικτικοί. Καὶ εἰ μὲν οὐκ ἀποδεικτικοί, οὐ δύνανται δεικνύναι ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις. εἰ δ' ἀποδεικτικοί εἰσιν, αὐτοὶ οὗτοι τὴν ὑπόστασιν τῆς ἀποδεί-

ξεως ἐκ περιτροπῆς εἰσάγουσιν. Alioqui περιτρέπεσθαι est euerti. vnde συμπεριτρέπεσθαι, simul euerti. vt quum dicit, διὰ τούτων γὰρ ἡ τοῦ αἰτίου ὑπόστασις, ὡς τὸ πάχον συμπεριτρέπεται, μὴ ἔχον ὑπὸ ὅτου πάθη. Sic & actiuum συμπεριτρέπειν. vt οὐ μόνον τῶν ἄλλων ἕκαστον ἀναιρεῖ, ἀλλὰ καὶ ἑαυτὴν ἐκείνοις συμπεριτρέπει, perinde ac si dixisset, συναναιρεῖ.

P.477.V.in illos) Si est demõstratio, est demonstratio: si non est demonstratio, est demonstratio. Atqui aut est demonstratio, aut nõ est demonstratio. Est igitur demonstratio. Ita debet intelligi (meo quidẽ iudicio) hæc argumentatio, si per demonstrationem probatis non esse demonstrationẽ, certè est demonstratio. nam vosipsi ea vtimini. At si non vtimini demonstratione ad id probandum, quicquid alioqui affertis ad nostram demonstrationem labefactandã & euertendam, nullius momenti est, eaque nihilominus semper illabefacta manet. Itaque, siue ratiocinatio qua vtimini, sit demonstratio, siue non, hoc manet, esse demonstrationem.

V.purgatiua) Latinius, purgantia medicamenta quàm purgatiua.

V.& hæc) Gellius in fine cap.5. lib.11. Academici quidem ipsum illud Nihil posse comprehendi, quasi comprehendũt, & Nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonij, ne id quidem vllo pacto videri verũ dicunt, quòd nihil esse verum videtur.

P.502.V.neque) Plato in Timæo, Ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε, τί τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μέν, ὂν δὲ οὐδέποτε. Id est, Cicerone interprete, Quid est quod semper sit, neque vllũ habet ortum? & quod gignatur, nec vnquam sit? Quem sequendo, vertendum hic esset, Corpora quæ gignuntur quidem, nunquam autem sunt.

P.507.V.quod) ἀποκληρωτικὸν vix queat aliter quàm periphrasi longiuscula exponi. ἀποκληροῦν enim est attribuere aliquid alicui pro potestate & velut assignare, propriè autẽ aliquid quod forte obtigerit. Hinc fit ἀποκλήρωσις & ἀποκληρωτικός. Vocat igitur ἀποκληρωτικὸν Sextus Quod nobis dicentibus credi volumus tanquam pro nostro iure, nullam rationem afferentibus. siue, Quod locũ habere & recipi quasi pro iure nostro volumus, nullam alioqui probationẽ adhibentes. Potest quidem ἀποκληρωτικὸν aliud quoque significare (sicut verbum ἀποκληροῦν aliam quoque significationem habet) & ipsemet alibi aliter interpretatus sum. sed hanc interpretationẽ doctissimis quibusdam viris (quot consului) magis placere comperi. quorum indicio libenter acquiesco.

P.514.V.fuisse) Diximus antea quid sit συναρπάζειν τὸ ζητούμενον. hic autem pro συναρπάζειν τὴν τοῦ σώματος ὕπαρξιν τὴν ζητουμένην dicit συναρπάζειν τὴν τοῦ σώματος ὕπαρξιν μὴ διδομένην αὐτόθεν. Notandum est autem aduerbium αὐτόθεν, quod verti Ex seipsa. Potest etiam reddi, Per se. id est, Ita vt non indigeat probatione. Conceduntur autem αὐτόθεν quæ aut ipsa ἐναργείᾳ euincuntur, aut quæ necessariò consequuntur. vt quum dicit, καὶ ἄλλως, εἰ δοθείη ψεῦδος μὲν εἶναι τὸ σῶμα εἶναι τὸν χρόνον, ψεῦδος δὲ καὶ τὸ ὅτι ἀσώματός ἐστιν, αὐτόθεν δοθήσεται ἡ τοῦ χρόνου ἀνυπαρξία. παρὰ γὰρ ταῦτα οὐδὲν εἶναι δύναται ἕτερον. q.d. Ex eo ipso cõcedetur, nec alia probatione opus erit. Plato in Gorgia, τί δαί, συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γιγνώσκεις ὅτι εὐδαιμονεῖ. Vbi significare videtur, Primo aspectu, seu intuitu.

P.524.V.do, ad) Sexti verba sunt, περὶ ὃ μήτε ὁρμὴ μήτε ἀφορμὴ γίνεται. Cicero ὁρμὴν variis modis interpretatur, Appetitionem, vel appetitum animi, Naturalem appetitionem, Animi motum. Quum autem ἀφορμὴν esse sciamus contrariam ὁρμῇ, vt ὁρμὴν animi appetitũ seu appetitionẽ, sic ἀφορμὴν inappetentiã verti posse existimaui. Si tamen longiuscula periphrasi vti licuisset, multo libentius vertissem motũ animi appetitioni contrarium, vel potius auersationem ex naturali animi motu prouenientem. Fortasse autẽ ὁρμὴν & ἀφορμὴν hoc quoque modo non malè reddiderimus, Naturalem animi motum seu impulsum quo aliquid sectamur, & quo aliquid refugimus. Dicu autem sectamur, vt ex opposito ei respondeat refugimus. Galenus, οἱ δὲ ἔμβρυον μὴ εἶναι ζῷον λέγουσι, τρέφεσθαι μὲν καὶ αὔξεσθαι αὐτὸ ὥσπερ τὰ δένδρα, ὁρμὴν δὲ καὶ ἀφορμὴν οὐκ ἔχειν ὥσπερ τὰ ζῷα. Id est, neque naturalem animi vim appetitricẽ, neque vim auersatricem. Quid si etiã ὁρμὴν animi vim impultricem, & ἀφορμὴν contrà animi vim repultricem, interpretemur? Certè, vt ingenuè fatear, per inappetentiam nõ bene significationem Græci vocabuli expressisse mihi videor.

V.Nos) Rectius, Nos ad notionem appellere nõ fecerunt, vel Non adduxerunt. Propriè, Non stiterunt nos.

P.526.V. Quæ sit) Vide Diogenem Laërtium.

P.531.V. punire) Vide Xenophontem de hac Lacedæmoniorum consuetudine.

Hic

Hic finem hisce annotationibus imponere me cogunt quæ passim occurrunt in Græco exemplari menda, quæ etiam in causa fuerunt cur & in præcedētibus multos locos intactos reliquerim, in quos alioqui annotasse aliquid oportuerat. In mea quidem certè interpretatione me cum deprauatione illius exemplaris luctantem, in eruendo ex quibusdam locis sensu multum laborasse fateor: nunc autem, non consulto meliore quopiam codice, aliquid in illos annotare, incerta incertis addere, & iudicium meum non satis prudenter periclitari esset.

IN PYRRHONIS VITAM EX DIOG. LAERTIO EIVSDEM HENR. STEPHANI ANNOTATIONES.

P.543.V.audiuit,) Aristocles, Ὁ μὲν οὖν Πύρρων Ἀναξάρχου τινὸς ἐγένετο μαθητής, ὃς τὸ μὲν πρῶτον ἦν ζωγράφος οὐδ' οὗτος εὐτυχής, ἔπειτα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις ἐντυχών, χρηστὸν μὲν οὐδὲν οὔτε εὗρεν, οὔτε ἔγραψε, κακῶς δὲ πάντας εἶπε καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους. αὐτὸς δ' ὕστερον αὐτὸν τὸν τῦφον περιβαλόμενος, καὶ καλῶν ἄτυφον ἑαυτόν, οὐδὲν ἐν γραφῇ κατέλιπεν. Id est, Pyrrho igitur Anaxarchi cuiusdam discipulus fuit, qui primò quidē pictor erat, non adeò fœlix artifex, deinde verò quum Democriti libros legisset, nihil boni nec excogitauit, nec scripsit, sed omnes Deos & homines maledictis prosequutus est. Ipse verò quum hunc fastum assumpsisset, quamuis vocaret se ἄτυφον (id est à fastu alienū) nihil literarū monumentis mandauit.

P.544.rentiā) Aristocles ex Antigono Carystio, Φιλίστης δὲ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ θυούσης, ἔπειτα τῶν φίλων τινὸς ὑποσχομένου τὰ πρὸς τὴν θυσίαν, καὶ μὴ παρασχομένου, τοῦ μὲν δὴ Πύρρωνος πριαμένου καὶ ἀγανακτοῦντος, ἐπειδήπερ ὁ φίλος ἔλεγεν ὡς οὐ ποιήσαιτο σύμφωνα τοῖς λόγοις, οὐδ' ἄξια τῆς ἀπαθείας, εἰπεῖν αὐτόν, ἐν γοῦν γυναικὶ οὐ δεῖ τὴν ἀπόδειξιν αὐτῆς ποιεῖσθαι. Id est, Quum autē Philista soror eius sacrificaret, & quidam ex amicis ea quibus ad sacrificiū opus erat pollicitus, promissis non stetisset, sed ipse Pyrrho ea emisset, eoque nomine indignaretur, quū amicus diceret eum facere quæ suis dictis minimè consentanea adeoque apathia indigna essent, respondisse eum, Certè quidē erga mulierem eius specimen edi nō debere. Hæc Aristocles. Cæterùm vox ἀπάθεια renocat mihi in memoriam Ciceronianum quendam locum in Lucullo, Zenoni summū bonum est in his rebus neutram in partem moueri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur: Pyrrho autē ea ne sentire quidem sapientē, quæ ἀπάθεια nominatur. Ita enim legi debet, nō (vt in multis habetur editionibus) quæ ἀπαθὴς nominātur. Docet autē nos hic Ciceronis locus melius ἀπάθειαν dicere Aristoclem, quàm Diogenem ἀδιαφορίαν.

V.indiff.) Hoc autē factū ita refert idem Aristocles ex eodē Antigono, Τὸν Πύρρωνα διωκόμενον ὑπὸ κυνὸς ἀναφυγεῖν ἐπί τι δένδρον, σκωπτόμενον δ' ὑπὸ τῶν παρόντων, εἰπεῖν ὡς χαλεπὸν εἴη τὸν ἄνθρωπον ἐκδῦναι. i. Pyrrhonē quū eum canis persequeretur, ad quādam arborē confugisse: quod factū quum illi qui aderant probro verterēt, dixisse, difficile esse hominē exuere.

P.545.V. Quin) Planè peruertit hic interpres versus Homerici sententiam, qui est huiusmodi,

Ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ. τίη ὀλοφύρεαι αὔτως;

Hoc igitur aut simili modo debuerat reddi,

At cade tu quoq; amice. quid hæc suspiria fundis?

Vel, frustra hæc suspiria fundis.

Sunt autē hæc apud Hom. Iliad. Φ. verba Achillis ad Lycaonem, qui illi dixerat,

Μή με κτεῖν', ἐπεὶ οὐχ ὁμογάστριος Ἕκτορός εἰμι.

V. Et medit.) Melius versum Græcum ita interpretaremur,

Nō hominū implicitum turba, sibimetq; loquentē.

P.546.V. Qualem) Peruertit hic quoque poetæ sententiā. nō enim intelligit talē esse mentem qualem Iuppiter mittit in dies, sed talem esse mentem qualem diē Iuppiter mittit. Quare pro accusatiuo plurali dies reponendus fuerit singularis diem: vt sit, In diem mittit, pro Immittit diem. quod tamen nimis durum videtur. Porrò sumpsit Archilochus hanc sententiam ex Homero, ita canente,

album, perinde est ac si dicerem, Equus quem video, vel cerno, est albus. At hoc nunquam Scepticus, quatenus est Scepticus, dixerit. hoc enim esset ab ipsa sceptices professione desciscere, quæ est οὐδενὶ συγκατατίθεσθαι, & περὶ οὐδενὸς διαβεβαιοῦσθαι i. nihil assertione approbare, sed περὶ παντὸς ἐπέχειν. adeò vt quo quidque colore aut quo sono sit, se nescire dicturus sit; sed tantùm sentire affici se velut ab hoc vel illo colore, & tanquam ab hoc vel illo sono. Qua etiam de causa inducit Lucianus quendam huius sectæ philosophum se μήτε ἀκούειν μήτε ὁρᾶν profitentem. Et hoc alij quoque passim illis exprobrant, quòd videlicet sensus eripiant, vt loquitur Cicero. Atque adeò Gellium paulo antè audiuimus ita loquentem de illis, Ac ne videre quoque planè quicquam nec audire sese putant, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. Quod tamen mera calũnia erat. sed huius ansam præbuit Sceptica loquendi forma, talis qualem modò proposui. Denique si verum est quod Sextus dicit, φαντασίαν tantundem valere quod φαινόμενον, qui φαντασίαν interpretabitur visum, eodem modo & φαινόμενον interpretari queat. At consideremus in vno quopiã Sexti loco, exempli gratia, quàm incommoda sit (nequid grauius dicam) illa interpretatio. Quum ita scribit, ὅταν δὲ ζητῶμεν εἰ τοιοῦτόν ἐστι τὸ ὑποκείμενον ὁποῖον φαίνεται, τὸ μὲν ὅτι φαίνεται δίδομεν, ζητοῦμεν δ᾽ οὐ περὶ τοῦ φαινομένου, ἀλλὰ περὶ ἐκείνου ὃ λέγεται περὶ τοῦ φαινομένου. si hic φαίνεται vertas videtur, id est cernitur, planè à mente auctoris discedis, eiusque sententiam peruertis. Quare quòd verbum videtur ambiguum sit, malui φαίνεται vbique vertere Apparet. Et quum dico, Hoc apparet album, non intelligo, Manifestũ est hoc esse album, sed perinde est ac si dicam, Hoc speciem albedinis meis oculis obiicit. Accipio autẽ speciem sicut Cicero, quũ dicit, Eadẽ est in somnis species eorum quæ vigilãtes videmus. Animaduerte enim eum non dixisse visio, sed species: & ita distinxisse ac si Græcè dixisset, ἡ αὐτή ἐστι φαντασία καθ᾽ ὕπνους, vel ὄναρ, ὧν ὁρῶμεν ὕπαρ. vel ἡ αὐτή ἐστι φαντασία καθεύδουσιν ἐκείνων ὧν ἐγρηγορότες ὁρῶμεν. At Sceptici discrimen hoc tollunt, dicẽtes se nescire vtri assentiendum sit. Clarum autẽ erit quod docere volo, ex hoc loco Galeni, ἐπειδὴ τι ἔνια μὲν οἰόμεθα ἢ βλέπειν, ἢ ἀκούειν, ἢ ὅλως αἰσθάνεσθαι, καθάπερ ἐν ὀνείροις καὶ μανίαις· ἔνια δὲ οὐκ οἰόμεθα μόνον, ἀλλὰ καὶ κατ᾽ ἀλήθειαν ὁρῶμεν ἢ ὅλως αἰσθανόμεθα· ταυτὶ μὲν τὰ δεύτερα πάντες ἄνθρωποι, πλὴν Ἀκαδημιακῶν τε καὶ Πυρρωνείων, εἰς βεβαίαν γνῶσιν ἥκειν νομίζουσιν, ἃ δ᾽ ὄναρ ἢ παρακαιόντων ψυχὴ φαντάζεται, ψευδῆ ταῦθ᾽ ὑπάρχειν. εἰ μὴ δὴ συγχωροῦσιν αὐτὸ τοῦθ᾽ οὕτως ἔχειν, ἐξαλειψάτωσαν ἐν οἷς γράφουσι μήτε τὸ μαινομένου τὴν σωφρονοῦντα, μήτε τὸ νοσοῦντος τὴν ὑγιαίνοντα, μήτε τὸ κοιμωμένου τὴν ἐγρηγορότα πιστότερον ὑπάρχειν εἰς τὴν τῶν πραγμάτων γνῶσιν. Obseruandum hîc est desipientibus non ὁράματα sed φαντάσματα tribui. secundum vulgò receptam opinionem, at secundũ Scepticos vtrisque pariter φαντάσματα seu φαντασίας tribui, vtpote non discernentibus quod ad sensum attinet, eum qui sanæ sit mentis, ab eo qui mente alienatus sit. Qua de re ipse quoque Cicero in eo loco, vnde verba quæ paulo antè citaui deprompta sunt, disputat. Sed iam satis superque meam sententiam explicuisse mihi videor de interpretatione nominis φαντασία. Addo etiam hoc, Si quis respondeat φαντασίας apud Scepticos posse verti Visa vel Visiones, modò visa accipiamus pro iis quæ nobis videre visi sumus, is nequaquam nodum planè soluerit. nam quum φαντασίαι non appellentur solùm quæ nobis videre visi sumus, sed etiam quæ audire, denique generaliter quæ aliquo nostrorum sensuum percipere nobis visi sumus, dura nimium foret hæc κατάχρησις appellationis visorum ad reliquos omnes sensus accommodatorum. Sed quoniam non is sum qui aduersus tantum virum, quantum scimus fuisse Marcum Tullium, certamen instituere vel ausim, vel possim, hæc περὶ τῆς φαντασίας, id est, δυνάμεως περὶ τὸ φαινόμενον, dicta existimentur κατὰ τὸ φαινόμενον. Ego certè nusquam apparentiam aut apparitionem interpretatus sum, ne audaculus iudicarer, sed potius imaginationem. ita enim malui quàm cum Quintiliano imaginem vertere. quem miror, quum vno in loco dixisset φαντασίας esse per quas imagines rerum absentium repræsentantur, postea ipsasmet imagines φαντασίας vocari dixisse. Nam quo alio nomine hunc actum repræsentandi imagines quàm imaginationem appellare possis? Et fateor quidem diuersas esse à Scepticorum phantasiis eas quas ibi Fabius describit, sed quin tamen interpretationem inde mutuemur & cum illis communicemus, nihil obstat. Certè tum præsertim quum καταληπτικὴν ad φαντασίαν addunt, imaginationis nomen valde mihi conuenire videtur, vt καταληπτικὴ φαντασία dicatur comprehensiua

imagi-

imaginatio potius quàm visum comprehensiuum. Porrò quod imaginẽ vocat Quintilianus, id φάντασμα esse videtur potius quàm φαντασία. Et quoniã sæpe istud nomen occurrit in hoc libro, de toto eius comitatu (vt ita loquar) dicendũ mihi arbitror, vt melius eius vis cognosci à nobis ac percipi possit. Prius autem admoneo, φαντασία planè mihi videri à τὸ φαίνεται tertia persona verbi φαίνομαι esse deriuatũ: vel potius verbũ φαντάζομαι à τὸ φαίνεται originem habere, à cuius prima præteriti persona τὸ πεφάντασμαι sit φάντασμα, à secũda τὸ πεφάντασαι sit φαντασία, à tertia autẽ τὸ πεφάντασται sit φανταστόν. ideoque miror cur Plutarchus in Placitis philosophorum φαντασίαν appellatã ἀπὸ τοῦ φωτὸς dixerit. nisi fortè hoc respexerit quòd verbũ φαίνομαι, à quo deriuatum est φαντασία, ἀπὸ τοῦ φωτὸς deductum sit. Sed quid vetat primùm ex eodem Plutarcho nominis φαντασίας & cognatorum definitionẽ sumere? Imò verò operæpretium, vt opinor, fuerit. Audi igitur illum, sed Latinè, Budæo interprete, loquentem: Chrysippus differre inter se ait quatuor hæc. φαντασία quidem igitur affectio est in anima facta, quæ sui quoque efficiẽs præfert: veluti quum oculis perspicimus album, affectio est in anima per visum facta, huicque affectioni ducere possumus subesse album quod ciet. perindeque erit si per tactum aut odoratũ huiusmodi affectio fiat. Dicta est igitur Græcè φαντασία à lumine. Vt enim lumẽ & se & ea quæ collustrat demõstrat, ita phantasia ipsa se demonstrat, & sui quoque conficiens. φανταστὸν est phantasiæ efficiens, vt album, vt frigidũ, & omnino quicquid animam ciere potest, id est φαντάζειν. φανταστικὸν inanis est attractus, affectus, inquam, in anima à nullo phãtasto factus, veluti accidit in vmbratilem pugnam exercentibus, manusque inaniter intentantibus. Proinde viso subiacet visi quiddam cõficiens, inani autem viso non item. At φάντασμα est ad quod rapimur phantastico & inani attractu, cuiusmodi in mente captis furoreque percitis fiunt. Hæc Plutarchus. Vide & Damascenũ de iisdem. Verba autem sunt φαντάζομαι & φαντασιοῦμαι. De verbi φαντάζομαι passiua significatione dictum fuit iam antea. sed & φαντάζω voce actiua reperitur pro Imaginem seu speciem præbeo, Repræsento, Apparere facio, vt ὁ οἶνος φαντάζοντα ὡς κατ᾽ ἀλήθειαν. Sed & compositum ἀναφαντάζω, in eadem significatione. itẽ pro Phantasia seu phantasiis afficio, vt apud Basilium, τὰς οἰνοβαρεῖς κεφαλὰς ἃς ὁ ἐκ τῶν κραιπάλης ἀναφερόμενος ἀτμὸς ἐγκυμαίνων ἀναφαντάζει. At verò à φαντασία fit φαντασιοῦμαι, idem significans cũ verbo φαντάζομαι, in actiua siue neutra significatione sumpto. (passiuæ autem huius verbi significationis exempla iam protuli) Alex. Aphrod. in 2. De anima, οὐ γὰρ αἰσθητικὴ διῄρηται εἰς τὸ αἰσθάνεσθαι καὶ φαντασιοῦσθαι, ἢ τὸ μνημονεύειν ἢ τὸ συγκατατίθεσθαι. Hic quidem absolutè, pro Phãtasias seu imagines animo cõcipere, Imaginari. At cum accusatiuo, vt apud Plutarchum, φαντασιωθεὶς δαιμόνιόν τι. Sic & φαντάζεσθαι cum accusatiuo, vt φαντάζονται τὴν χρῆσιν, apud Alex. Aphrodisẽ. Sed à φαντασία fiunt etiam φαντασιώδης, φαντασιαστὴς, & εὐφαντασίωτος. Plutarchus, φαντασιαστικοὺς καὶ κατόχους ποιεῖ τοὺς προφήτας. Quintilianus lib. 6. cap. 3. has (φαντασίας) quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. hunc quidam dicũt εὐφαντασίωτον, qui sibi res, voces, actus secundũ verum optimè finget. Habet autem & alias significationes φαντασία, sed quæ huius loci non sunt. At hoc prætereundũ non est, nostrates omnia ferè quæ enumerauimus verba in vulgarem linguam transtulisse, Phantasie, Phãtasier, Phãtausme, Phantastique, vsu tamen aliquantum diuerso: præsertim quum dicant aliquem esse magis phantasticum quàm mulam Papæ.

V. dogma) Συγκατάθεσιν Cicero assensum, item assensionem, necnõ approbationem interpretatur. Alibi autem hæc duo posteriora copulat, vt in Lucullo, Nunc de assensione atque approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus. Nec multo pòst, Cuius (virtutis) omnis constantia & firmitas ex iis rebus constat quibus assensa est, quas approbauit. id est, οἷς συγκατέθετο. Idem in eodem libro, paulo antè præcedentem locum, Sed de inconstantia totius illorum sententiæ (si vlla sententia cuiusquam esse potest nihil approbantis) &c. id est, οὐδενὶ συγκατατιθεμένου. Alicubi etiam Assertione approbare dicit. Et paulo pòst assertionem & approbationem copulat. Cæterùm vt assentiri & approbare illis in locis eadem vult esse, sic alibi opinari & assentiri: Vt quum scribit sapientem nihil opinari, id est nunquã assentiri rei vel falsæ vel incognitæ. Idẽ, Assensurum autem non percepto, id est opinaturũ sapientem existimem. Idem, Credoque Clitomacho ita scribenti, Herculis quendam laborẽ exanclatum à Carneade, quòd vt feram & immanem belluam, sic ex animis nostris assensionẽ, id est opinationem & temeritatem) extraxisset. Ideo antẽ

Cicero hæc confundit & ex duobus vnum facit, quòd vnum ex altero consequatur, vnde alibi dicit, Opinatione & perceptione sublata, sequatur omnium assensionum retentio. Ideo & Aristocles aduersus eos disputans, dicit, εἰ μὲν οὖν αὐτοὶ συγκατατίθενται, δῆλον ὅτι δοξάζουσιν. Vbi animaduerte συγκατατίθενται esse Ciceronianum assentiuntur: δοξάζουσιν autem, opinantur. Hinc etiã Sceptici se ἀσυγκαταθέτους & ἀδοξάστους profitebantur, eodem teste, sicut ἀπαθεῖς & ἀταράχους. Sed idem ὑπολαμβάνειν pro δοξάζειν, & ὑπόληψιν ἀντὶ τῆς δόξης vsurpat. Verùm hoc quoque obseruandum est in loco quem paulo antè citaui, Ciceronem dicere opinationem & temeritatem, pro quo alibi dicit opinandi temeritatem. Videtur enim Cicero temeritatem vocare quam Sextus passim προπέτειαν appellat, eam δογματικοῖς exprobrans. Apud eundem Ciceronem vt temeritatem opinãdi, sic & temere opinari legimus. Quinetiã alicubi scribit, Ex animis nostris assensionem (id est opinationẽ & temeritatem) extraxisset. Porrò vt δοξάζειν opinari, & δόξαν opinationẽ, sic τὰ κατὰ δόξαν & τὰ δοξαστὰ ex Cicerone opinabilia interpretari possumus, & ἀδοξάστως citra opinationem.

V. ad rem) Dicimus quidem Assentiri alicui rem, sed quum vtimur nomine Assensus, cogimur hanc constructionem mutare, & aut Assensum ad rem aliquam, aut Assensum alicui rei dicere. Quin etiam Assensum de re aliqua non sine exemplo vsurparemus.

V. voces) Aduerbiũ πάντως verti Protinus, accipiens pro Necessariò, & quasi ex necessaria consequutione. Quo sensu dicit Cicero interdum Non continuò. qua in significatione non insolens est apud alios quoque scriptores τὸ πάντως.

P. 408. V. vt hæc) Hic ὑπολαμβάνει simpliciter pro Arbitratur, seu putat. non pro δοξάζει. in qua tamen significatione accipi ab Aristocle, modò dixi. Quinetiam alibi Sextus vtitur eodem modo quo hic. Verùm extat etiam locus in quo οὐχ ὑπολαμβάνω planè sumẽdum videtur pro οὐ δοξάζω, nisi fortè (quod suspicor) reponendum est οὐ καταλαμβάνω. Cæterùm ad hunc locũ pertinet quod scribit Cicero in Lucullo, Sed Antipatro hoc idem postulãti, quum diceret, ei qui affirmaret nihil posse percipi, cõsentaneum esse vnum tamen illud dicere percipi posse vt alia nõ possent, Carneades acutius resistebat. nam tantũ abesse dicebat vt id cõsentaneum esset, vt maximè etiam repugnaret. Qui enim negaret quidquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere. ita necesse esse ne idipsum quidẽ quod exceptum nõ esset comprehendi & percipi vllo modo posse.

V. alia) Verti ὅτι τοῖς ἄλλοις ἑαυτὰς συμπεριγράφει, vnà cum aliis se circunscribere, ad verbũ accipiens tamen συμπεριγράφειν pro συναναιρεῖν. nam apud Latinos Circunscribere, sicut apud Græcos περιγράφειν, ita accipi ex Cicer. patet. Sic & paulo post hæc verba, Ita vt quæ possint à seipsis circunscribi, respondent his Græcis, ὡς δυνάμενα ὑφ' ἑαυτῶν περιγράφεσθαι. Nihil autẽ aliud esse hic περιγράφεσθαι quàm ἀναιρεῖσθαι, patet ex collatione loci eiusdẽ qui est cap. 28. vbi de iisdem vocibus agens, & idem exprimere volẽs, dicit, ὅπου γε καὶ ὑφ' ἑαυτῶν αὐτὰς ἀναιρεῖσθαι λέγομεν δύνασθαι, ἐμπεριγραφομένας ἐκείνοις περὶ ὧν λέγονται.

V. gant) πρόσκλισιν δόγμασι πολλοῖς verti inclinationem ad dogmata multa. Sed propensionẽ quoque, vt opinor, interpretari potuissem, ex Cicerone. Legitur autẽ hic πρόσκλησιν posito η pro ι in penult. sed reponi debere πρόσκλισιν cum ι vtrobique, manifestũ est. præterquam quod alibi legimus apud eũ, τό, τε μὴ ἀντιλέγειν, ἀλλ' ἁπλῶς ἕπεσθαι, ἄνευ σφοδρᾶς προσκλίσεως καὶ προσπαθείας. Huc verò pertinet quòd apud Aristoclem habemus de nostris Scepticis, ἀλλ' ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι. Cæterùm vtranque αἱρέσεως definitionem habes apud Diog. Laërtium in proœmij fine (vbi & πρόσκλισιν inuenies) nisi quòd non dicit tantùm ἀκολουθοῦσαν, sed addit etiam ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν, omittens ἀδιαστρόφως. Item post ἀκολουθίαν ἔχουσι omittit πρὸς ἄλληλά τε καὶ φαινόμενα. vbi & ipse docet nonnullos censuisse Pyrrhoniam sectam vno quidem respectu αἱρετὸν esse, altero autem minimè.

V. fert) Hoc & alibi sæpe profitetur Sextus de Scepticis, quod tamen Aristocles negat, scribẽs, ἐπεὶ τὰν μὲν δὴ φῶσι τὸν σοφὸν δεῖν ζῆν, ὅτι δέοι κατακολουθοῦντα φύσει καὶ τοῖς ἔθεσι ζῆν, μηδενὶ μέντοι συγκατατίθεσθαι, πάνυ τινὲς εἶεν ἂν εὐήθεις. εἰ γὰρ μηδενὶ ἄλλῳ, τούτῳ γοῦν αὐτῷ δέοι ἂν συγκατατίθεσθαι. καὶ ὑπολαμβάνειν οὕτως ἔχειν αὐτό. Sed Aristocli εὐήθειαν scepticis ob illud dictum exprobranti pro illis respõdebo, aliud esse quod dicunt se ita viuere, quã si dicerẽt se ita debere viuere. At cur ita viuũt? Quia τοῖς οἰκείοις πάθεσιν ad id impelluntur.

V. tinet) Quod hic dicit Sextus βέβαιον πεῖσμα (quod ad verbum interpretatus sum firmã persuasionem) id propemodum esse videtur quod Cicero appellat firmam & cõstantem assensionẽ,

ita

ita scribens in Lucullo, Et vno nomine omnia quæ essent aliena firmæ & cōstantis assensionis, à virtute sapientiáque remouebat. Idem in eodem libro, Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere vt moueri non possint, abhorrere à sapientia plurimum. Porrò Sextus quod hic ἐπίσχεμα, alibi ἀπροσθεσίαν appellat, vbi scribit, οὐκ ἀπαγγελτικῶς μετὰ πεποιθήσεως ἀποφαινόμενοι.

V. QVI) Cic. in Lucullo, ex Clitomacho refert, Vehementer errare eos qui dicant ab Academia sensus eripi, à quibus nunquam dictum sit aut colorem, aut saporem, aut sonum vllum esse: illud sit disputatum, non inesse in his propriā, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam. Sed turpiter deprauatus hic Ciceronis locus, & pro accusatiuo vllum, reponendus mihi videtur cōtrarius nullum. Quod verò vix vllum dubitationi superesse locum existimo, cum ex hoc Sexti loco, tum ex aliis multis. siquidem hac in re planè conueniebant Academici cum Pyrrhoniis. Quum enim dicerēt, sibi intuentibus niuē, phantasiam albedinis obiici, se gustantes mel, affici dulcedine, nescire tamen an nix verè & natura esset alba, & an mel verè esset dulce: minimè colorem aut saporem tollebant. Idem autem de sono aliisque sensilibus dici potest. Huc pertinet quod à Sexto dicitur cap. 14. circa finem, ὁποῖον μὲν ἡμῖν θεωρεῖται τὸ ὑποκείμενον ἔχομεν λέγειν, ὁποῖον δέ ἐστι πρὸς τὴν φύσιν, ἐφέξομεν.

V. ea) Verba Sexti sunt, τὰ γὰρ κατὰ φαντασίαν παθητικὴν ἀβουλήτως ἡμᾶς ἄγοντα εἰς συγκατάθεσιν οὐκ ἀνατρέπομεν. Et cap. 7. eodem sensu dixerat, τοῖς γὰρ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένοις πάθεσι συγκατατίθεται ὁ σκεπτικός. Quinetiam caput 20. his claudit verbis, τοῖς δὲ κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς καὶ ἀναγκαστικῶς ἄγουσιν εἰς συγκατάθεσιν εἴκομεν. Quibus locis hic Ciceronianus respondet in Lucullo, Visa enim ista quum acriter mentē sensúmve pepulerūt, accipio, hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen. Nihil enim arbitror posse percipi. Non sum sapiens, itaque visis cedo, neque possum resistere. Sciendum est autē esse & aliam lectionē in hoc Sexti loco, videlicet παθητικὰ pro παθητικήν. Essent autē τὰ κατὰ φαντασίαν παθητικά, ea quæ patimur, vel ea quibus afficimur per phantasiam acriter (vt Ciceronianis vtar verbis) mētem sensúmve pellentem. At si παθητικὴν legamus, ipsam phantasiā (quam Cicero visum appellat) pati seu affici dicemus, contrà quàm ipse Cicero scribit. Neque enim dicit visa pelli (quod esset πάσχειν, seu παθητικὰ εἶναι) sed ea mētem siue sensum pellere. Et pro lectione hac παθητικὰ facere etiā videtur secundus ille locus in quo τοῖς κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένοις πάθεσι, non autē τῇ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένῃ πάθεσι habemus. Existimo autem τὰ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένα πάθη (sicut alibi dicit ἀνάγκην παθῶν) nihil aliud esse quā τὰ κατὰ φαντασίαν παθητικά. Solebant enim dicere non ipsam phantasiam pati seu affici, sed per phantasiam αἰσθητικῶς affici. Cicero de Cyrenaicis, Neque se quo quid colore, aut quo sono sit scire, sed tantùm sentire affici se quodammodo. At Gellius de his ipsis Scepticis, ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putant, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. eaque ipsa quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cuiusmodi sint, cunctātur atque insistunt. Hic autē obiter animaduerte Ciceronem verbū πάσχειν vertere affici, Gellium autem pati & affici copulare, & πάθος affectionē vocare. Nā Aristocles de iisdem Cyrenaicis philosophis loquens idem testatur, καιόμενοι γὰρ ἔλεγον καὶ τεμνόμενοι γνωρίζειν ὅτι πάσχουσί τι, πότερον δὲ τὸ καῖον εἴη πῦρ, ἢ τὸ τέμνον σίδηρος, οὐκ ἔχειν εἰπεῖν. Hic autem obserua exemplum eius quod dicit Gellius, Eaque ipsa quæ affectiones, &c. nā ille qui vritur, ab igni afficitur seu patitur, qui autem secatur, à ferro. At illi dicebant, dum quidē vrerentur & secarētur, agnoscere se aliquid pati, vel se ab aliquo affici: an autem esset ignis qui affectionem illam in ipsis efficeret dum vrebantur, & ferrum quod item aliam efficeret dum secabantur, se ignorare.

P. 409. V. percip.) Verti ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ, quod ad rationem & intelligentiam attinet: sed datiuum λόγῳ alia significatione hic accipi posse, & quidē rectius, ingenuè fateor. Ita enim scribit Sextus, εἰ δὲ καὶ γλυκύ ἐστιν ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ, ζητοῦμεν. Vbi si ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ dicamus significare ὅσον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις (vt alibi loquitur) pro hac interpretatione faciet, vt opinor, quod post ζητοῦμεν subiungitur à Sexto, ὃ οὐκ ἔστι τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ περὶ τοῦ φαινομένου λεγόμενον. Dixerat autem paulo antè, ζητοῦμεν δὲ οὐ περὶ τοῦ φαινομένου, ἀλλὰ περὶ ἐκείνου ὃ λέγεται περὶ τοῦ φαινομένου.

V. nequeamus) Sextus ita, ἐὰν δὲ καὶ ἄντικρυς κατὰ τοῦ φαινομένου ἐρωτῶμεν λόγους. In quo genere loquendi interpretando mihi non satisfeci, nec quum ἐρωτᾶν λόγον Mouere quæstionem, nec quum Proponere quæstionem verti.

Nam λόγον quaestionem quidem aptè vertimus, respectu verbi ἐρωτᾶν, sed non dubium est tamē quin in hac loquutione ratiocinationem potius significet. vt quū dicitur ἀργὸς λόγος, λόγος ἐγκεκαλυμμένος, λόγος θερίζων, λόγος ψευδόμενος. Cicero tamē ἀργὸν λόγον vertit ignauam rationem in lib. De fato: item ignauā interrogationem. Sed quomodo tandē λόγον ἐρωτᾶν interpretabimur? Certè apud eundem ibidē legitur, sic enim interrogant. In quo Cicero Graecam phrasin imitatus videtur, perinde ac si dixisset, τοιόνδε ἐρωτῶσι λόγον. Sed locum illius afferre satius fuerit, in quo ita scribit, Nec nos impediet ignaua illa ratio quae dicitur. appellatur enim quidam à philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. sic enim interrogant, Si fatum tibi est ex hoc morbo conualescere: siue medicū adhibueris, siue non adhibueris, conualesces. Item, Si fatum tibi est ex hoc morbo nō conualescere: siue tu medicum adhibueris, siue non, nō conualesces. Et alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet. Subiungit autem, Rectè genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum est, quòd eadem ratione omnis è vita tolletur actio. Haec Cicero. Animaduerte autē in postremis hisce verbis λόγον (quod interpretatus erat rationem) verti interrogationem. Sed cur qui ita ratiocinatur, ἐρωτᾶν, id est interrogare, dicitur, quū interrogatiuam formam nō habeat eius oratio? Hoc certè existimo dici respectu eius aduersus quem disputantes, ita ratiocinantur, responsum videlicet ad illam exigentes ab eo. responsionem enim praecedat interrogatio necesse est. Certè, quaecunque sit huius dicti ratio, ἐρωτᾶν λόγον, in ea significatione passim Sextus adhibet, etiam συνερωτᾶν λόγον pro eodem vsurpans. vt cap. 13. lib. 2. ὅθεν ἔτι καὶ τοιοῦτον συνερωτῶσι λόγον, εἰ ἔστιν ἀπόδειξις, ἔστιν ἀπόδειξις, εἰ οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις, ἔστιν ἀπόδειξις. ἤτοι δὲ ἔστιν ἀπόδειξις, ἢ οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις. ἔστιν ἄρα ἀπόδειξις. Subiungit autem, ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς δυνάμεως καὶ τοῦτον ἐρωτῶσι τὸν λόγον, ὅ τις ἀντικ. &c. Certè τοῦτον ἐρωτῶσι τὸν λόγον, vel συνερωτῶσι, aliud nihil est quàm, Ita ratiocinantur. Vel, argumentantur. Vel, hanc ratiocinationē seu argumentationem proponunt. Sic & paulo antè dixerat, ὅτι οὗτοί ἀποδεικτικοί εἰσιν οἱ κατὰ τῆς ἀποδείξεως ἠρωτημένοι λόγοι. Id est, argumenta proposita aduersus demonstrationem.

V. tales) Hîc λόγον verti rationē, sed orationem fortasse potuissem etiam vertere.

V. tenio) Κριτήριον perinde est ac si dicas iudicatorium. A quibusdam exponitur vis iudicandi. Ego malim apud hunc auctorem iudicatorium organum siue instrumentum, aut iudicandi instrumētum interpretari. Cicero vocat id quo omnia iudicantur. Item, id ex quo omne veri falsique iudicium sit. Quin etiā iudicium simpliciter ea significatione alicubi vsurpasse videtur. Vsus est autē frequens huius vocis κριτήριον apud alios quoque philosophos.

V. natione) Verti ἀνενέργητοι omnis actionis expertes, imitatus hunc Ciceronis locū in Lucullo, Quare qui aut visum aut assensum tollit, is omnem actionem tollit è vita. Idē, Sublata enim assensione, omnem & motum animorum & actionem rerum sustulerunt. Eodem sensu dicit in lib. De fato, Nihil omnino agamus in vita, id est, ἀνενέργητοι ἂν ὦμεν. Alibi autem breuius vitam euertere dicit, vt rursus in Lucullo, Vel potius etiam totam vitam euertunt funditus, ipsumque animal orbāt animo. Ibidem, Sequitur omnis vitae ea quam tu Luculle commemorasti, euersio. Vt autem Cicero vitam, sic & Sextus βίον pro vitae actionibus vsurpat. Sed & vitam communem obseruaui à Cicerone ita poni pro τὰ κατὰ τὸν βίον, vel τὰ περὶ τὸν βίον, ea quae cōmuniter ad omnes homines in vita degenda pertinent. Caeterum pro eo quod verti paulo pòst, piè agere in vita cōmuni, legitur apud Sextum, εὐσεβεῖν βιωτικῶς. vbi βιωτικῶς malit fortasse quispiā interpretari, Secundum vitam, vel κατὰ τὴν βιωτικὴν τήρησιν, vt paulo ante loquutus erat. Praeterea quum dicat, καθ' ὃ τὸ μὲν εὐσεβεῖν παραλαμβάνομεν βιωτικῶς ὡς ἀγαθόν, aduerbium βιωτικῶς ad vtrumlibet verbum referri posse videtur.

P. 410. V. Esi) Pro Aut considerantur, potuissem etiam dicere, aut in cōtemplatione versantur. Habet enim Sextus, ἢ θεωρεῖται. Cicero considerationē contemplationemque naturae dicit. Rectè verò additur, Ipsum autem nullius rei causa, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα. Ita enim Cicero quoque De fin. lib. 2. Nam hunc ipsum siue finem, siue extremum, siue vltimum definiebas id esse, quò omnia quae rectè fierent referrentur, neque id ipsum vsquam referretur. Quod autem subiungitur à Sexto, ἢ τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν, idem Acad. quaest. lib. 1. interpretatur Extremum rerum expetendarum. Et in 2. Extremum expetendi. At De fin. lib. 2. Vt is qui finem rerum expetendarū voluptatem esse dicat.

V. ea) Cicero vocem hanc μετριοπάθειαν exprimere

primere volens, scribit, de veteribus Academicis loquens, Mediocritates illi probant, & in omni permotione naturalem volebant esse quendã modum. Dicitur & μετριοπαθὴς q.d. μέτριος, vel μετριάζων ἐν τοῖς πάθεσι, id est, Qui mediocriter afficitur, Qui mediocritatem seruat in affectibus, Qui modum non excedit in affectibus.

V. *sa) Hic τὴν ἰσοσθενῆ διαφωνίαν appellat quod suprà τὴν ἐν ἀντικειμένοις λόγοις ἰσοσθένειαν dixerat, ideóque vertere possumus ex Cicerone, Contrariarũ rationũ paria momenta. Vel, Paria contrariis in partibus momenta rationum.*

P. 411. V. *fert) Sextus dicit μαλακώτερον ἀπαλλάσσει q.d. Cum moderatiore perturbatione euadit. Vel, Moderatius affectus seu perturbatus discedit. Vel, Facilius perturbatione defungitur. Perinde ac si dixisset μετριοπαθεῖ. quod Græcum verbum eleganter expreßit Ouidius hoc versu,*

Sed te, quæcunque est, moderatè iniuria turbet.

Perinde enim est ac si dixisset vno verbo μετριοπαθεῖ. Cæterùm quod hic dicit Sextus, ὁ δὲ σκεπτικὸς τῷ προσδοξάζειν ὅτι ἐστὶ κακὸν τούτων ἕκαστον ὡς πρὸς τὴν φύσιν, περιαιρῶν, μαλακώτερον καὶ ἐν τούτοις ἀπαλλάσσει, huiusmodi est in quo vno nemo non Scepticis tantam fœlicitatem inuidere, & ad eam omni conatu aspirare debeat. Ac sanè si quis eos hac in re à me laudari miretur, audiat celeberrimos comicos hac de re, Menandrum & Philemonem: ac prius quidẽ Menandrum ita in scena loquentem,

Ἅπαντα τὰ ζῷ' ἐστὶ μακαριώτατα,
Καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ.
Τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεστι πρῶτα τουτονί·
Οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως.
Τούτῳ κακὸν δι' αὑτὸν οὐδὲν γίγνεται,
Ἃ δ' ἡ φύσις δέδωκεν αὐτῷ, ταῦτ' ἔχει.
Ἡμεῖς δὲ χωρὶς τῶν ἀναγκαίων κακῶν,
Αὐτοὶ παρ' αὑτῶν ἕτερα προσπορίζομεν,
Λυπούμεθ' ἂν πτάρῃ τις, ἂν εἴπῃ κακῶς,
Ὀργιζόμεθ'· ἂν ἴδῃ τις ἐνύπνιον, σφόδρα
Φοβούμεθ'· ἂν γλαὺξ ἀνακράγῃ, δεδοίκαμεν,
Ἀγωνίαι, δόξαι, φιλοτιμίαι, νόμοι,
Ἅπαντα ταῦτ' ἐπίθετα τῇ φύσει κακά.

Deinde hosce Philemonis,

Ὦ τρισμακάρια πάντα καὶ τρισόλβια
Τὰ θηρί', οἷς οὐκ ἔστι περὶ τούτων λόγος,
Οὔτ' εἰς ἔλεγχον αὐτῶν οὐδὲν ἔρχεται,
Οὔτ' ἄλλο τοιοῦτ' οὐδέν ἐστ' αὐτοῖς κακὸν
Ἐπακτόν, ἣν δ' ἂν εἰσενέγκηται φύσιν
Ἕκαστον, ἀτεχνῶς καὶ νόμον ταύτην ἔχει.
Ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον.
Δουλεύομεν δόξαισιν, εὑρόντες νόμους,
Προγόνοισιν, ἐκγόνοισιν, οὐκ ἔστ' ἀποτυχεῖν
Κακοῦ, πρόφασιν δ' ἀεί τιν' ἐξευρίσκομεν.

Animaduerte autem nominatim apud vtrunque δόξας. Eodem pertinent & hæc eiusdem Philemonis,

Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοί, δέσποτα,
Αὐτοὶ δι' αὑτούς, ἢ πέφυκε τῇ φύσει.
Οἷον, τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινί,
Ἢ νὴ Δί' ἄλλος τῶν ἀναγκαίων γέ τις,
Εἰ μὲν λάβοι τοῦτ', ἀπέθανεν, ἄνθρωπος ἦν·
Τοσοῦτον γέγονε τὸ κακὸν ἡλίκον περ ἦν.
Ἐὰν δ' ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκέτ' ἔσομαι,
Ἀπόλωλα· ἐν γ' ἑαυτῷ τοῦτ' ἐὰν σκοπῇ,
Πρὸς τοῖς κακοῖς οὗτος ἕτερα συλλέγει κακά.
Ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν,
Τὸ κακὸν ἀφαιρεῖται, ἀγαθὸν δὲ λαμβάνει.

V. TRADI) *Hos modos Cicero locos communes appellat. Aristocles quoque horum epoches modorum ab Aenesidemo tractatorum mentionẽ facit, sed nouem duntaxat enumerans. Ait enim Aenesidemus (vt ille refert) differre inter se animalia & nosipsos, ciuitates, & victus, (seu viuendi genera) & cõsuetudines, & leges: nosque sensibus imbecillis præditos esse, multaque præterea esse quæ extrinsecus corrumpant cognitionem, videlicet distantias & magnitudines, & motus. Præterea ex eo quòd aliter affecti sint iuuenes quàm senes, & vigilantes quàm dormientes, & sani quàm ægroti, & quòd nihil sub sensus nostros simplex & purum cadat: quoniam omnia confusa sunt & ad aliquid dicuntur.*

V. *cibus,) Sextus dicit ἐπαναβεβηκότας, ξένους & ἀποβεβηκότας. de quarum vocũ significationibus tractatum est suprà.*

P. 413. V. *videntur) Ὑπόσφαγμα ita definit Gal.* Ὑπόσφαγμα δὲ λέγουσιν ὅταν ἀπὸ πληγῆς ῥαγέντων τινῶν ἐν τῷ πρώτῳ χιτῶνι ἀγγείων μεταξὺ τοῦ κερατοειδοῦς τοῦ λευκοῦ καὶ τοῦ ἐκτὸς χιτῶνος αἷμα ὑπέλθῃ, καὶ παραχρῆμα μὲν ἔναιμον ᾖ τὸ χρῶμα τοῦ ὀφθαλμοῦ, ὕστερον δὲ πελιδνόν. *Sunt qui putent τοὺς ὑπόσφαγμα ἔχοντας esse quibus Plinius tribuit oculos rubore suffusos. Ego Græcam vocẽ retinere tutius esse existimaui, præsertim quum illa ruboris in oculis suffusio latius patere videatur. Dixissem tamẽ melius Qui hyposphagmate laborãt, quàm Qui hyposphagma habẽt. Sed hoc quoque sciendum, in hoc quidem loco habere Sexti exemplaria ὑπόσφασμα, sed in alio simili loco qui extat in sexti modi expositione, rectè ὑπόσφαγμα. Vbi ὕφαιμα appellãtur quæ hic αἱμωπά.*

Vide

vide eum locum pag. 426. Quinetiam pag. 422. eandem vocem inuenies.

V. tasias) Huc pertinet quod dicit Aristocles, ἀκριβέστερον ἢ Θέωνι δοκεῖν ἀποβλέψαι τὰ ὀφθαλμώ, ὁ προσῆλθεν ἰσχυρότερον, ὁ ἐπιλαβόμενον. Item quod Cicero in Lucullo, Itaque Timagoras Epicureus negat sibi vnquam, quum oculũ torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas. opinionis enim esse mendacium, non oculorum.

P. 419. V. leduntur) Reperio quidem quandã πόλιν κροκοδείλων appellatam, sed nihil vnde hunc locum suæ integritati restituere possim.

P. 422. V. versæ) Cicero in Lucullo, Itaque simul experrecti sumus, visa illa cõtemnimus, neque ita habemus vt ea quæ in foro gessimus. At enim dum videntur, eadem est somnis species eorũ quæ vigilantes videmus. Plurimum interest. Sed id omittamus. illud enim dicimus, non eandem esse vim neque integritatem dormientium & vigilantium, nec mente nec sensu.

P. 423. V. habitib.) Διὰ τὸ μὴ ὁμοίως διακεῖσθαι ἐγρηγορότας καὶ κοιμωμένους, καὶ ὑγιαίνοντας ἢ νοσοῦντας, vt refert Aristocles ex Aenesidemo.

P. 424. V. prius) Sexti verba sunt, καὶ οὕτως ἐμπίπτουσιν εἰς τὸν διάλληλον τρόπον τό, τε κριτήριον καὶ ἡ ἀπόδειξις. Sciendum est autem, quod attinet ad hoc loquendi genus (cuius frequentissimus erit in sequentibus vsus) id bifariam scribi, interdum τὸν διάλληλον τρόπον, vt hic: interdum τὸν δι' ἀλλήλων τρόπον. sed illo modo frequentius quàm hoc. Apud Diogenem Laërtium tamen legitur ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, non ὁ διάλληλος. Id autẽ συνίσταται, vt ait, ὅταν τὸ ὀφεῖλον τοῦ ζητουμένου πράγματος εἶναι βεβαιωτικὸν, χρείαν ἔχῃ τῆς ἐκ τοῦ ζητουμένου πίστεως. οἷον εἰ τὸ εἶναι πόρους τις βεβαιοῖ διὰ τὸ ἀπορροίας γίνεσθαι, αὐτὸ παραλαμβάνει πρὸς βεβαίωσιν τὸ ἀπορροίας γίνεσθαι. Hunc autem Diogenis locum protuli qualis in vet. cod. extat. quũ in vulg. edi. planè sit mutilus. Sed quid significare velit Sextus hoc loquendi genere, ipsi loci in quibus eo vtitur, satis superque indicant: & ipsemet cap. 15 huius primi libri explicat. Vnum ergo superest, vt videamus quomodo aptã ei possimus apud Latinos appellationem inuenire. Certè quod vulgò dici solet, incertũ per incertius, huic simile est, nisi quòd quum dicitur ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, intelligitur mutua quædam incertitudo, & mutua probatione indigens. id est, quũ dicunt philosophi nos incidere εἰς τὸν δι' ἀλλήλων τρόπον siue διάλληλον, intelligunt nos incidere in quandam mutuam probãdi necessitatem. id est, probandi prius id cuius alioqui adminiculo vti volebamus ad probandum aliud. Pag. 431. & 432. & alibi διάλληλον alternatorium verti, non quòd planè mihi satisfaceret mea hæc interpretatio, sed quòd aptior nulla mihi occurreret. Quòd si quis obiiciat, vocem illã alternatorium, nisi quid aliud addatur, id quod significare ea volo, non comprehendere: ille ipsi Sexto vtenti nomine διάλληλος obiicere idem eadẽ ratione possit. Quis enim διάλληλος τρόπος ad varia posse accommodari non videt? Respondeo igitur, vt quum dicitur διάλληλος τρόπος, subauditur genitiuus ἀπορίας, aut aliquis ei similis, ita quum verto alternatorium modum, subaudire me genitiuum Latinũ dubitationis. vt sit διάλληλος τρόπος, alternatorius dubitationis modus. vel, alternãs, si quis nomen alternatorius refugit. Tunc enim verè alternat dubitatio, quum vnũ dubium ad alterius dubij probationem affertur. Fortasse etiam εἰς τὸν διάλληλον ἀπορίας ἐμπίπτομεν τρόπον non malè interpretaremur, In dubitationis vicissitudinẽ incidimus. Porrò hunc genitiuum ἀπορίας subaudiendũ censui potius quàm alium, quia reperio alicubi apud hunc nostrum Sextum, κἀνταῦθα ὁ διάλληλος τρόπος τῆς ἀπορίας ἀνατρέπει τὴν ὑπόστασιν τοῦ λόγου. Sed hoc quoque annotandum est, non solùm διάλληλον τρόπον, sed & λόγον appellari: vt libri 2. cap. 8. ἀληθῆ δὲ τὴν ἀπόδειξιν εἶναι λέγων, εἰς τὸν διάλληλον ἐμπίπτει λόγον, καὶ ἀπόδειξιν ἀπαιτηθήσεται ἀληθῆ αὐτὴν ὑπάρχειν, καὶ ἐκείνης ἄλλην, καὶ μέχρις ἀπείρου. Nec hoc silentio prætereundum est, eum alicubi dicere ὁ διάλληλος εἰσάγεται τρόπος, alicubi verò εἰς τὸν διάλληλον ἐκβάλλειν seu ἐμβάλλειν τρόπον. alibi autem (& quidem frequentissimè) ἐκπίπτειν seu ἐμπίπτειν εἰς τὸν διάλληλον τρόπον. Iam verò si quis roget vtra potius sequenda sit scriptura ὁ δι' ἀλλήλων τρόπος, an ὁ διάλληλος, ego id ἀδιάφορον esse, &, si compositione vti velimus, τῷ διάλληλος, sin ea vti recusemus, τῷ δι' ἀλλήλων vtendum esse respondebo. Sed τρόπον potius quàm λόγον appellandum censeo.

V. cus) Quod dicit ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἀρχῆς (id est, ad verbum, ab altero principio) interpretor, ab altero ingressu, vt melius intelligatur. Fortasse autem possim etiam vertere, ab alterutro ingressu. id est, ab alterutra parte qua ingredimur.

V. media) Cic. in Lucullo, Vidésne nauem illã

stare

stare nobis videtur: at iis qui in naui sunt, moueri hæc villa. Huc autē pertinet & quod dicit Aristocles, ἄλλαι μὲν γάρ εἰσιν αἰσθήσεις ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν. Cicero quoque in Lucullo scribit, Itaque & lumen mutari sæpe volumus, & situs earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahimus aut diducimus.

V. splendidum) Hic locus valde cōfert ad intelligendū Ciceronē ita in Lucullo scribentē, Neque verò hoc loco expectādum est dū de remo inflexo aut de collo columbæ respōdeam. Idē ibid. aliquot paginis pòst, Tu autē te negas infracto remo neq; columbæ collo cōmoueri. Primùm, cur? Nam & in remo sentio non esse id quod videatur, & in columba plures videri colores, nec esse plus vno. Aristocles, ἐπί τε τοῦ ἐρέτμου τοῦ ἐν τῷ ὕδατι, καὶ ἐπὶ τῶν γραφῶν, καὶ μυρίων ἄλλων ἡ αἴσθησίς ἐστιν ἡ ἀπατῶσα. διὸ καὶ μεμφόμεθα πάντες ἐπὶ τῶν τοιούτων οὐ τὸν νοῦν ἡμῶν, ἀλλὰ τὴν φαντασίαν. Quod autē attinet ad diuersitatē illā, inflexo remo, & infracto remo, vtranque certè lectionē suo in loco retinendā censeo. Nā licet Sextus κώπην κεκλασμένην, i. remū infractum, dicat, nō inflexū, scimus tamē pro phātasiæ diuersitate, modò infractum, modò inflexum duntaxat apparere posse.

V. rectus) De lyncurio & coralio hoc idem testatur & Ouidius. De coralio Metamorph. 4.

Nunc quoque coraliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant vt ab aëre: quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

De lyncurio & coralio eiusdem operis lib. 15.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E quibus (vt memorant) quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.
Sic & coralium quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Plinius, Baccæ eius candidæ sub aqua ac molles, exemptæ cōfestim durantur & rubescunt, quasi corna satiua specie atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si viuat. Itaque, etc. Idē de lyncurio, Lyncū humor ita redditus vbi gignuntur, glaciatur arescitve in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgētes, lyncuriū vocatas.

V. in tuba) Cicero dicit positiones, nō situs: sed situs in datiuo vix dici posse existimo: at pagina sequenti pro In aliqua positione, reponere potes, In aliquo situ. item Secundum hunc situm, pro Secundum hanc positionem. Cicero, Et situs earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahimus aut diducimus. Cæterū ad id quod Sextus dicit de imagine, videri queat respexisse Aristocles, quum scribit, ἐπί τε τοῦ ἐρέτμου τοῦ ἐν τῷ ὕδατι, καὶ ἐπὶ τῶν γραφῶν καὶ μυρίων ἄλλων ἡ αἴσθησίς ἐστιν ἡ ἀπατῶσα.

P. 425. V. autem) Sexti verba sunt, εἰσοχὰς καὶ ἐξοχὰς ἔχειν δοκεῖ. Ausim autē propemodū dicere εἰσοχὰς & ἐξοχὰς ab illo vocari in imagine, quas Cicero in pictura vmbras & eminentiā appellauerit, ita scribens in Lucullo, Quàm multa vident pictores in vmbris & in eminētia quæ nos nō videmus. Idē Sextus lib. 1. cap. 7. hæc duo nomina τυπώσει accōmodat, ἀπὸ τῶν σφραγίδων ea mutuatus, hæc enim sunt eius verba, ἐπεὶ οὖν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ ἡγεμονικὸν πνεῦμά ἐστι, ἢ λεπτομερέστερόν τι πνεύματος, ὥς φασιν, οὐ δυνήσεταί τις τύπωσιν ἐπινοεῖν ἐν αὐτῷ, οὔτε κατ' εἰσοχὴν καὶ ἐξοχήν, ὡς ἐπὶ τῶν σφραγίδων ὁρῶμεν, οὔτε, &c. Vbi nihil aliud esse videtur εἰσοχὴ quàm depressio & quasi incauatio eius quod impressum est, ἐξοχὴ contrà, prominentia, vel potius, cum Cicerone, eminentia eius quod impressum est. Ego tamē ibi εἰσοχὴν depressionē in profundū verti. sed in concauū aptius dixissem quàm in profundum. vel, depressionē & quasi incauationem. Imò ne hæc quidem mihi planè satisfaciunt. sed nihil melius nunc in mentem venit.

P. 426. V. lida) Rectius, Hyposphagmate autem laborantibus. Quid verò sit hyposphagma, expositum fuit ex Galeno paulo antè.

V. quia) Ad hoc quod dicit Sextus, eandem vocem apparere aliam in patentibus locis & planis, aliam in angustis & tortuosis, pertinet quod Cicero lib. De natura Deorum 2. scribit, Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu, & ex tortuosis locis aut inclusis referuntur ampliores (soni.)

V. nos) Ita Sextus, τὰ γὰρ ὦτα σκολιοπόρα ἐστί. Cicero ibidem, de auditu loquens, Flexuosum iter habet: ne quid intrare possit, si simplex & directum pateret. Subiungit Sextus, καὶ στενοπόρα, καὶ ἀτμώδεσιν ἀποφορήσεσιν, ἃς δὴ ἀπὸ τῶν περὶ τὴν κεφαλὴν φέρεσθαι λέγουσι τόπων, τεθολωμένα. Sunt autem hæ ἀτμώδεις ἀποφορήσεις, quas aurium sordes idem Cicero nominat, subiungens & ipse, Prouisum etiam vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium tāquam in visco inhæresceret. Porrò quod attinet ad vocem ἀποφορήσεις, non dubium est quin idem quod ἀποφοραὶ significet. ἀποφορὰν autem scimus interdum exhalationem, interdum odorem verti. sed quia ἀτμὸς quoque est exhalatio, malit fortasse quispiā ἀποφορήσεις odores interpretari. sed ne hæc quidem interpretatio mihi planè satisfacit.

V. stionibus) Sexti verba sunt, ἕβδομον τρόπον ἐλέγομεν εἶναι τὸν παρὰ τὰς ποσότητας καὶ σκευασίας τῶν ὑποκειμένων. deinde se explicans subiungit, σκευασίας λέγοντες κοινῶς τὰς συνθέσεις. Quũ autẽ vocẽ σκευασίας hac in significatione accipiat, satius fortasse fuisset eã retinere quàm constitutiones vertere. Quod si vertenda necessariò fuisset ad verbũ, melius eam interpretaturus fuisse mihi videor structuras aut cõstructiones, quàm constitutiones. A σκευάζω certè deductum σκευασία constat, ipsum autem σκευάζω à σκεῦος. Cæterũ quod ad παρὰ attinet (quod hic annotatũ, non huic tantùm loco sed & præcedẽtibus & sequentibus seruiet) non dubiũ est quin aliter quàm per præpositionẽ Ex verti queat: videlicet per Propter, vel per Pro. vt dicamus, Pro quantitatibus .i. Pront sunt quantitates. Itẽ reddi potest, Pro diuersitate quantitatum.

P. 431. V. qui) Hic dicit, ὁ δὲ ἀπὸ τῆς εἰς ἄπειρον ἐκπτώσεως, &c. At paulo pòst, definiens τὸν ἐξ ὑποθέσεως τρόπον, dicit, ὅταν εἰς ἄπειρον ἐκβαλλόμενοι οἱ δογματικοὶ, &c. Itidẽ verò dixerat initio secundũ modum esse τὸν εἰς ἄπειρον ἐκβάλλοντα. Vnde colligimus eum τὴν εἰς ἄπειρον ἔκπτωσιν appellare τὴν εἰς ἄπειρον ἐκβολὴν, accipiendo nomen hoc paßiuè. vt ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβαλλόμενος dicatur εἰς ἄπειρον ἐκπίπτειν. Sic alibi εἰς τὸν διάλληλον τρόπον ἐκπίπτειν legimus apud eum. Sed ne hoc quidem prætermittendum est, interdum εἰς ἄπειρον simpliciter, interdum verò εἰς ἄπειρον τρόπον ab eo poni. vt cap. 16. εἰ δὲ μὴ γὰρ τὸ ἐξ οὗ τι καταλαμβάνεται, ἀεὶ ἐξ ἑτέρου καταλαμβάνεσθαι δεήσει, εἰς τὸν διάλληλον ἢ τὸν ἄπειρον ἐμβάλλουσι τρόπον. Quo in loco alia quoque duo obseruanda sunt, videlicet ἐμβάλλουσι eodem sensu quo alibi ἐκβάλλουσι. Item, posse nos aliquando indifferenter duos illos τρόπους, nimirum τὸν διάλληλον & τὸν ἄπειρον, vsurpare. Porrò in illo proximè citato Sexti loco præpositionem εἰς ante ἄπειρον omissam esse suspicor, vt videlicet legatur ἢ τὸν εἰς ἄπειρον. Dixit enim initio, τὸν εἰς ἄπειρον ἐκβάλλοντα. & ita non vocabitur ὁ ἄπειρος τρόπος (sicut dicitur ὁ διάλληλος) sed ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβάλλων. Sic autem & apud Diog. Laërtium habetur, ὁ εἰς ἄπειρον ἐκβάλλων, nõ ἐμβάλλων. vide infrà, pag. 550.

V. quid) Dicit Sextus simpliciter, ὁ δὲ ἀπὸ τοῦ πρός τι. Gellius de huius sectæ philosophis loquens, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominum mouent, τῶν πρός τι esse dicunt. Id verbum significat nihil esse quicquam quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam & naturam: sed omnia prorsum ad aliquid referri, taliaque videri qualis sit eorum species dum videntur, qualiaque apud sensus nostros, quò peruenerunt, creantur: non apud sese, vnde profecta sunt. Aristocles, οὐδετέρας τε ἡμᾶς ἁπλῶς τ᾽ ἀκριβῶς ἀντιλαμβάνεσθαι· πάντα δὲ εἶναι συγκεχυμένα καὶ πρός τι λεγόμενα. Idem Gellius dixerat paulo antè, Iudicia enim rei cuiusque & synceras proprietates negant posse nosci & percipi.

V. volunt) De voce hac diallelus dictum paulo antè fuit.

P. 433. V. gmaticis,) Sequutus quidẽ sum Græcũ meum exemplar, in quo Ὀνησίδημος scriptũ est, sed hanc scripturam refellunt alij eiusdẽ exemplaris loci, in quibus Αἰνησίδημος legitur. quæ lectio Aristoclis, Diogenis Laërtij, aliorumque testimonio cõprobatur. Cæterùm præter huius Aenesidemi libros, quos ὑποτυπώσεις εἰς τὰ Πυῤῥώνεια & Πυῤῥωνείους λόγους à Laërtio appellari videmus, ab Aristocle antẽ simpliciter ὑποτυπώσεων, etiam eius στοιχειώσεις ab eodẽ Aristocle memorantur. qui & hæc de eo scribit, ἐχθὲς καὶ πρώην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ κατ' αἴγυπτον Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον. Porrò sciendum est pag. quoque 441. Onesidemum pro Aenesidemo legi.

P. 434. V. dum) Cicero οὐδὲν μᾶλλον vertit Nihilo magis, ita scribẽs in Lucullo, Nõ eorum qui clamẽt nihilo magis vera illa esse quàm falsa. Gellius libri 11. capite 5. Omniumque rerum fidem veritatemque mistis cõfusisque signis veri atque falsi ita incomprehensibilem videri aiũt, vt quisquis homo est non præceps, neque iudicij sui prodigus, his vti verbis debeat, quibus auctorẽ philosophiæ istius Pyrrhonem vsum esse tradunt, οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε, ἢ ἐκείνως, ἢ οὐδετέρως. Aristocles ex Timone, ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους δεῖν εἶναι, περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας ὅτι οὐ μᾶλλόν ἐστιν ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ καὶ ἔστι καὶ οὐκ ἔστιν, οὔτ᾽ οὐκ ἔστιν.

P. 435. V. ta) ἀῤῥεψία est propriè quũ neutram in partem vergimus seu inclinamus. Nã ῥέπω est vergo. Cicero ea quæ Zeno ὅλως ἀῤῥεπῆ vocabat, videtur interpretari voluisse ea in quibus nihil est omnino momenti.

V. DE) Aristocles ἀφασίαν ponere ἀντὶ τῆς ἐποχῆς videtur, quũ ex Timone refert τοῖς ἀδοξάστοις καὶ ἀκλινέσι καὶ ἀκραδάντοις περιέσεσθαι πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δ᾽ ἀταραξίαν.

P.436.V.à quib.) Sexti verba sunt, τοῖς δὲ κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς καὶ ἀναγκαστικῶς ἄγουσιν ὡς συγκατάθεσιν εἴκομεν. Potes autē pro Patimur (si videatur) reponere Afficimur, vt ex iis quæ de verbi πάσχειν interpretatione antea diximus, apparet. At si verbū verbo reddens vertere̅, Mouentibus nos paßibiliter, & obscurè & barbarè loquerer. Sed fortasse verborū Græcorū vim assequeretur simulq; Latinitatē retineret qui ita verteret, Iis enim quæ sensus nostros ita mouent vt afficiantur. Nam & Gellius sensus moueri dicit, sicut Cicero pelli. Ita enim ille in loco paulò antè citato, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominū mouēt, τῶν πρός τι esse dicūt, id est, πάντα δὲ πάντα ὅσα τὰς ἀνθρωπίνας αἰσθήσεις κινεῖ. vel, ὅσα τῶν ἀνθρώπων αἰσθητικῶς κινεῖ. Hîc autem significantius dicitur τοῖς κινοῦσιν ἡμᾶς παθητικῶς, id est, τοῖς κινοῦσι τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν παθητικῶς.

V. De vocib.) Τάχα reddidi fortasse, de quo dictum est in principio harum annotat.

V. DE hac) Ορίζω vertere possumus definio, ad verbum, modò accipiamus definio in ea significatione qua M. Tullius definitum & certum, itē definitum & constitutum copulat.

V. ΑΌΡΙΣΤ.) Galenus initio libelli qui περὶ ἀρίστης διδασκαλίας inscribitur, idē valere censet ἐποχὴν & ἀοριστίαν. ita enim scribit, ἐποχὴν καλοῦντες τὴν ὡς ἂν εἴποι τις ἀοριστίαν, ὅπερ ἐστὶ περὶ μηδενὸς πράγματος ὁρίζεσθαι, μηδὲ ἀποφήνασθαι βεβαίως.

P.437.V. QVVM) Si quis malit interpretari, Omni rationi ratio æqualis opponitur (vel potius, opposita est) ei non magnopere repugnabo. Sed ferri etiam altera interpretatio potest, dummodo oratio intelligatur quæ rationem continet.

P.438.V. nō) Deceptus exemplaris scriptura, ita verti, pro Quū eas dicamus à seipsis tolli posse. Sic & suprà, ὁ δὲ σκεπτικὸς τὰς φωνὰς αὐτοῦ προφέρεται ὡς δυνάμει ὑφ' ἑαυτοῦ περιγράφεσθαι.

V. gantia) Celeberrimū est hoc exemplum, quo & alibi vtitur, ita scribens, δύνανται δὲ οἱ λόγοι καὶ καθάπερ τὰ καθαρτικὰ φάρμακα ταῖς ἐν τῷ σώματι ὑποκειμέναις ὕλαις ἑαυτὰ συνεξάγει, οὕτω καὶ αὐτοὶ τοῖς ἄλλοις λόγοις τοῖς ἀποδεικτικοῖς εἶναι λεγομένοις καὶ ἑαυτοὺς συμπεριγράφειν. Ab Aristocle quoque affertur, sed id minimè probāte, imò aptum esse negāte. ἐκεῖνο μὲν δὲ καὶ παντάπασιν ἐστὶν ἠλίθιον. ἐπειδὰν λέγωσιν ὅτι καθάπερ τὰ καθαρτικὰ φάρμακα συνεκκρίνει μετὰ τῶν περιττωμάτων καὶ ἑαυτά, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ πάντα ἀξιῶν εἶναι λόγος ἄδηλα, μετὰ τῶν ἄλλων ἀναιρεῖ καὶ ἑαυτόν. εἰ δὲ αὐτὸς αὑτὸν ἐλέγχει, ληροῖεν ἂν οἱ χρώμενοι τούτῳ. Addit præterea, nullā similitudinē esse medicamēto purganti cū eorum oratione. illud enim excerni, nec in corpore manere, at orationē in animo hærere absque vlla immutatione, & cū perpetua persuasione debere. Sed non defuerit Scepticus quod Aristocli respondeant. Plutarchum certè eodē respexisse videmus, quū loquens de Socrate, qui se nihil scire profitebatur, de omnibus rebus dubitabat, & nullam in de quibus differendo affirmationē adhibebat, dicit habere solitū ἐλεγκτικὸν λόγον tanquā καθαρτικὸν φάρμακον. Vbi animaduerte ἐλεγκτικὸν λόγον optimè cōuenire cū eo quod dicit Aristocl. εἰ δὲ αὐτὸς αὑτὸν ἐλέγχοι. sub. ὁ λόγος.

V. ferenter) Verba Sexti sunt, οὔτε γὰρ πρέπει τῷ σκεπτικῷ φωνομαχεῖν. sed pro φωνομαχεῖν mendosè legitur in exemplaribus φαινομαχεῖν. Sic & suprà, πάλιν δὲ εἰ ταῦτα οὐ φωνομαχοῦμεν, pro οὐ φωνομαχοῦμεν

V. vocibus) Duplex est lectio hoc loco, vna, μηδὲ ταύτας τὰς φωνὰς ἁπλῶς σημαίνειν λέγεσθαι, ἀλλὰ πρός τι, &c. Altera quæ habet εἰλικρινῶς pro ἁπλῶς. Vtra autem alteri præferenda sit haud facilè dixerim, quū Aristocles eadē de re loquens ἁπλοῦν cum ἀκραιφνὲς (quod synonymū est τῷ εἰλικρινὲς) copulet. Ita enim scribit, οὐδενός τι ἡμᾶς ἁπλοῦ καὶ ἀκραιφνοῦς ἀντιλαμβάνεσθαι. πάντα δὲ εἶναι συγκεχυμένα καὶ πρός τι λεγόμενα. At Gellius idem tractans, ad εἰλικρινὲς seu ἀκραιφνὲς dūtaxat respexit, vbi ait de Scepticis, Iudicia enim rei cuiusque & synceras proprietates negant posse nosci & percipi. Et aliquanto pòst, Itaque omnes omnino res quæ sensus hominum mouent, τῶν πρός τι esse dicunt. Id verbum significat nihil esse quicquam quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam & naturam, sed omnia prorsum ad aliquid referri, taliaque, &c. Qui igitur ἁπλῶς legere volet in hoc Sexti loco, aduerbium simpliciter retineat: at qui εἰλικρινῶς (vt ego malim) leget, pro simpliciter, syncerè in mea interpretatione reponat.

V. Quum) Genitiuus epoches malè in hunc locū irrepsit, quū ante vel post accusatiuum modos poni debeat. Sed quis genitiuus accusatiuo mentem iungetur? Nimirū genitiuus σκέψεως, ex sequētibus petitus. vt apparet etiā ex cap. 2. huius lib. Vbi vide & quod annotaui de nomine ἔννοια. Nam hîc quoque ἔννοιαν mallem interpretatus esse notionem, sicut & alibi verti.

P. 439. V. quemad) Reponendum esse Aenesidemus admonuimus antea.

V. parere:) Cic. in Lucullo, Nam quum dicunt hoc se vnum tollere, vt quicquã possit ita videri vt non eodẽ modo falsum etiam possit ita videri. Quod Sextus τἀναντία περὶ τὸ αὐτὸ φαίνεσθαι. Idem de Arcesila, Incubuit autẽ in eas disputationes, vt doceret nullum tale esse visum à vero, vt non eiusdem modi etiã à falso possit esse. Gellius, Omniumque rerum fidem veritatemque mistis confusisque signis veri atque falsi ita incomprehensibilem videri aiunt vt quisquis, &c.

P. 440. V. PROTAG.) Idem testatur & Aristocles, & Diog. Laërtius.

V. sunt) Sexti verba sunt, καὶ διὰ τοῦτο τίθησι τὰ φαινόμενα ἑκάστῳ μόνα. Pro quo Aristocles dicit, Protagoræ idẽ opinionem referens, ὁποῖα γὰρ ἑκάστῳ φαίνεται τὰ πράγματα, τοιαῦτα καὶ εἶναι. Cicero autem, Aliud indicium Protagoræ est, qui putet id cuique verũ esse quod cuique videatur: aliud Cyrenaicorum qui, &c.

P. 441. V. Quo) Hac de re lege Gellium lib. 11. cap. 5. in fine.

V. rum) Hic quoque repono Aenesidemum.

P. 442. V. ne dic.) Timonis versus ob nimiam depravationem omittere coacti fuimus in nostra interpretatione: nunc autem paulo quidem emendatiores eos habemus, tales tamẽ qui multum adhuc negotij facessere doctis alioqui lectoribus possint. Sed quales quales sunt, eos hic proferam. Dicit igitur Sextus, ὁ γὰρ περὶ ἑνὸς δογματίζων, ἢ προκρίνων φαντασίαν φαντασίας ὅλως κατὰ πίστιν ἢ ἀπιστίαν προκρίνος τῶν ἀδήλων, τοῦ δογματικοῦ γίνεται χαρακτῆρος. ὡς δηλοῖ καὶ ὁ Τίμων διὰ τῶν περὶ Ξενοφάνους αὐτῷ λεγομένων. ἐν πολλοῖς γὰρ αὐτὸν ἐπαινέσας τὸν Ξενοφάνην, ὡς καὶ τοὺς σίλλους αὐτῷ ἀναθεῖναι, ἐποίησεν αὐτὸν ὀδυρόμενον, καὶ λέγοντα,

Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
Ἀμφότερα βλεπτά, δολίῃ δ' ὁδῷ ἐξηπατήθην,
Πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐών, καὶ ἀπενθήριστος ἁπάσης
Σκεπτοσύνης. ὅπῃ γὰρ ἐμὸν νόον εἰρύσαιμι
Εἰς ἓν ταὐτό τε πᾶν ἀνελύετο. πᾶν δ' ὂν αἰεὶ
Πάντῃ ἀνελκόμενον μίαν εἰς φύσιν ἵσταθ' ὁμοίην.

Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ ὑπάτυφον αὐτὸν λέγει, καὶ οὐ τέλεον ἄτυφον. δι' ὧν φησί,

Ξεινοφάνης ὑπάτυφος ὁ μηραπάτης ἐπισκώπτης
Ἐκτὸς ἀπ' ἀνθρώπων, θεὸν ἐπλάσατ' ἶσον ἁπάντῃ
Ἀσκηθῆ νοερῷ ἠὲ νόημα.

Ὑπάτυφον μὲν γὰρ εἶπεν ὡς κατά τι ἄτυφον, ὁμηραπάτην δὲ ἐπισκώπτην, ἐπεὶ τὴν παρ' Ὁμήρῳ ἀπάτην διέσκωπτε. Hactenus Sextus, cuius exẽplar cum ob alios plerosque locos, tum maximè ob hunc, nancisci emendatius cupio: Hæc enim adeò mẽdosa proferre me puduit. Quod autem ad ὑπάτυφον attinet, sciendum est citari & à Diogene Laërtio primum illum versum Ξενοφ. &c. eumque ita legi apud illum,

Ξεινοφάνην ὑπάτυφον ὁμηραπάτην ἐπικόπτην.

Sed nihil iuuare nos potest Diogenis exemplar, nisi ad emendandum Ξενοφάνης, & reponendũ Ξεινοφάνης (sicut dicitur Ξεινοφόων.) reliqua enim verba melius leguntur apud Sextum quàm apud illum. Nã ὑπάτυφον non ὑπότυφον legi debere ostendit ea expositio quam Sextus subiungit, τὸ κατά τι ἄτυφον. Item legendum esse ἐπισκώπτην non solùm ex Sexti explicatione patet, sed & ex iis quæ ab ipso Diogene paulo pòst scribũtur, γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι, καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπισκώπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. Nam hic fateor quidem in vulg. edit. haberi ἐπικόπτων, sed in omnibus quæ consului vet. exempl. vidi scriptum ἐπισκώπτων. Eundemque errorem in aliis quoque Diogenis obseruaui locis. Vtrùm autem melius legantur apud Diogenem per accusatiuum illa nomina quàm apud Sextum per nominatiuũ, vix pronuntiare ausim. Cæterùm quod ad ἄτυφον attinet, sciendum est etiam Stoicũ sapientem apud Diogenem in Zenone eo epitheto insigniri, vbi scribit, φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφόν, διὰ τὸ ἀνέμπτωτον εἶναι. At Timon varius alioqui in locis philosophis τῦφον exprobrãs, solum Pyrrhonem hoc epitheto ornat in his qui apud Aristoclem habentur versibus,

Ἀλλ' οἷον τὸν ἄτυφον ἐγὼ ἴδον, ἠδ' ἀδάμαστον
Πᾶσιν ὅσοις δαμνᾶται ἅμ' ἀρρήτοις τε φατοῖς τε
Λαῶν ἔθνεα κοῦφα, βαρυνόμεν' ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἐκ παθέων, δόξης τε καὶ εἰκαίης νομοθήκης.

Dico autem solum Pyrrhonem hoc epitheto cohonestari à Timone, legens, ἀλλ' οἷον pro ἀλλοῖον. Pyrrhonem autem ipsum sibi hunc titulum vendicasse testatur Aristocles, qui tamen contrà eum τῦφον περιβαλέσθαι dicit, ita scribens, αὐτὸς δ' ὕστερον τοῦτον τὸν τῦφον περιβαλόμενος, καὶ καλῶν ἄτυφον ἑαυτόν, οὐδὲν ἐγράφη καὶ ἐτελεύτησε. Cæterùm hic τῦφος ab eodẽ Timone alibi vocatur κενεὴ οἴησις, vt in hoc versu,

Ἄνθρω-

Ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.

Alloquitur autē ibi philosophos, sicut & in his,
Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,
Τοίων ἔκ τ' ἐρίδων, ἔκ τε στοναχῶν πεπλάσθε.

V. num) Vel, Quantum ad id quod dicitur. De hoc autem genere loquendi ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ vide quod annotaui suprà.

V. verisim) Verti πιθανὰς verisimiles. quod reddi etiam potest probabiles, vel (si dici posset) persuasibiles. Sextus tamen etiā pressius huius nominis significationem, quā sequi vult, pag. sequēte vrget. Quod autem ad participium διεξωδευμένας attinet, siue περιωδευμένας (videtur enim vnū pro altero ponere) quomodo reddi Latinè possit apto satis vocabulo, perspicere nequeo. Nam paulo pòst quidem τῷ διεξοδεύσαντι τὰ περὶ αὐτὸ, verti, Illi qui percurrerit quae sunt circa ipsum, sed διεξωδευμένας itidem interpretari percursas non satis commodum visum est. Imò & pro percurrerit, lubēter alio vsus verbo fuissem: ac fortasse perlustrauerit aptius fuisset. Quòd si cui placuerit itidē διεξωδευμένας perlustratas interpretari, per me licet. Sed hoc sciendum est, huiusmodi perlustrationem ad mentem potius quàm ad oculos referri. Sic autem & apud Latinos Mente peragrare legimus, pro eo ferè quod nostrates dicunt discourir. Certè διεξοδεύειν illi Gallico discourir planè respondet.

V. phantasiam) Hic quoque haereo. nā ἀπερισπάστους possum quidē interpretari indistractas, sicut & in fine huius pag. περισπᾶσθαι reddidi distrahebatur, sed mihi non satisfacit huiusmodi interpretatio. Veruntamē haec retineri debet, donec melior cuipiam in mentem venerit.

Ibid.) Post ἀπερίσπαστος asterisci notam ponēdam censui, quòd hunc locum planè mutilū esse suspicer. Quomodo enim haec phantasia Herculis ἀπερίσπαστος diceretur, si eius mens περισπᾶσθαι (vt Sexti verbis vtar) ἀπὸ τῆς συγκαταθέσεως? Talis est autem mea de hoc loco coniectura, scripsisse Sextum phātasiam illam de fune, esse πιθανὴν καὶ περιωδευμένην καὶ ἀπερίσπαστον: deinde exemplū proponere voluisse alterius phantasiae, quae esset quidem & ipsa πιθανὴ καὶ περιωδευμένη, sed non item ἀπερίσπαστος *.

P. 443. V. Quanq.) Verbum Graecum πείθεσθαι (quod parere significat) retinui, quia ipse paulo pòst suo modo id explicat.

V. pugnare,) Sextus dicit, ἄνευ σφοδρᾶς προσκλίσεως ἢ προσπαθείας. Fortasse autem malit quispiā προσπάθειαν affectum erga aliquid haerentem aut animo infixum interpretari, quòd προσπάσχω sit Haereo siue Adhaereo alicui rei magno affectu, & quasi πάσχω τι πρὸς αὐτοῖς. eo sensu quo dicunt τὸ ἐρᾶσθαι πάσχειν ὑπὸ τῶν ἐρωμένων, quū eam intuetur, aut eius recordatur. Cicero certè Graecū verbum retinuit, quòd (vt opinor) Latino vocabulo ad exprimendam Graeci vocabuli vim idoneo destitueretur. Ita enim scribit ad Att. lib. 1, Ego fortasse τυφλώττω, nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα.

V. de) Lege, Sumptuosè ipsum viuere vult. Pro vult reponi etiam potest iubet.

P. 456. V. tellect.) Ante haec verba, Aliquibus autem non, deesse quaedā videntur. Caeterùm hoc, Id de quo quaeritur arripiunt, est quod dicit Sextus τὸ ζητούμενον συναρπάζειν. Hoc autē quid valeat, cum ex aliis plerisque locis, in quibus vtitur, manifestum est, tum ex sequentis pag. v. quantibus. Nam & ibi verti, Id de quo quaeritur arripient, pro eo quod Sextus habet, τὸ ζητούμενον συναρπάσουσι. nisi fortè legendum est συναρπάσουσι. Sic Lucianus in Ioue tragoedo, Αὐτὸ τοῦτο ζητούμενον ὦ Τιμόκρατες συναρπάζεις. Quod malè vertit interpres, Tu quaestionē discerpis. Dicitur enim τὸ ζητούμενον συναρπάζειν, qui arripit & quasi per vim aufert alicui quod concedere non vult, & eo tanquam concesso vtitur, de quo alioqui quaestio est.

P. 457. V. in ipso) Repone & per depr. pro, nec per depr. deque hac interpretatione vide annot. in pag. 425.

P. 458. V. dam) Post Habendam esse, pluscula verba deesse suspicor.

V. bat,) Haec verba, vt dicat non omnes phantasias fidem mereri, non bene cum praecedentibus cohaerent, nec dubium est quin deprauatus sit hic locus. Nam ita legitur in Graeco exemplari, καὶ περιτρέπεται ὁ λόγος εἰς τὸ μὴ εἶναι πάσας τὰς φαντασίας, ὥστε καὶ κατ' αὐτάς, &c. Vbi manifestum est deesse adiectiuum quod iungatur cum substātiuo φαντασίας, videlicet πιστὰς, aut aliud huiusmodi. Porrò quod attinet ad hoc loquendi genus περιτρέπεται ὁ λόγος, sciendum est dici περιτρέπειν τὸν λόγον quando aduersarij dictum in ipsum retorquemus, & suo velut gladio eum iugulamus. Dicitur etiam κατὰ περιτροπὴν τοῦ λόγου, item ἐκ περιτροπῆς. vt quum ita scribit, ἤτοι ἀποδεικτικοί εἰσιν οἱ κατὰ τῆς ἀποδείξεως ἠρωτημένοι λόγοι, ἢ οὐκ ἀποδεικτικοί. καὶ εἰ μὲν οὐκ ἀποδεικτικοί, οὐ δύνανται διδάσκειν ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις. εἰ δὲ ἀποδεικτικοί εἰσιν, αὐτοὶ οὗτοι τὴν ὑπόστασιν τῆς ἀποδεί-

ξεως ἐκ περιτροπῆς εἰσάγουσιν. Alioqui περιτρέπεσθαι est euerti. vnde συμπεριτρέπεσθαι, simul euerti. vt quum dicit, περιτρέπεται γὰρ ἡ τοῦ αἰτίου ὑπόστασις, ὡς τὸ ποῖον συμπεριτρέπεται, μὴ ἔχον ὑπὸ ὅτου πάθῃ. Sic & actiuum συμπεριτρέπειν. οὐ μόνον τὴν ἄλλην ἕκαστον ἀναιρεῖ, ἀλλὰ καὶ ἑαυτὴν ἐκείνοις συμπεριτρέπει, perinde ac si dixisset, συναναιρεῖ.

P.477.V.in illos) Si est demõstratio, est demonstratio: si non est demonstratio, est demonstratio. Atqui aut est demonstratio, aut nõ est demonstratio. Est igitur demonstratio. Ita debet intelligi (meo quidẽ iudicio) hæc argumentatio, si per demonstrationem probatis non esse demonstrationẽ, certè est demonstratio. nam vosipsi ea vtimini. At si non vtimini demonstratione ad id probandum, quicquid alioqui affertis ad nostram demonstrationem labefactandã & euertendam, nullius momenti est, eaque nihilominus semper illabefacta manet. Itaque, siue ratiocinatio qua vtimini, sit demonstratio, siue non, hoc manet, esse demonstrationem.

V. purgatiua) Latinius, purgantia medicamenta quàm purgatiua.

V. & hæc) Gellius in fine cap.5. lib.11. Academici quidem ipsum illud Nihil posse comprehendi, quasi comprehendũt, & Nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonij, ne id quidem vllo pacto videri verũ dicunt, quòd nihil esse verum videtur.

P.502. V. neque) Plato in Timæo, Ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε, τί τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μέν, ὂν δὲ οὐδέποτε. Id est, Cicerone interprete, Quid est quod semper sit, neque vllũ habet ortum? & quod gignatur, nec vnquam sit? Quem sequendo, vertendum hic esset, Corpora quæ gignuntur quidem, nunquam autem sunt.

P.507.V. quod) ἀποκληρωτικὸν vix queat aliter quàm periphrasi longiuscula exponi. ἀποκληροῦν enim est attribuere aliquid alicui pro potestate & velut aßignare, propriè autẽ aliquid quod forte obtigerit. Hinc fit ἀποκλήρωσις & ἀποκληρωτικός. Vocat igitur ἀποκληρωτικὸν Sextus Quod nobis dicentibus credi volumus tanquam pro nostro iure, nullam rationem afferentibus. siue, Quod locũ habere & recipi quasi pro iure nostro volumus, nullam alioqui probationẽ adhibentes. Potest quidem ἀποκληρωτικὸν aliud quoque significare (sicut verbum ἀποκληροῦν aliam quoque significationem habet) & ipsemet alibi aliter interpretatus sum. sed hanc interpretationẽ doctißimis quibusdam viris (quos consului) magis placere comperi. quorum iudicio lubenter acquiesco.

P.514. V. fuisse) Diximus antea quid sit συναρπάζειν τὸ ζητούμενον. hic autem pro συναρπάζειν τὴν τοῦ σώματος ὕπαρξιν τὴν ζητουμένην dicit συναρπάζειν τὴν τοῦ σώματος ὕπαρξιν μὴ διδομένην αὐτόθεν. Notandum est autem aduerbium αὐτόθεν, quod verti Ex seipsa. Potest etiam reddi, Per se. id est, Ita vt non indigeat probatione. Conceduntur autem αὐτόθεν quæ aut ipsa ἐναργείᾳ euincuntur, aut quæ necessariò consequuntur. Vt quum dicit, καὶ ἄλλως, εἰ δοθείη ψεῦδος μὴ εἶναι τὸ σῶμα εἶναι τὸν χρόνον, ψεῦδος δὲ καὶ τὸ ὅλον ἀσώματόν ἐστιν, αὐτόθεν δοθήσεται ἡ τοῦ χρόνου ἀνυπαρξία. παρὰ γὰρ ταῦτα οὐδὲν εἶναι δύναται ἕτερον. q.d. Ex eo ipso cõcedetur, nec alia probatione opus erit. Plato in Gorgia, τί δαί, συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γιγνώσκεις ὅτι εὐδαιμονεῖ. Vbi significare videtur, Primo aspectu, seu intuitu.

P.524. V. do, ad) Sexti verba sunt, πρὸς ὃ μήτε ὁρμὴ μήτε ἀφορμὴ γίνεται. Cicero ὁρμὴν varijs modis interpretatur, Appetitionem, vel appetitum animi, Naturalem appetitionem, Animi motum. Quum autem ἀφορμὴν esse sciamus contrariam ὁρμῇ, vt ὁρμὴν animi appetitũ seu appetitionẽ, sic ἀφορμὴν inappetentiã verti posse existimaui. Si tamen longiuscula periphrasi vti licuisset, multo libentius vertissem motũ animi appetitioni contrarium, vel potius auersationem ex naturali animi motu prouenientem. Fortasse autẽ ὁρμὴν & ἀφορμὴν hoc quoque modo non malè reddiderimus, Naturalem animi motum seu impulsum quo aliquid sectamur, & quo aliquid refugimus. Dico autem sectamur, vt ex opposito ei respondeat refugimus. Galenus, οἱ δὲ ἔμβρυον μὴ εἶναι ζῷον λέγουσι, τρέφεσθαι μὲν καὶ αὔξεσθαι αὐτὸ ὥσπερ τὰ δένδρα, ὁρμὴν δὲ καὶ ἀφορμὴν οὐκ ἔχειν ὥσπερ τὰ ζῷα. Id est, neque naturalem animi vim appetitricẽ, neque vim auersatricem. Quid si etiã ὁρμὴν animi vim impultricem, & ἀφορμὴν contrà animi vim repultricem, interpretemur? Certè, vt ingenuè fatear, per inappetentiam nõ bene significationem Græci vocabuli expreßisse mihi videor.

V. Nos) Rectius, Nos ad notionem appellere nõ fecerunt, vel Non adduxerunt. Propriè, Non stiterunt nos.

P.526. V. Quæ sit) Vide Diogenem Laërtium.

P.531. V. punire) Vide Xenophontem de hac Lacedæmoniorum consuetudine.

Hic

Hic finem hisce annotationibus imponere me cogunt quæ passim occurrunt in Græco exemplari menda, quæ etiam in causa fuerunt cur & in præcedētibus multos locos intactos reliquerim, in quos alioqui annotasse aliquid oportuerat. In mea quidem certè interpretatione me cum deprauatione illius exemplaris luctantem, in eruendo ex quibusdam locis sensu multum laborasse fateor: nunc autem, non consulto meliore quopiam codice, aliquid in illos annotare, incerta incertis addere, & iudicium meum non satis prudenter periclitari esset.

IN PYRRHONIS VITAM EX DIOG. LAERTIO EIVSDEM HENR. STEPHANI ANNOTATIONES.

P.543.V.audiuit,) Aristocles, Ὁ μὲν οὖν Πύρρων Ἀναξάρχου τινὸς ἐγένετο μαθητής, ὃς τὸ μὲν πρῶτον ἦν ζωγράφος οὐδ' οὗτος εὐτυχής, ἔπειτα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις ἐντυχών, χρηστὸν μὲν οὐδὲν οὔτε εὗρεν, οὔτε ἔγραψε, κακῶς δὲ πάντας εἶπε καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους. αὐτὸς δ' ὕστερον τοῦτον τὸν τῦφον περιβαλόμενος, καὶ καλῶν ἄτυφον ἑαυτὸν, οὐδὲν ἐν γραφῇ κατέλιπεν. Id est, Pyrrho igitur Anaxarchi cuiusdam discipulus fuit, qui primò quidē pictor erat, non adeò fœlix artifex, deinde verò quum Democriti libros legisset, nihil boni nec excogitauit, nec scripsit, sed omnes Deos & homines maledictis prosequutus est. Ipse verò quum hunc fastum assumpsisset, quanuis vocaret se ἄτυφον (id est à fastu alienū) nihil literarū monumentis mandauit.

P.544.ventiā) Aristocles ex Antigono Carystio, Φιλίστης δὲ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ θυούσης, ἔπειτα τῶν φίλων τινὸς ὑποσχομένου τὰ πρὸς τὴν θυσίαν, καὶ μὴ παρασχομένου, τοῦ μέντοι Πύρρωνος πριαμένου καὶ ἀγανακτοῦντος, ἐπειδήπερ ὁ φίλος ἔλεγεν ὡς οὐ ποιήσειεν σύμφωνα τοῖς λόγοις, οὐδ' ἄξια τῆς ἀπαθείας, εἰπεῖν αὐτὸν, ἐν οὖν γυναικὶ οὐ δεῖ τὴν ἀπόδειξιν αὐτῆς ποιεῖσθαι. Id est, Quum autē Philista soror eius sacrificaret, & quidam ex amicis ea quibus ad sacrificiū opus erat pollicitus, promissis non stetisset, sed ipse Pyrrho ea emisset, eoque nomine indignaretur, quū amicus diceret eum facere quæ suis dictis minimè consentanea adeoque apathia indigna essent, respondisse eum, Certè quidē erga mulierem eius specimen edi nō debere. Hæc Aristocles. Cæterùm vox ἀπάθεια reuocat mihi in memoriam Ciceronianum quendam locum in Lucullo, Zenoni summū bonum est in his rebus neutram in partem moueri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur: Pyrrho autē ea ne sentire quidem sapientē, quæ ἀπάθεια nominatur. Ita enim legi debet, nō (vt in multis habetur editionibus) quæ ἀπαθῆ nominātur. Docet autē nos hic Ciceronis locus melius ἀπάθειαν dicere Aristoclem, quàm Diogenem ἀδιαφορίαν.

V.indiff.) Hoc autē factū ita refert idem Aristocles ex eodē Antigono, Τὸν Πύρρωνα διωκόμενον ὑπὸ κυνὸς ἀναφυγεῖν ἐπί τι δένδρον, σκωπτόμενον δ' ὑπὸ τῶν παρόντων, εἰπεῖν ὡς χαλεπὸν εἴη τὸν ἄνθρωπον ἐκδῦναι. i. Pyrrhonē quū eum canis persequeretur, ad quādam arborē confugisse: quod factū quum illi qui aderant probro verterēt, dixisse, difficile esse hominē exuere.

P.545.V.Quin) Planè peruertit hic interpres versus Homerici sententiam, qui est huiusmodi,

Ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ. τίη ὀλοφύρεαι αὔτως;

Hoc igitur aut simili modo debuerat reddi,

At cade tu quoq; amice. quid hæc suspiria fundis?
Vel, frustra hæc suspiria fundis.

Sunt autē hæc apud Hom. Iliad. Φ. verba Achillis ad Lycaonem, qui illi dixerat,

Μή με κτεῖν', ἐπεὶ οὐχ ὁμογάστριος Ἕκτορός εἰμι.

V.Et medit.) Melius versum Græcum ita interpretaremur,

Nō hominū implicitum turba, sibimetq; loquentē.

P.546.V.Qualem) Peruertit hic quoque poëtæ sententiā. nō enim intelligit talē esse mentem qualem Iuppiter mittit in dies, sed talem esse mentem qualem diē Iuppiter mittit. Quare pro accusatiuo plurali dies reponendus fuerit singularis diem: vt sit, In diem mittit, pro Immittit diem. quod tamen nimis durum videtur. Porrò sumpsit Archilochus hanc sententiam ex Homero, ita canente,

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

V. Sentire) Paulo dignior est venia interpres in peruersa horum carminum quàm in praecedentiū interpretatione, quòd mendosos eos in codice Graeco legerit. videlicet ita,

Τί δῆτα τούτους τοὺς ταλαιπώρους φρονεῖν
Βροτοὺς λέγουσι; οὐ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
Δρῶμεν τοιαῦτ' ἂν σοῦ γε τυγχάνης θέλων.

At ita legi debent,

Τί δῆτα τούτους τοὺς ταλαιπώρους φρονεῖν
Βροτοὺς λέγουσι; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα.
Δρῶμέν τε τοιαῦθ' ἃ σύ γε τυγχάνῃς θέλων.

Et hoc aut tali quopiam modo verti,

Quid mentis hisce praedicant mortalibus
Inesse? nam pendemus à nutu tuo,
Et agimus omne quod tibi cunque allubet.

V. tem) Potius dicendum fuit, Sunt autem causa atomi & vacuum. sed sciendum est Sextum eadem Democriti verba citantem pro ἀιτίην legere ἐτεῇ, quod ipsemet exponit ἀληθείᾳ, seu κατ' ἀλήθειαν, id est, veritate, verè. Non dubium est autem quin itidem ἐτεῇ in proximè sequenti loco legerit, ἐτεῇ δὲ οὐδὲν ἴδμεν, id est, veritate nihil nouimus. Quod verò sequitur, ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια, à Cicerone exponitur, In profundo veritatem esse demersam.



EXCVDEBAT PARISIIS MARTINVS IVVENIS, ANNO M. D. LXIX. SEXTO CALENDAS IVNII.

Index alphabeticus.

A

quæ

cogi-

Deorum

doceri

ἐπι-

F

figurae

I

à loci

O

οὐδὲν

phanta-

Q

ſenſus

super-

X

FINIS.

